




This book belongs to
THE CAMPBELL COLLECTION
purchased with the aid of
The MacDonald-Stewart Foundation
and
The Canada Council

B. H. BLACKWELL LTD.
BOOKSELLERS
48 to 51 BROAD STREET
OXFORD



CAMPBELL
COLLECTION



PRAEFATIO.

Claudii Claudiani poetae, cuius carmina Birtius nuper in Mon. Germ. Hist. auct. ant. tomo decimo anno MDCCCXCII emisso ea mole recensuit, ut comparare sibi tantum librum aut possent aut vellent pauciores, editionem minorem, quia ipse vir egregius repudiavit, ego suscepi ab ipsius disciplina olim profectus quique in studiis his eo duce sat multum operae conlocarim. Itaque tantum abest, ut illi meam operam opponere et cum eo in certamen ire velim, ut in gravissimis potius eum secutus sim atque in hoc ipso labore consiliis eius uti haud raro mihi licuerit, id quod grato animo confiteor. Sunt tamen quibus differat haec parva recensio ab maxima illa. De quibus in proximis exponam.

Manuscripta iisdem siglis indicavi quibus Birtius. Novos libros sive illi minus cognitos non adhibui nisi duos ad deteriores gregem plane adgregandos, de quibus breviter referam.¹⁾

1) Cod. Rodomensis 1040 saeculi XIII. Descripsit et saeculo XII tribuit Omont in catalogi mss. Rodomensium tomo I p. 261.²⁾ Ipse ex parte contuli. Incipit in folio 55^r. col. 1: *Prefacio in librum Claudii Claudiani.*

1) Ex antiquis bibliothecarum catalogis exemplorum Claudiani memorias nuper collegit Manitius in Musei Rhenani tomo XLVII a. MDCCCXCII suppl. p. 103 sqq.

2) 'Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France' tome premier.

Incipit liber primus in Rufinum. Continet carmina maiora a Rufino usque ad Bell. Gothicum ordine eo, quem secutus sum (cf. Birtii praef. p. CXXIX sqq.); Ruf. II praef. Bello Gildonico antecedit. Deinde minora carmina item eo ordine, quem repraesentat haec editio. Desunt distichon 'De lanario' (cf. Bi.¹) p. CXXXVIII), Raptus, Panegyricus Probini et Olybrii. Ad classem y et praecipue ad w eum pertinere docent lectiones hae: Ruf. I pf. 2 *rogo pro iugo*, 4 *tingueret*, 7 *speciosis*, 11 *iopan* (sic), 13 *dulci*, 17 *angustis*. lib. I 5 *annique*, 8 *diviso*, 25 *stimulis quondam*, 44 *rapidis*. Ruf. II pf. 12 *Gildonis*; lib. II 22 *remittat*, 23 *fudit*, 45 *nam*, 62 *summaeque a culmine turris*, 63 *certamina*, 71 *Preceptis*, 72 *abnuit*, 135 *metallis*. III cons. Hon. pf. 1 *non aquilis fas est*, 3 *saluit . . . germine*; III cons. 22 *scuta*, 49 *portare*. IV cons. Hon. 20 *tantam*, 21 *seriem gentis*, 117 *Prospera*, 126 *temerata*. Nupt. pf. 15 *renatos*; Nupt. 1 *Manserat*, 2 *pronoque*. Gild. 19 *uisu*, 518 *muros*, 519 *omnia*. Manl. Theod. 9 *quaesitus consul*, 322 *augmentatus*. Eutrop. I 51 *officium patris*; II 18 *Arescat ille*. Stil. I 66 *virga transfigere*, 67 *medus tibi cessit*, 94 *visos*, 95 *proponti*, 222 *salvus* (!); II 473 *arridet*; III 57 *lassis*. Bell. Goth. pf. 18 *libri*. Bell. Goth. 18 *tonari* (! cf. C). VI cons. Hon. pf. 17 *iunctus vel uinctus*, 19 *Quem laetus*; VI cons. 79 *teneris . . . annis*, 115 *materne*. c. m. XXV 28 *Utque fuit turbata comas, intecta capillos*. c. m. XXX 1 *cur tantum in tempore*, 25 *decus atque uni cui tanta*. c. m. XXXI 1 *primo numine*. c. m. LIII 3 *cetui*, 6 *crebri*, 12 *voluere*, 14 *pudes* (sic; cf. R), 16 *Senciat*, 17 *Cognoscat*, 19 *quae*, 54 *nullis* (om. *que*), 55 *tellus nr̄m*, 60 *ruenti*, 61 *terra dedit bis etheriis*, 67 *conexis*, 71 *erorat*, 84 *crucorum*, 95 *in formam*, 98 *iam parte*, 99 *quid torpor*, 101 *lamast*' (sic), 104 *miratur*, 108 *idā*, 109 *Palladiis*, 113 *vivendo*, 115 *porfurion*, 120 *cuncto*, 126 *rogant*. Patet tamen non prorsus spernendam esse hanc membranam;

1) sic Birtii editionem citabimus.

habet enim, ut vidisti, Stil. I 94 *uisos*, habet ib. 222 *salius*, Bell. Goth. 18 *tonari*; III cons. pf. 3 *saluit*; III cons. 22 *scuta*.

2) Codex Musei Britannici collect. Egerton n. 2627 saec. XII (?)¹). Conlotionis exempla quae sequuntur summa cum liberalitate mihi suppeditavit Fridericus Lohr, Wiesbadensis gymnasii professor, cui etiam hoc loco gratias agere non praetermittam. Incipit manuscriptum in libro primo 'In Rufinum' continetque carmina maiora eo ordine, quo expressimus; Ruf. II praef. bello Gildonico antecedit. Deinde sequuntur carmina minora eo ordine, quem sub B Birtius composuit p. CXXXV, nisi quod in initio deest carmen Fesc. III quod ibi solet iteratum extare. Tum adnectitur Raptus Proserpinae; Panegyricus Probini et Olybrii non inest. Et primum de Raptu Proserpinae referam. Pertinet hic codex in Claudiano minore ad codicum classem II, quam Bi. distinxit. Nam deest praefatio 'Omnia quae sensu' ante librum III; desunt in libro I versus 139—215, cum versus 138 sic decurrat: *flava Ceres. raptusque timens en caeca futuri*, deinde sequatur *curarum secreta* i. e. versus 216. In libro III desunt versus finales 438—448, item versus 280—360 et horum vice fungitur interpolatus unus hic *Omnis honos eqs*. Differt tamen haec membrana a classe II hac sola re, quod in libro II non solum versus ille commenticius 118, sed omnino versus 111—184 desiderantur. Lectionum in Raptu specimen hoc propono: I pf. 1 *primum secuit qui*, 8 *tendere* (pro *pandere*); lib. I 13 *astricta*, 14 *Erepti*, 15 *ternas . . . figuras*, 18 *nodos*, 19 *machaoniis figit . . tyrsis*, 43 *recluso*, 53 *pensis*, 59 *letum vitamque*, 74 *obiecit*, 75 *ad claustra*, 87 *compescuit undis*, 96 *rapta quies*, 99 *grati quod*, 103 *thalamis*, 105 *flumina*, 113 *dicto*, 118 *volutat*; lib. II pf. 42 *non cervam volucres*; lib. II 7 *praesagium* (sed *i* deletum); lib. III 423 *arvis*, 431 *via-*

1) cf. Catalogue of Additions eqs. 1882—87 (ed. 1889) p. 356.

rum. Quae omnia qui ventilaverit, nullius fere pretii in Raptu librum hunc esse facile sibi persuadebit, habet nonnulla peculiaria cum S, alia cum V communia. — Sequitur ut quid valeat in reliquo corpore carminum, demonstramus. Vide igitur lectiones: Ruf. I pf. 4 *tingueret*, 7 *spaciosis*, 13 *dulci*; lib. I 44 *rapidis*, 47 *quo* (cf. P), 50 *celo iupiter arcet*, 54 *de nostra*; lib. II pf. 12 *Gildonis*; lib. II 22 *remittat*, 23 *fudit*, 45 *nam*, 62 *summoque a culmine*, 63 *certamina*, 135 *metallis*; III cons. 22 *scuta*, 49 *portare*; IV cons. 117 *aspera*, 126 *temerata*; Nupt. 2 *pronoque*, 25 *lena*; Bell. Gild. 518 *muros*, 519 *obvia*; Manl. Theod. 9 *consul quaesitus*, 45 *dorida cum*, 322 *augmentatus*, 323 *iunctus*; Eut. II 19 *vivere*, 20 *arescat . . ille*; Stil. I 40 *in armis*, 94 *visos*, 95 *proponti*, 96 *Vanternos* (cf. P), 222 *salius*; II 473 *arridet*; Bell. Goth. 18 *ton'i* (cf. P); VI cons. pf. 17 *vincetusque*; VI cons. 115 *materne*; c. m. XXV 28 *utque fuit interiecta comas turbata capillos*, 29 *assurgit*; c. m. XXX 1 *cur tantum in tempore*, 25 *Penelope decus atque uni cui*; c. m. XXXI 1 *primum . . numine*, c. m. LIII 3 *cetu*, 17 *cognoscat*, ib. *curribus*, 18 *cur*, 19 *nullis*, 35 *stringat*, 47 *trepidusque*, 71 *exornat*. Sed taedet plura adscribere; satis elucet ex iis, quae dedimus, ad genus librorum w (IIJA et P ex parte) hanc membranam esse adnumerandam.

Parvi pendo, quae adhuc ad maioris editionis apparatus supplementa adtuli. Momenti paullo maioris esse duco, quae ad Isengrinianam editionem recte planeque cognoscendam conferre possum.

Editio Isengriniana quid in Claudiano recensendo valeat, et inter eos fere notum est qui hasce res tractant et expositum a Birtio p. CLXXXVII sqq. Nam non solum versus nonnullos Claudianeos, in nullo fere scripto libro usque adhuc detectos, soli huic editioni debemus, sed etiam nobiles lectiones sat frequenter ipsa profert. Nihilo minus textu Isengriniano pro teste confidenter uti vix licebit nisi ibi, ubi plures testes accedunt in eandem lectionem conspirantes.

Immo vero plurima insunt, quae ut singularitate excellunt ita interpolatori temerario ac saepe stupido sine haesitatione tribuimus.

Est autem operae pretium totum fere harum lectionum thesaurum in conspectu habere, quem quidem ita eruimus, ut Isengrinium cum Camerte conferamus; ille enim quae apud hunc non invenit, ex antiqua sua membrana iniecissee videtur. Qua ratione Bentinus, Isengriniani exemplaris editor, officio functus sit, proditur exemplo Eutr. I 44, ubi Camers ediderat *Coepit saepe tamen*; ille verba transponenda esse inspecto codice suo intellexit, sed prave rem gessit scribens *Saepe coepit tamen*; in codice enim fuerat sine dubio *Saepe tamen coepit*. Duos codices ab eo esse adhibitos nescio an commendetur considerato loco Eutr. II praef. 27, ubi Camers *substratus*, Bentinus duas lectiones praebet, *prostratus* in versu, *substitit* in margine; item Bell. Gild. 124 Camers *ferales*, Bentinus in versu *ferialis*, in mg. *feralis Acilia pugnans*; Eutr. I 195 Camers *non*, Bentinus in mg. *nūc vel num*. Sed nonnullas lectiones ipsum Bentinum audacius excogitasse negari vix poterit.

Et de III et IV consulatu Honorii Birtius rem absolvit nec non sat egit fere de Bello Gothico, de libris in Rufinum, de Raptu Proserpinae, denique de Panegyrico Proбини et Olybrii. Ferraro vir doctissimus erravit eo, quod quas varias lectiones Camers in appendice editioni suae adnexuit, non contulit; patet enim ex hac Camertis appendice sumptas esse Isengrinianas scripturas has: IV cons. Hon. 284 *quod*, 291 *inuideant*, 425 *infida*, 614 *Grutunni*, Ruf. I 201 *regis* (hanc suam coniecturam esse Camers plane indicat), Bell. Goth. 643 *gentis*, Panegyri. Prob. 83 *triumphatis*, 208 *omina*, Rapt. III 320 *uallata*.¹⁾

1) Memorabile in Camerte hoc dico, quod in appendice illa ad Aponum v. 9 et 10 adnotat: *legi in vetustissimo exemplari sic haec duo carmina*:

Sequitur lectionum quas promisi catalogus plenus sed ita institutus, ut et orthographica praetermitterem et eos locos, ubi apud Isengrinium typographicos Camertis errores correctos esse patebat. Plerumque Bentinum novas lectiones in suum textum inseruisse, rarius in margine imprimendas curasse scito. Denique eas Isengrinianas scripturas, quas non adfero, iam apud Camertem extare omnino teneas. Exempli causa Bell. Gild. 298 *Birtius ne dedit ex Isengrini margine*; sed Isengrinus id sumpsit ex Camerte; item Gild. 301 *sed*, quod iam Camers habet in textu; item ex critica Camertis appendice haec adsumpsit Bentinus: Bell. Gild. 5 *armis*, 281 *animus*; Eutr. I 491 *Omina*, II 172 *unda*, 347 *naso* (!), ib. 231 *infernus* (cum Camers l. l. offerat *infrenis*); Manl. Theod. 63 *studiigz*. Sed iam rem agamus.

In Rufinum II praef. 12 *Gildonis*. Bellum Gildonicum 19 *rura*, 24 *lassata*, 57 *parilem*, 78 *cótempta*, 92 *Marium uinctumqz*, 99 *perfert*, 104 *dedistis*, 124 *feralis Acilia pugnans*, 125 *permittite*, 130 *Cybele sicco*, 136 *rescissae*, 143 *laxatis*, 151 *Dipsas*, 172 *Accitos*, 193 *degener*, 208 *Separat*, 214 *gerens*, 219 *artem*, 220 *motat*, 222 *ostendunt bella dracones*, 240 *a fratre recedit*, 244 *erat*, ib. *me non*, 246 *pube*, 248 *defenso*, 253 *O*, ib. *praereptus*, 264 *recepta*, 267 *Hoc*, 270 *prodidere*, 271 *Pyrrho*, 276 *Traditur hic*, 281 *animus nutauerit*, 282 *secum Libyam*, 287 *Deprecor*, 298 *quod*, 301 *Et*, 313 *Vos opibus iunctos conspirantesqz*, 314 *cadat*, 322 *lubens*, 336 *facta*, 339 *rebellem*, 356 *uisus destringere*, 369 *bire-*

*Ludibrium neqz eni' fas est a uate relinqui
Hūc q tot populis puolat ore locū.*

Ergo in textu constituendo vetustissimo exemplari se usum esse Camers hoc quoque loco testificatur; qui quidem liber a V distabat faciebatque hoc loco cum E (et PA); nam etiam E habet *provolat*; neque vero codex Veronensis, quo hodie utimur, illud vetustissimum exemplar fuit, cum in eo desit Aponus et defuisse iam tunc videatur (cf. Bi. praef. p. XCIII et CLXIV).

mes, 377 *Alterius*, 379 *contra cui*, 381 *Auferet*, 382 *decernet*, 387 *factu*, 402 *Hinc*, 403 *lachrymisqz*, 410 *Nunc quoque nunc*, 411 *Nunc*, 413 *tremiscat*, 418 *Heracleam* (sic), 428 *age*, 428 *Romae*, 430 *neces*, 437 *hostis*, 442 *ulli*, 461 *rura*, 488 *iam uellite*, 492 *capta*, 496 *concussa*, 513 *Fluctibus*, 518 *sulcos*. In *Eutropium* I 16 *ruptone*, 17 *Rursum*, 22 *canant*, 29 *alium*, 41 *ignari*, 42 *locis*, 44 *Saepe coepit tamen*, 45 *Debita*, 48 *mollire*, 49 *inguen*, 51 *officium patris*, 57 *grandior*, 63 *Arantheo*, 74 *nititur*, 77 *auitum*, 87 *mandasse*, 91 *E*, 96 *semel*, 112 *funduntur*, 114 *desecta*, 129 *inuita*, 146 *irrepere*, 155 *primumque* . . . *produxit*, 172 *satis*, 184 *terga*, 188 *natisue*, 193 *curis*, 194 *neglectaque*, 195 *nũc uel num*, 196 *Peccet*, 201 *patienti*, 212 *teneat*, 223 *Succedunt*, 226 *spoliis*, 227 *urget*, 233 *Sic actas*, 235 *ignominia*, 237 *Aggerat*, 238 *Aversa*, 250 *Assyriis feruet*, 253 *superare*, 265 *tunicas*, 272 *mediis* . . . *praelia* (et in mg. *Quidam saevi ca'pi legunt*), 291 *Thebas*, 296 *Hanc*, 297 *quodcumqz*, 301 *ornare*, 302 *Induto*, 330 *Hi*, 337 *urbes*, 340 *ne*, 353 *iuga*, 373 *dignabimur*, 381 *reges*, 386 *defensante* (et in mg.: *Quidam defensata legunt*), 393 *pisto*, 401 *suspecta*, 405 *successit aristis*, 420 *tutum*, 430 *nocturna*, 434 *formare*, 447 *tranauit*, 462 *uerendas*, 474 *ne*, 475 *Neu*, 478 *Aristhei*, 479 *aequalis*, 486 *auerte*, 493 *geramus*, 495 *latura seges*, 502 *cadit*, 504 *At uix agnoscit*. In *Eutropium* II praef. 8 *ille*, 14 *aula*, 27 *prostratus* (et in mg. *subsistit*), 48 *Cuius tot*, 52 *Quid sibi sub*, 65 *sede*; lib. II 8 *omina uestri*, 12 *artes*, 18 *runcantur* (sic), 37 *Obstitit*, 38 *toto*, 46 *fatidici*, 48 *qui*, 50 *quam*, 61 *coena*, 85 *plaustrum*, 109 *Quassauit*, 126 *a Tybride*, 129 *deformatasqz*, 164 *excutit*, 170 *aruis*, 183 *induta* . . . *reductas*, 192 *quem Roma*, 205 *concessaqz*, 207 *pertentas*, 216 *amictus*, *amicos*, 231 *infernis*, 239 *Bithyno*, 240 *laeua*, 250 *Graio iam*, 255 *cecinit*, 263 *Sangarius*, 268 *Mollitur*, 272 *pecorum*, 273 *cedit cui*, 274 *Gethis populantibus*, 275 *Promisere*, 276 *Irrupit*, 279 *rupibus*, 280 *Cybele*, 285 *imo*, 286 *tacitas*, 293 *implorat*, 299 *non istis*, 307

latronum, 308 *Ad fontes*, 310 *uallibus*, 313 *uolat*, 316 *Quem*, 329 *Venerem*, 340 *obruit*, *abluit*,¹⁾ 350 *uulnere*, 355 *bellisque relictis*, 357 *nequicquam*, 360 *procerum*, 363 *thoro*, 377 *Cyclopea*, 386 *Praebuerit*, 399 *tumidum*, 407 *infausto*, 414 *diris*, 416 *Anciraniqz*, 422 *Angustas ignoto*, 430 *defensa*, 458 *carmine*, 483 *Rupturasqz*, 487 *Infensos*, 496 *condidit*, 507 *hoc*, 508 *hoc*, 513 *proturbet*, 526 *cessisse*, 528 *nec flammea uultum, non lumine sueto*, 531 *ac nouit*, 543 *fratrisqz*, 556 *uertere*, 558 *dignosque sodales*, 564 *leges*, 566 *squallebit*, 581 *Proditioqz*, 582 *subegit*, 584 *uacat*. *Fescennina* I 38 *traderet*; II 17 *Quirine*, 29 *flamineo*; IV 6 *iam pacata*, 22 *assidue*, 24 *Alterum*, 25 *careat*, 37 *ducit*. *Epithalamium Honorii* praef. 7 *misceret*, 9 *gracilem*, 14 *poterat*; *Epithal.* 7 *uultus quos finxit, uulnus quod fixit*, 18 *idem*, 19 *pollice*, 56 *fundit*, 60 *prata*, 70 *corrumpit*, 76 *habitu*, 83 *pennis*, 96 *riuo*, 103 *Multifidum*, 122 *remouit*, 143 *detrectat*, 146 *tendebat*, 153 *uolucer*, 157 *Altermis*, 161 *Tartesia*, 163 *caeruleae . . . laenae*, 171 *nudae . . . cateruae*, 198 *terribiles*, 243 *nova*, 244 *ceu*, 264 *proprior*, 267 *uincto*, 281 *donabere*, 286 *sacram*, 293 *accensis*, 303 *pensat*, 314 *desidet*, *dissidet*, 335 *tibi iam*. *Panegyricus Manl. Theodori* praef. 10 *ah*; *panegy.* 2 *Fortunae*, 24 *iura*, 57 *Occasu*, 63 *studiqz*, 80 *Immensum*, 82 *Hi*, 95 *propius*, 109 *creentur*, 110 *flagra*, 112 *cometen*, 121 *uolat*, 125 *plantis*, 129 *causisqz*, 167 *obtundat*, 196 *pluuuis*, 237 *minentur*, 246 *putat*, 247 *remoto*, 272 *Concinuit felix*, 279 *Et fasces subiisse libet*, 293 *colla*, 296 *deferat*, 316 *auenae*, 322 *curribus*, *cruribus*, 325 *spargentes ardua*, 331 *inuersa*. *De consulatu Stiliconis* I 4 *Sopierat . . . triumphos*, 50 *reddidit*, 55 *Persarum*, 64 *sociis*, 71 *nataqz*, 90 *censet*, 123 *Aedonas*, 148 *Nil ibi*, 157 *Sacés*, 161 *Quot*, 184 *flammis*, 188 *rapidis*, 190 *nos*, 200 *Flumineum*, 254 *Iuba*, 258 *Poenis*, 263 *Splen-*

1) Ubi sic duas iuxta adfero lectiones, utramque Isengrinii propriam esse teneas.

dent, Pendent, 263 pharetrae, 276 coniuratus, 287 quam, 308 ferant, 316 Emicuit, 328 tot iam per, 335 ne, 336 suspecto, 350 effoetos, 355 Intorquet, 373 fuerant, 380 bella, 384 adorea laurus; II 3 actore, 4 concesserit, 16 infensus, 21 cum, 22 ipse, 23 Das, 25 coherces, 30 sororis, 43 facilis, 64 contentus, 83 odiisqz, 97 fide, 115 poscit, 123 et nunquam meriti, 137 circumlinit, 145 lassant, 181 timentum, 186 limite, 197 cedit, 202 laceri, 212 ense, 214 cubilia, 225 annuerit, 226 ferre, 230 togam, 280 Ornatas, 285 metus, 311 credidimus, 312 manauerit, 328 circumfluit, 331 Te certum est, 339 gremioqz, 346 de stamine, 350 fumantem, fucantem, 362 gerendum, 374 colla, 375 propiusqz, 388 belloqz, 389 Depulsa, 392 amas, 406 conspiciam, 423 coronatus, 442 superbis, 459 nec, 465 Scorpius, 471 lutea; III praef. 1 ductus, 5 testes, 8 legibus; III 12 felix, 13 pacator, 30 Non, 34 Nec, 37 gravis, 41 pereant, 57 fessis, 64 hic Stilicho, 77 solum, 88 fastos, 91 Seqz etiam, 95 Auxilium non illa seges, 99 Hoc, 100 Libyae, 141 fatis, 147 feriret, 167 Numae est, 171 depulsurus, 173 texit, 181 pignore, 182 tua facta, 201 circumdent, 249 Leontodame, 253 Hecaerge, 266 urbe, 290 Germinat, 304 Leontodame, 308 Hecaerge .. fatiget, 317 quodcumqz, 329 montanis ... triumphis, 344 tuta, 358 usque, 368 saliantqz. De sexto consulatu Honorii praef. 23 aequatus; VI cons. 10 sibi, 23 prima, 44 tonantis, 48 puppe, 68 Imbuit, 107 ueniens e, 109 negatis, 118 parentans, 147 ingentes, 158 sonoris, 168 Fuluaqz, 203 Astae (Camers Hastae), 213 strepuisse, 214 laboris, 230 tentabat, 234 lumina, 238 consedit in imo, 244 tabes, 271 expes, 289 geminumqz, 291 Hunc, 298 charasqz, 302 Rettudit, 314 nullus ne, 315 infensi, 320 tetendit, 334 urbem, 337 Quum cinxere faces, 343 fumante, 359 uultuqz . . . corusco, 364 discernens, 369 frenabam, 372 dicabam, 400 Pharsalica, 411 Illinc, 422 Hic, 433 credit, 438 Si fama nondum patuit, 440 fuit, 455 Excierant, 468 obuia, 473 penetrauerit, 487 Tarquinio, 489 transnaret, 491 certamine, 501 praerupta,

502 *arte*, 514 *imitari*, 523 *ora*, 524 *propiore*, 538 *foedauerat*, 597 *ales*, 626 *tunc*, 628 *acutum*, 629 *resultans*, 630 *concentus*, 631 *submissa*. Deprecatio ad Hadrianum 14 *Victrices*, 41 *pro fronde*, 47 *uno*, 50 *flecteris*, 53 *insigni*. De Senatore Veronensi 1 *propriis*. De Phoenice 2 *Eurumqz*, 8 *solusqz*, 21 *Zephyros*, 22 *super*, 28 *fuertint*, 30 *Tunc*, 46 *et supplice*, 52 *lecto*, 56 *missoqz*, 59 *stellis*, 64 *remittant*, 90 *Titana*, 93 *uulneratus*, 107 *annus*. De Magnete 6 *Commoueat*, 8 *uerum*, 12 *singula*, 15 *Indus ... scrutatur*, 17 *has .. haec*, 30 *thalamos*, 43 *Materiam*, 54 *sexu*. De Aponis balneis 13 *Ardentis*, 14 *Perforat*, 23 *effossi*, 33 *tota niteret*, 45 *saeva*, 46 *leuis*, 47 *Calcaturqz*, 52 *exiluisse*, 53 *fluuio*, 70 *inempta*, 72 *calet*, 78 *utrumqz*, 84 *Inter*. De Nilo 20 *effrenis*, 30 *aestus*, 39 *seseqz patentibus*. In Alethium quaestorem 13 *Ipsa*, 19 *Ignoscat*. Gigantomachia 6 *nondumqz*, 8 *gemino*, 17 *Agnoscat*, 18 *cur*, 21 *hinc*, 23 *Hinc*, 57 *quot*, 69 *fonte*, 76 *Odrysius*, 82 *ternas*, 89 *wiro toto*, 108 *Idam*, 115 *rumpere*, 120 *Exclamant*, 127 *nostros... sinus*, 128 *succurre roganti (post feror)*. De Christo Servatore 11 *fudere*. De mulabus Gallicis 12 *rapidus*, 13 *ordine currum, limite gressum*. In Iacobum 12 *Atque tuam vincant dolia fusa sitim*. Torpedo 1 *mirae*, 2 *Audit et merito*, 3 *obnixa natatu*, 10 *Hac confisa iacet*. Ad Serenam 1 *primum*, 2 *tertia*, 13 *E Nilo*, 54 *Coniugis eiusdem*, 60 *posteriora*. De muneribus 2 *fabricabat*, 9 *decernit*. De equo Honorii 4 *natantem*. Laus Serenae 1 *mihi*, 10 *mella*, 12 *redempto*, 25 *Penelope decus atque suum*, 28 *sic*, 51 *leuat*, 77 *uomit*, 82 *tum*, 83 *agebat*, 87 *aurae*, 89 *quocunqz*, 90 *Reptares*, 98 *Theodosius*, 106 *propius*, 111 *delectus*, 128 *Inducit*, 135 *rediret*, 146 *et*, 151 *Capanea*, 160 *aulam*, 161 *Incertis*, 167 *prouidus*, 187 *fata*, 190 *delectus*, 199 *Aspiceres*, 205 *pauere*. De Crystallo I 2 *lapis*; V 4 *bina*. Ad Probinum 14 *grata*. De birrho 1 *discere*. Ad Aeternalem 3 *fert*. Hystrix 29 *partusqz*, 34 *tegit*, 35 *Quis*, 38 *mittere*, 46 *Cyconas*. Ad Maximum 1 *tu mittis*

Maxime semper. De piis fratribus 3 *Lustra*, 6 *Attollant* .. *accelerentqz*, 8 *clara* .. *implicuere*, 12 *aere timor*, 15 *dextram erigit*, 23 *animos*. Epithalamium *Palladii praef.* 4 *ille*; epith. 11 *iacent*, 37 *tentabat*, 38 *Dissimili*, 43 *relinques*, 49 *edissere*, 62 *successit*, 106 *Permulcent* .. *cantu*, 119 *Collectas*.

Igitur quae Birtius disputavit etiam hoc scripturarum quem instituimus catalogo fere comprobatur. Pauca addam, in Bello Gildonico et primo libro in Eutropium me continens.

Ac primum optima simul cum V (P) et C (E), id est cum x et y, dissidente z, Isengrinus tradidit: Bell. Gild. 130 *Cybele sicco*, 244 *me non*, 281 *animus nutauerit*, 282 *secum Libyam*, 313 *Vos opibus iunctos conspirantesque*, 314 *cadat*, 381 *Auferet*, 518 *sulcos*; In Eutropium I 44 *Saepe tamen coepit* (cf. supra), 74 *ninitur*, 146 *irrepere*, 155 *primumqz*, 201 *patenti*, 227 *urget*, 233 *Sic actas*, 250 *Assyriis fervet*, 291 *Thebas*, 302 *Induto*, 337 *urbes*, 381 *reges*, 386 *defensante*, 420 *tutum*, 447 *tranavit*, 475 *Neu*. Nonnumquam liber Capitonis lectiones y (C et E) confirmat obstante V (et P): Bell. Gild. 104 *dedistis*, 264 *recepta*, 409 *Adherbal*; Eutr. I 17 *rursum*, 51 *officium patris*, 401 *suspecta*. Saepius cum V (P) facit obluantibus C et E: Bell. Gild. 57 *parilem*, 125 *permittite*, 151 *Dipsas*, 193 *degener*, 214 *gerens*, 356 *uisus destringere*, 402 *Hinc*, 411 *Nunc*, 488 *iam uellite*, 496 *concussa*; Eutr. I 42 *locis*, 87 *mandasse*, 96 *semel*, 495 *latura seges*.

Quodsi Bell. Gild. 253 et P et Isengrinus O tradunt, cum ibi membrana V deficiat, de libro V ex P et Isengrinio conclusio conceditur. Cum solo P praebet noster Eutr. I 91 *E*, 434 *formare* (unde quid P sibi voluerit, intellegitur); cum PB Bell. Gild. 410 *Nunc*; ib. 442 P *nulli*, Is. *ulli*.

Rarus cum peioribus consensus: cum II Eutr. I 45 *Debita*, 272 *praelia*, 301 *ornare* (cf. A); cum B: Bell. Gild. 240 *a fratre*, 287 *Deprecor*, 336 *facta*, Eutr. I

223 *Succedunt*, 235 *ignominia*; cum *II B Bell. Gild.*
298 *quod*.

Quae vero maxime singularia offert Isengrinus quaeque admirationem captare videntur, futtili hario-lationi Bentini tribuenda esse dixi. Talia sunt aperte: *Bell. Gild.* 92 *Marium unctumqz*, 124 *feralis Acilia pugnans*, 220 *motat*, 222 *ostendunt bella dracones*, 244 *erat*, 246 *pube*, 248 *defenso*, 270 *prodidere* (foede vitiato metro), 271 *Pyrrho* (apertissimum glossema pro *domino*), 276 *Traditur hic*, 418 *Heracleam*, 430 *neces*; *Eutr.* I 29 *alium*, 57 *grandior*, 77 *avitum*, 129 *inuita*, 172 *satis*, 193 *curis*, 226 *spoliis*, 253 *superare*, 260 *tunicas*, 272 *mediis . . . praelia*, 430 *nocturna*, 462 *uerendas*, 504 *At vix agnoscit*, et adde *Eutr.* II 274 *Gethis populantibus* (sic).

His ac similibus ne quis credat opitulari se posse Claudiano; immo neminem fugiet summam legem hac in re esse cautionem. Quae cum ita sint, ut sub finem ea componamus, quae Isengriniana auctoritate aliquatenus corroborari videri possint, haec habe: *Bell. Gild.* 253 *O* (cf. supra), 339 *rebellem*, 428 *age* (legatur *agi*); *Eutr.* I 235 *ignominia*, II 399 *tumidum*; *Nupt.* 83 *pennis*; *Stil.* II 186 *limite*, III 167 *Numae est*; VI cons. Hon. 315 *infensi*, ib. 597 *ales*; c. m. XVIII 13 *limite gresum*; c. m. XXVIII 20 *effrenis*, ib. 39 *seseque patentibus*; c. m. XLIX 3 *obnixa natatu*.

Ex solo autem Isengrinio *Quot* recepimus *Stil.* I 161; soli Isengrinio haud scio an etiam *fonte* illud debeatur c. m. LIII 69. Quod vero ibidem versus *mancus* 128 expletus est *En iterum conuulsa feror. Succurre roganti*, ad interpolationes procaces adscribe.

Denique moneo c. m. XXIX 17 *has* non Scaligero deberi, sed libro Isengriniano; quodsi reputas in eodem versu de lectione *haec pabula* inter VP et Isengrinium esse concordiam, etiam *has* in VP extare, quamvis taceant Birtii conlationes, proclivis coniectura est (cf. hunc ipsam ad l.).

ADNOTATIONES CRITICAE.

Ad panegyricum Probini et Olybrii.

Notae librorum:

- W: cod. Antverpiensis III 59 membr. saec. XII.
R: cod. lat. bibl. Arras n. 438 membr. saec. XII—XIII.
L: cod. Laurentianus pl. 33 cod. 4 membr. saec. XIII.
F: cod. Florentinus bibl. nationalis VII 144 membr. saec. XIII.
P: cod. Parmensis bibl. regiae n. 2504 (olim n. 516) membr. saec. XIII.
B: cod. Neapolitanus IIII E 47 membr. saec. XIII.
ε: excerpta Gyraldina in margine Aldinae exemplaris Lugdunensis 757 G 2.

- 9 *Amniadae*] scripsi Prudentium c. Symmachum I 548 secutus.
17 *servantia*] cf. Verg. Aen. X 340: *hasta servat tenorem*.
22 *aethram*] *arcton*, quod praebent fere omnes, noctem valere posse collato Propertii loco difficillimo (II 22, 25) mihi non constat. sed magis etiam offendit vox tradita, quia iam v. 25 sequitur *Arcturus* et v. 26 ipsum sidus *Arctos*. itaque leepius *arcem* temptavit, quod verbum absolute pro 'caelo' dici nequit; cf. III cons. Hon. 107 *auratas astrorum arces*, IV cons. Hon. 198 *possessi arce poli*, VI cons. Hon. pf. 13 *poli stellantis in arce*. ego ipso Claudiano duce *aethram* conieci atque recipere ausus sum coll. Bell. Gild. 468, Manl. Theod. 116, cons. Stil. II 17.
32 *quam*] praetuli, quamquam uni tantum codici B haec lectio debetur.
36 *Maeotia*] 'Maeotica' falso intrudebant librarii etiam VI cons. Hon. 338; quod nomen vel adiectivum vel substantivum Cl. ignorat. cf. Bi. indicem s. v. 'Maeoticus'.
64 *Nec*] melius traditum cur reiciamus non video.
80 *Hydaspen*] adsumpsi ex ε; cf. Ruf. II 243.
113 *exhausto*] sic PWR, *exacto* LFB; illud magis poeticum esse comprobatur Vergilii exemplo Aen. IV 14, X 57, XI 256, Ovid. Met. XII 161.
128 *corsors ac dicta Tonantis*] sic elegantissime Birtius locum correxisse mihi videtur, cum *addicta* quod habent codd.

- et dativum poscat necesse sit neque per asyndeton post coniuncta quae praecedunt attributa quarto in loco poni possit. quae autem Buechelerus apud Bi. proponit, nimis artificiosa puto, ut vix intellegi possint. *adducta* LR sine sensu.
- 132 *Cauros*] ex V suo restituit Ieepius, quem vide sub Bell. Gild. 495.
- 167 *iudice*] *windice* (BWε) repudiavi, quia in pace rectorem gentium fuisse Probum atque 'ad summi iuris vestigia' venisse v. 57—60 a poeta ipso edocemur; uindicis autem notio magis ad res gestas spectaret. ceterum de Probi honoribus vide Bi. praef. p. VII.
- 198 *Graia*] Heinsius pro *graeca*; sic enim scripsit ipse noster IV cons. Hon. 398 *Graia vetustas* semperque utitur voce *Graius*, ita ut ab adiectivo 'Graecus' abhorruisse videatur.
- 211 *fragor*] pro plausu hominum etiam legitur Senec. de tranqu. an. II 13.
- 226 *Tybrī*] pro *Tibri* edidi; Graecarum enim formarum Claudianus amantissimus erat cf. Bi. indicem s. v. aliter res se habet v. 98, ubi rei metricae ratio *Tiberis* lectionem commendat.
- 227 *interfluit*] 'interluit' postea commendavit Bi. in ind. s. v. 'interfluere'.
- 231 *Unanīmi*] contra omnes libros inculcavi, non solum ut evitarem cacophoniam duorum verborum in *-es* terminantium, sed quia illius vocis formam secundum tertiam declinationem flexam Cl. non adhibuisse existumo. sic *unanīmi* tradunt III cons. 189 omnes mss., Rapt. II 368 complures, Ruf. I 105 *unanimos* firmat C consentiente A²; c. m. VII 3 autem quod Birtius cum solo P *Unanimēs* edidit, valde miror. quodsi hoc in loco repugnantibus omnibus libris audacius lectionem me mutavisse putaveris, non ita bonis codicibus panegyricum Prob. traditum esse contra moneo.
- 232 *foras*] cf. adnotationem apud Bi.
- 260 *Galaesus*] scripsi secutus auctoritatem Vergilianorum codd. cf. Georg. IV 126 (Ribb.).
- 267 *annus*] cum plerisque retinui; bene enim in exclamatione nominativus pro vocativo poni potest neque agnosco cacophoniam, immo exaggerationem quandam in *tempus* v. 266 et *annus* v. 267.

Ad Claudianum maiorem.

Notae librorum:

V: codex Vaticanus n. 2809 membr. saec. XII.

P: codex Parisinus lat. 18, 552 membr. saec. XIII.

C: codex Bruxellensis n. 5381 saec. XI.

Em: excerpta Florentina margini editionis Vicentinae adscripta.

E: eiusdem manus, cui debentur excerpta Florentina, correcturae in eodem Vicentinae exemplari extantes.

A: editio Vicentina.

(A¹: manus prima ab Em et E diversa in eodem Vicentinae exemplari.)

(A²: manus ibidem secunda, et quidem quae eadem fuisse videtur atque Em et E.)

(A³: manus ibidem tertia. hae tres A¹ A² A³ fere non observantur nisi in libris ad Rufinum.)

II: codex Parisinus lat. 8083 membr. saec. XIII.

B: codex Neapolitanus Farnesianus IV E 47 membr. saec. XIII.

A: codex Ambrosianus S 66 sup. membr. saec. XV.

ε: excerpta Gyraldina in margine Aldinae exemplaris Lugdunensis 757 G. 2.

ς: codices deteriores.

M: codex Ambrosianus M 9 sup. membr. saec. XII/XIII, unus ex ς, raro adhibitus.

In Rufinum.

- I 5 *mari . . . annis*] cf. IV cons. Hon. 304 *praescriptos homini . . . fines.*
- 47 *corrupt*] V optimus et AII, *corrumpit* Bi. cum reliquis mss., quod minus placuit; *perit* enim in versu sequenti perfecti vice fungatur necesse puto.
- 51 *Theodosius*] hanc omnium librorum scripturam tenendam esse docet versus ille in C. I. L. III 737: 'Omnia Theodosio cedunt subolique perenni.'
- 126 *catervas*] ex solo V recepi; nam lectio *figuras* nihil aliud valet atque *simulacra* quae praecedunt speciemque interpolationis sive glossematis prae se fert.
- 131 *sentit*] A solus, quod propter *quatit* quod sequitur ipsi Birtio magis placuisse videtur quam *sensit*; cf. eius notam ad l. et praef. p. CXVI.
- 141 *patriis*] omnes excepto V, cuius scripturam *patriisque* Bi. praetulit.
- 142 sq. *debent . . . parat*] *debent* C consentientibus ε V² necnon et A², cuius lectio *dedent* ex *debent* per errorem fluxisse mihi quidem videtur; *donent* reliqui, quod pro 'donatura sint' non facile acceperis. contra *debent* elegantia quadam singulari adridet, quippe cum *parat* v. 143 etiam C tradiderit. et ne quem indicativus in interrogatione obliqua offendat, mitto ad c. m. XXIX v. 2 sq., ubi vel uno in enuntiato et indicativo et coniunctivo promiscue poeta utitur.
- 151 sq. *gramine . . . gramina*] de loco desperato vide Birtii adnotationes.

- 154 *litavi*] cf. quae exposui in dissertatione 'De codicibus Cuiacianis' (Marp. MDCCCLXXXIX) p. 59 et Bi. ind. s. v.
- 173 *Instabilesque*] *que* omiserunt VII et proximus editor; vix autem deesse potest copula secundum Claudiani consuetudinem cf. Bi. praef. CCXX.
- 219 *Nec . . nec*] quamquam solus A¹ praebet probante sane A², tamen edidi quadruplicis iterationis voculae *non* taedio captus variandique studio adlectus.
- 230 *caesa*] obstantibus V et C, qui libri *caesi* (uel *cesti* C) legunt, praetuli grammatices regulas non sine causa gravissima neglegi debere ratus.
- 238 *parum est*] *est* omisit Birtius contra omnium librorum consensum, observationibus quas de Claudiani sermonis consuetudine fecit, nimis ut reor indulgens; cf. eius praef. p. CCXXIV.
- 253 *Syllae*] scribendum esse mss. monent et sic Bi. restituit VI cons. Hon. 383; cf. eius adnotationem ad l.
- 287 *cum pressa matre rebellis*] *cum pressa* duce C edidi; *rebellis* omnes libri (nam idem certe vult C *reuellis* scribens) excepto V¹ qui *rebellas* tradit, quam lectionem sine necessitate, si quid video, Bi. in *rebellans* mutavit; cf. eius praef. p. CIV sq. *cum pressa matre rebellas* Mommsenus commendat, quod placeret, si interiectio *o* ante plenum enuntiatum posita tolerari posset.
- 314 *domare*] pro *domari* recepi Birtium secutus cuius vide notam ad l.
- 324 *famosius*] CIIV² A³, *animosius* Bi. ex V¹ consentiente A², quod cum in laudes Hunorum accipi deberet reiciendum est; turpitudinem enim gentis illius vividis coloribus nec sine odio depingit poeta.
- 343 *rapidos*] *trepidos* Bi. ex V qui habet *tepidos* et Isengrinio; quos tamen sequi nolui, quamquam haud inepte equos duce Formidine *trepidos* vocari posse concedo.
- 371 *non*] etsi solus B praebet concordante A³, refeci nimis offensus illo *et . . nec vili* quod recepit Bi. *non vili* pro 'ne vili quidem' positum esse adparet. ceterum attendas velim, quam eleganter adludat poeta ad exitum Rufini, cuius scilicet corpus laniatum laceratum discissum sepultura omnino caruerit.
- II praef. 2 *promissis*] proponit Bi. (praef. p. CV), ut pleonasmus quo verba *permissis . . . licet ire choris* laborant evitetur.
- II 49 *fatis*] Em^bε; *causis* reliqui; sed *brevis causa* vix dici posse contendo. porro autem sensus ipse ut *brevibus fatis* pro 'brevis tempore' legatur plane flagitat, id quod docent versus 52 et 53.

- 55 *Calchedonias*] sic scribendum esse ipse monet Bi. in indice s. v. *Chalcedon*.
- 74 *potestas*] omnes exceptis VEm ϵ , qui praebent *facultas*. illam lectionem cur praetulerim, inspecta Birtii adnotatione adparebit.
- 76 *stipatur*] V solus, *stipatus* cum reliquis Bi. sed cum soli Rufino castra hostium patuisse v. 73 videamus, quae sequuntur v. 75—77 ex *iactabat* pendere nequeunt; itaque etiam interpunctionem mutavi.
- 86 *tum vultus*] sic VII nec aliter vitium, quod habet C *tumultus*, oriri potuit; librorum igitur optimorum VC conspirationem hic agnoscere debemus, quam ubicumque licuit secutus sum.
- 87 *ne*] quod Bi. coniecit ipso codice C fortasse consentiente, recipere non dubitavi.
- 106 *Amplexus*] cum optimis libris VCEm^b lego; reliqui et Bi. *Complexus*.
- 141 *faciem*] contra *rabiem*, quod praebent A¹ ϵ V¹, unice tenendum esse ex ipsa Birtii adnotatione elucet.
- 149 *volitat*] '*herumschwärmt*' non tantum offensionis habet ut ad coniecturam confugiendum sit.
- 159 *fruat*] haec lectio, etsi non ita firma auctoritate (II²M²A necnon et Em^b) sustinetur, tamen magis placuit quam *fruetur*; quae enim antecedunt v. 156—158, praesens tempus poscunt, non futurum.
- 160 *Thracam*] scripsi; *partem* codd. depravatam locum quomodo sanare possem, diu mecum consideravi, sed traditam lectionem quippe sensu cassam textui denuo inserere nolui. *Thracam*, quod proponere atque edere ausus sum, fortasse eo commendabitur, quia hostem ex Illyricis finibus Constantinopolim adgressurum Thraciae instare consentaneum est. de forma vocis quamvis rara tamen non insolita cf. e. g. Hor. Ep. I 3, 3. Birtius postmodo sic legi iubet: *Quid aperta invadere temptat?*
- 167 *undas*] ex solo V optimo libenter accepi; reliqui *umbras*.
- 168 quantas hic versus moverit difficultates, videas in Birtii adnotatione. spurium esse non puto, quia si deesset acumen summum et elegans desideraretur. sensum peroptatum adsecutus esse mihi videor, si legam: *Nec mea sola meus ridebit funere victor*. inutilia ad hunc locum adnotavit vir doctus in 'Litterar. Centralbl.' a. 1893 n. 3 p. 83.
- 239 *qua*] *quo* AII², quorum auctoritatem cur Bi. sequi maluerit, non video.
- 246] *figat*] E solus, quod praetuli; si enim *figet* legimus, sequi debet 'haec patria erit'.

- 255 *demissaque lumina velat*] de hoc loco ad Iliad. lib. XVII v. 136 recte me misit Skutschius; hic enim vir doctissimus eximia comitate etiam plagulas huius editionis perlegit, nonnulla monuit perutiliter.
- 270 *Clam*] *Iam* codd., quod sine ulla dubitatione aspernatus sum, cum haec particula in ipso initio enuntiati regentis extet neque nisi aperto calami errore hic inrepperit. contra *Clam* ad sensum aptissime quadrare mihi persuasit locus Marcellini Comitis chronographi, qui his de rebus sub anno CCCXCV sic refert: *Rufinus Patricius Archadio principi insidias tendens Alaricum Gothorum regem missis clam pecuniis infestum reipublicae fecit.* quae de ratione inter poetam nostrum et Marcellinum Comitem intercedente equidem cogitarem, in Mus. Rhen. tom. XLIV p. 599 praetereundo adumbravi, mox autem si dis placet publici iuris faciam.
- 290 *Haemus*] Em et ε, quos sequendos putavi. nam primum fluvius 'percurri' vix potest; deinde *Hebrus* (sic enim Bi. cum ceteris mss.) in Thracia est et in Rhodopes latere orientali; itaque primum deseri Rhodopen memorandum fuisset, dein in Thraciam tendi, ultimo Hebrum percurri. ergo *Haemum* restitui, nam Rhodopen quasi Haemi partem inductam licentiae poetae facile adtribuemus.
- 312 *novis*] nunc bono animo edidi pro 'advenis' accipiens. olim conieci apud Bi. *meis*, quod vel propterea displicet, quia in sequenti versu eadem vox occurrit. ceterum ad usum huius verbi Claudianeum cf. IV cons. Hon. 35 ubi *novis* idem valet atque 'usque adhuc non visis'.
- 323 *quae quisque petat*] cum solo Em scripsi; si enim *quas* legis, pleonasmus molestus oritur.
- 350 *limite*] rursus quod praebent Em et ε, magis placuit, quam *tramite*, quo haud ita apte terrae linguam in mare proiectam significari credo.
- 371 *extendere*] Eε, quod etiam Bi. postea adprobavisse videtur, qui in indice hunc locum etiam s. v. *extendere* adnotaverit; ipse in contextu habet *intendere*. cur autem illud praetulerim, sensus ipse docet; praeterea verbis *incolumes* v. 370, *intendere* v. 371, *insperatoque* v. 372 oriri cacophoniam putavi.
- 393 *rumore*] eleganter excogitavit Ieepius; *mucrone* omnes mss., cui lectioni interpretatione Buecheleri quamvis perspicua auctoritatem speciemque aderescere negaverim. manet enim difficultas, quae est in ipsa verborum compositione; manet etiam repetitio nimis ingrata, cum idem iam valeant verba quae antecedunt: *seges undique ferri circumfusa micat.* porro si diligentius comparationem poeticam, qua hic locus

ornatus est, persequaris, vitium illud traditionis agnoscas necesse est. tertium enim quod dicitur comparationis in verbis *Illa pavet strepitus . . . et tanti miratur sibila vulgi* positum esse quis non concedet? desiderari ergo in versu 393 vocem talem qualem 'clamore' in propatulo est, id quod confirmant v. 384 sq. verba *vox desuper ingens infremuit*. itaque ad coniecturam delegati, quin Ieepio adsentiremur, facere non potuimus.

- 525 *ipsumque*] Birtius proposuit, *nostrumque* codd., quod an iure repudiaverim, nunc dubito. cf. enim Rapt. I 27 sq. *Proserpina . . . possedit dotale Chaos*.

De Bello Gildonico.

- 54 *alerent*] sc. Libya Nilusque. Birtius quare *alerem* ex P¹ solo reciperet, non satis declaravit.
- 57 *Pharium*] Skutschius contulit Stat. Theb. III 222: (*haec navis*) *prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum*.
- 59—62 interpunxi duce Mommseno.
- 69 *praeda*] *praedo* Bi. ex IIB, quos testes minoris pretii sequi nolui. ceterum bene ipsa praeda dicitur id reliquisse, quod ex praeda relictum est.
- 88 sq. *bellis . . . agebant*] *bello* quamquam VP commendare possunt, propter numerum pluralem *clades* et *saecula* reieci eademque de causa *agebat* displicet, praesertim cum haec lectio non nisi libris IIA debeatur.
- 91 *Syphacem*] de huius nominis mensura insolita cf. quae exposuit proximus editor in praef. p. CCXI.
- 130 *Cybele sicco*] hunc verborum ordinem confidenter cum optimis VC retineo; quod enim Bi. in reliquorum librorum scriptura *sicco Cybele* magis gratam atque poeticam esse dixit verborum conlocationem (cf. p. CXIV), non summi momenti est; ceterum oppositioni membrorum *nec-nec* particulae sufficiunt.
- 183 *redolens*] scripsi, *redolent* codd. *mixtos redolent unguenta cruores* coniecit Bi., quod mea quidem sententia recusandum est. sic enim totius loci compositionem intellego: poeta postquam saevam crudelitatem Mauri satis depinxit, inde a versu 182 turpissimarum libidinum, quas Gildo eiusque sectatores exercebant, mentionem facit. itaque v. 183 vocis 'sanguinis' vel 'cruoris' repetitio neque ullo modo desideratur neque omnino optata videtur; nam in praecedentibus amplissime de sanguinolenta saevitia Gildonis transactum est. iam vero cum quae de novo genere libidinis nunc dicenda sunt, versibus 184 sqq. explicari adpareret,

- si enuntiatum regens efficeretur verbis *mixtis* . . . *coronis*, inexpectatum ingratumque existumavi. quod qui reputaverit, fortasse scripturam quam obtuli probabit.
- 201 *ni*] VP II; *nisi* reliqui.
- 241 *Infirmo*] Bi. proposuit ac defendit in praef. p. CIV n. 2. *In primo* enim, quod habent omnes libri, quis sanum esse sibi persuadeat? vel quis Gesnero pro 'primum in genitore' accipienti adsentiat?
- 247 *petisset*] hunc manuscriptorum consensum ut desereret Birtium locus Alcimi Aviti c. VI 259 movere non debuit; ibi enim verba 'signa petunt' habent sibi accusativum dependentem 'adversarios', hic autem si legas *Si signa petissent obvia*, traditam lectionem vix emendaveris; nisi quod sane transitiva sine obiecto satis in deliciis habuit poeta (Bi. praef. p. CCXXV).
- 299 *patre remoto*] quid habeat offensionis hic locus quaque via medelam adsecutus sim, apud Bi. iam expositum est. de participii 'remotus' in fine versus positi usu praeamato cf. praeter locum illic adhibitum etiam Manl. Theod. 247, Nupt. 42 et 325, Rapt. I 219, Bell. Goth. 421, VI cons. Hon. 447; nec fortasse sine fructu conferendus est epitaphius Constantii Chlorigi hoc ipso anno a Mommseno in Hermae tomo XXVIII editus, ubi versus 17: *tristes stant acies magno ductore remoto*.
- 330 *devictos tenuit fiducia Mauros*] sic plerique et optimi libri, contra quos *devictis tenuit dementia Mauris* Birtius sine necessitate praetulisse videtur; cf. etiam eius adnotationem.
- 347 *Servati*] hac voce offensus Bi. *Devicti* excogitavit, ego rectissimam lectionem traditam puto; ut enim Firmus Theodosio, ita Gildo Honorio ad vincendum servatus (i. e. reservatus) est, quo melior fulgeat gloria domus Theodosiorum. ceterum eodem sensu vocem 'servare' adhibuit poeta in Eutr. II 36 sq.: *Quam, numina, poenam servatis sceleri?*
- 395 *Occidit*] ΠΒΑ, *Obtruncat* cum VCε Birtius, sed ipse, quia per totum enuntiatum tempus praeteritum obtinet, de lectione optimaе librorum classis dubitabat (p. CCXXIII).
- 402 *Hic*] *Hinc* V¹P; sed illud cum C maxime restitui, Gesnerum secutus cuius verba adpono: 'Sed excusationis aliquid habuit Atreus, qui se Thyestae adulterium, in coniuge sua Aërope admissum, ultum ierit.' *Hic* autem i. e. 'apud Firmum' *odium, non poena fuit*.
- 414 *dum*] contra VP qui praebent *cum*, recepi; illud enim semper, hoc rarius indicativum postulat.
- 441 *oneri*] *ovium* V solus, quam lectionem etsi sagaciter defendere proximus editor conatus est, tamen accipere nolui.

verba enim quae sunt *Arma oneri, fuga praesidio* non incompositam repetitionem, sicut animadvertit Bi., sed totius sententiae, qua de armatura et pugnandi consuetudine Maurorum agebatur, quasi conclusionem non ineptam continere equidem censeo. *Arma* autem telis iaculisque, hoc est levi armaturae opposita esse memento. denique libro V — licet optimus sit — multo minorem fidem habendam esse in versibus et aliis et his ipsis Gild. 420 — 445 infra ad Fescenn. 1, 3 pluribus demonstrabo.

- 473 *nec mons aut silva*] cum optimis libris VPC consentientibus retinui.
- 488 totum versum VP secutus edidi, cum reliqui libri legant: '*Solvite iam, socii*', clamant '*aut rumpite funem*', quod praetulit Birtius et festinationem classiariorum verbis *Solvite . . aut rumpite* praeclare depinctam esse autumat. ego in contrarias partes transii, cum debilis potius ac parum apta haec gradatio esse nimisque glossatorem in synonymis ludentem resipere mihi quidem videretur. contra in verbis ab mss. VP traditis anaphoram efficacem et poeta nostro vere dignam agnoverim.

In Eutropium.

- I 6 *visasque*] omnes libri praeter B, cuius lectionem *binasque* Bi. probavit et adsumpsit coll. Plinii Hist. Nat. II c. 99; sed idem locus Plinianus docet in talium prodigiorum descriptione verbum 'videre' magnopere usitatum esse neque igitur est, cur librorum consensum fere omnium recusemus. ceterum Iulius Obsequens 31: *interdum etiam duae lunae visae*; et similia idem saepius.
- 13 interpunctionem post *fibris* a Birtio et Mommseno propositam cave ne sequaris et ipse Bi. bene cavet. verba enim quae sunt *Quae nova portendant superi* ad tria illa quae praecedunt enuntiata, non ad vocem *nefas* solam adposita esse sine dubitatione contendo. porro aequabilem sententiarum illarum constructionem quis tangere audeat?
- 20 *diras*] de hoc loco vide quae exposui 'De codicibus Cuiacianis' p. 58.
- 23 *Sic omnia nobis*] cf. ibidem p. 59 et 62 (sub Addendis). si quis vero de lectione etiamnunc dubitet, locum adferam ita concinentem, ut iam desinat dubitatio, VI cons. 297: *Sed pignora nobis Romanus carasque nurus praedamque tenebat!* amat scilicet Claudianus sua ipsius verba repetere.
- 31 *uno*] *uni* P¹II ex coniectura ortum videtur ideoque reiciendum; *domino . . . uno* pro ablativo absoluto accipio. similia contulit Gesnerus ad l.

- 74 *nitimur*] praeclare conservaverunt II¹V², cum reliqui *nititur* tradant, quod recepit Birtius. sed post sententias generales, quae versibus 72 et 73 continentur, nunc de se ipso sui que similibus eunuchum loqui iam verba *Nos Lucina fugit* apertissime docent. deinde si verba *nec ... amor* in unum enuntiatum constringas, sequentia *defloruit oris gratia* brevitate laborant et incomposite iniecta sunt.
- 91 *E gemino ditata mari*] *E* pro *Et* solus P¹, quod ita placuit Birtio, ut in textum reciperet, fecitque hoc certe suo iure; neque ipso mari ditatur Lais, sed iuvenibus e mari utroque Corinthum venientibus.
- 93 *tactu*] *iactu* nulla auctoritate adiutus Hauptius commendabat, plectus loco illo Horatii. sed ibi fenestrae quatiuntur iactibus, hic de ianua agitur; neque iactus pertinet nisi ad remotiora.
- 108 *rapido*] ne quis *rabido* legendum putet, conferatur locus Vergilii Ecl. II 10, quem aperte noster imitatus est: *et rapido fessis messoribus aestu*.
- 155 *primumque*] cum plerisque et optimis membranarum retinui. Abundantius enim Eutropium primum exitium sibi produxit, tum rei publicae.
- 156 nihil in hoc versu mutandum est. neque enim ad *summos honores* trahere debemus genitivum *thalami*, sed spectant haec ad summos magistratus, quibus potitus est Eutropius, quem et consulem et praefectum praetorio et magistrum militum fuisse a Birtio edocemur (p. XXX n. 6 et in indice sub nomine). verba autem quae sunt *ab imis thalamis* explicationem habent iis quae v. 105—109 de munere eunuchi poeta prompsit.
- 172 *vota pati*] offendebatur his Birtius; sed *vota alii* quod proponit iam eo intolerabile videtur, quia elisionem in hanc sedem hexametri per coniecturam inferre vix licet. hoc autem recte v. d. monuit, agi non de votis et somniis Eutropii sed aliorum, itaque vertendum est: *was für die Wünsche der Menschen unerträglich und selbst für ihre Träume unausdenkbar ist*. idem Bi. in indice p. 553 *pati* defendit conlato Ruf. II 7; IV cons. 177. certe *satis* quod habet Isengrinus nemini placebit.
- 175 Buechelerus verba *Qui ... dissimulat* in unam sententiam comprehendere iubet. at vero illud *tantum* v. 174 prorsus exigit, ni fallor, sibi opponi vocem *nihil*, quae extat in sequenti versu.
- 178 *gemescunt*] *E* et *C*, quod recepi, quia *E* summam in re orthographica habet auctoritatem; cf. 'tremescere' in codd. Vergilianis, similia. itaque etiam in Raptu III 130 *gemescunt* restitui.

- 195 *Claustra remoliri*] cf. Statii Theb. X 527.
- 211 *Quo*] non *quod* adsumpsi, quia illud optimis utriusque classis libris, V et C, fulcitur.
- 238 *aversaque*] *adversaque* P, quod commendari possit loco Statiano Theb. V 357, quem adtulit Bi. sed recte ille *aversaque* edidit; hic enim malevolentia deorum in Eutropium, magistrum militum, exprimi debuit, quod qui intellexit Baehrensius etiam in Statii cognatum locum *averso* inferri iussit.
- 267 *ineptus*] sic optimi libri V et C, quod ideo retinendum putavi.
- 281 *quin*] iure Bi. offensus est versibus 281—284 (*Geminam ... decet*), quippe qui nullo vinculo cohaerent cum praecedentibus. nempe versibus 234—281 expositum est de Eutropio magistro militum, qui barbarorum devictionem sibi adrogat; proponitur ut potius Cybeben quam Martem colat. nunc subito de insidiis agitur, quibus Gildonem Orienti conciliaverit odiumque inter principes excitaverit. interrogativum *quid* speciem prae se fert quasi haec artisime conexa sint cum antea memoratis et quasi nunc de re eadem agatur de qua in prioribus. itaque quoniam spurii versus vix esse possunt — quis enim credat? — mihi persuasi vitium inesse in ipso *quid*. scripsi *quin*, quod pro *quin etiam* legitur Eutr. II 526, Stil. II 160.
- 309 *dominus*] *domini* quod praebet solus testis ε, recipere non ausus sum, quia deest E, qui nisi consentit, de ε dubitari possit. *dominus* de Arcadio accipiatur necesse est, quem caute ignominia perstringere videtur poeta; idque addendum esse puto ad ea, quae conlegit Birtius in praef. p. XLI.
- 357 *Iudaicis*] nihil mutandum est; cf. Birtium in Mus. Rhen. tom. XLV p. 491.
- 367 *Quod libet ingenio*] versui lucem addidit Birtius 'Zwei politische Satiren' p. 45 adn. sensumque quem postulavit prorsus probo; tamen ego in optimorum librorum lectionibus insistens sensum non mutavi dum scribo: *Quod libet ingenio, subigit ... de ingenio* confer illud *ingenium Veneris* lib. II pf. 60. dativus autem qui exigitur ex antecedenti *poscentibus* facile supplendus est.
- 392 *non longinqua*] coniungendum esse monet Skutschius; cf. Birtium ad locum.
- 412 *repens*] optimi tres mss. EVC, quos cur relinquamus nulla causa est; sic *repens clades* scripsit Livius XXII 7, 4 et 8, 1. apud Claudianum *repens* adiectivi vice fungitur, quod ex copula sequenti *terrorisque* elucet. itaque Weissbornium probo, qui etiam apud Livium *repens* pro adiectivo, non pro adverbio accepit.

- 445 *igne*] cf. Birtii indicem s. v. *ignis*.
- 450 *socium aversatus*] remove noli, cum consulto poeta voci *adservabantur* in v. 448 hanc cum iucundo ludo verborum opposuisse videatur; et adtendas velim ad adsonantiam *aversatus Averno*.
- 456 *surgas*] Birtius; *surgat* codd.; illud cur placuerit, primo obtutu adparet.
- 499 *ritu*] *sistro* Em ε, quod probaverant omnes fere post Heinsium; sed Bi. de lectione dubitationem movit in praef. p. CXII, refutavitque rectissime iam Gesnerus argumenta Heinsii. sensus enim hic est: regnet sterilitas, desinant conubia, vivatur denique, sicut vixerant Amazones, sub imperio muliebri et sine conubiis i. e. *Amazonio ritu*.
- 504 *Eurus*] non *Hebrus* legendum esse defendi in *Philologi* tom. XLIX p. 567 sq.
- II praef. 16 *procumbit*] plerique et optimi libri; *procumbunt* BA, quod correcturam docti librarii sapit (cf. Bi. p. CCXXIV).
- 32 *facit*] quibus de causis scripserim, expositum invenies loco citato p. 568.
- 40 *iam*] cum optimis edidi; scilicet *vates tui iam* somnia non vident, sed *pervigilant* a somno et somnio alieni.
- II 15 hic locus ipse ulcus habere videtur, quod adhuc frustra sanare viri docti conati sunt. sanatus autem esset, si ex Stil. II 205 *vulnus tectura* hic inculcare quispiam auderet. ceterum *ulcera eruperunt* etiam legitur apud Senec. de tranqu. an. II 12.
- 62 *ferat*] ex C restitui propter praedilectum apud Claudianum praedicati numeram singularem, qua de re confer Birtii praef. p. CCXXIV; et adnotandum est Pulmanni codicem unum, Plantinianum J, hoc loco exhibuisse *refert*, quod licet de fide libri dubites, certe tamen eodem tendit.
- 83 *videbant*] quod initio scripserat P¹, Buechelerum secutus restituendum putavi poetae.
- 149 *move*] bene proposuit Birtius propter *verte* et *sume*, quae sequuntur.
- 176 *alae*] ex *aulae* summa cum vi persuadendi olim restituit Rubenius.
- 185 *redeunte*] Bi. ex ε solo induxit *retinente*, quod certe praestat coniecturis Ieepianis. attamen sine dubio acquiescendum est in lectione *redeunte*, cuius optima fides; scilicet mitra redit circa caput in orbem; sic ex Quintiliano enotant: *ille qui in se redit orbis*; itemque Vergilius Georg. II 401: *redit agricolis labor actus in orbem*; alia.
- 231 *infernis*] ex solo A recepi; neque enim intellexeretur, qua lege *alae ipsae infernae* dicerentur, requiritque etiam *tenebris* suum epitheton.

- 235 *viderat*] optimi testes VC, quorum auctoritatem cur repellamus non video.
- 303 *torvi lacrimis*] duce C transposui, quia amat poeta adiectivum conlocare ante penthemimeren, si substantivum in fine positum est.
- 337 quod Bi. *Munditiae* interpungendo separavit, minus placet; ego rursus coniunxi *minimeque viriles munditiae*. hanc vocem autem de orationis munditia sive venustate interpretor, quod vix opus est exemplis commendare. sic tandem excusatur, quod inter asyndeta semel intermissa est copula *que* in *minimeque*, quo offendebatur Birtius (cf. praef. p. CCXXI); est enim *munditiae* alterum subiectum et ipsum quoque ad praedicatum *laus maxima* pertinet.
- 340 *obruat*] Birtius, quod ad sensum unice quadrat. de varietate scripturarum vide eius apparatus criticum. ceterum defenditur quod edidi etiam versibus huius libri 37—39, ubi poeta Constantinopolim pro criminibus Eutropii Neptuno concedit.
- 351 *defossi*] V¹φ, sed o V¹ in litura, *defessi* S. defossi iure defendit Truppius, neque enim *terga defessi* dici possunt homines illi, qui principum munere funguntur, sed habent sane in tergis verberum vestigia i. e. defossa terga verberibus.
- 397—399 praestantium codicum EC scripturam *furorem* eo magis restituendam putavi, quo faciliorem esse videbam errorem reliquorum *m* finale omittentium. unde quid lucrum, in propatulo est; tota enim harum sententiarum compositio concinnior facta est, ubi accusativos *Tarbigilum* et *Gruthungos* separare iam non iubemur. itaque interpunctionem mutavi. porro *timidum* ex omnium fere consensu praetuli quippe quod attributum aptissimam relationem habeat ad *oves* quae sequuntur; et optime in ore Leonis, militis gloriosi, *timidus* audit adversarius.
- 471 *puppibus*] *spectari e puppibus* V similiterque ut videtur P¹, quod displicet propter elisam *i* vocalem. infeliciter etiam Heinsius *e rupibus* coniecit; nam nautas esse, qui nuntios de incendiis adferant, maxime conligitur ex v. 473, ubi in pelago favilla velis inhaerens observatur. denique locum sic explico ut *puppibus* sit dativus: puppes ipsae in navigando spectant urbes accensas.
- 489 *rerum*] quod praebent codices, ferre nequeo, quia eventus rerum certe magister non est; nec si *rerum* ad *eventus* trahas, id satis placet; nam *eventus* absolute positus est apud Livium XXII 39, 10 (*eventus stultorum iste magister est*) et apud Ovidium Heroid. II 85 sq. (*careat successibus, opto, quisquis ab eventu facta notanda putat*). recepi igitur

- Birtii coniecturam elegantem *serum*, id quod non longe abest a lectione tradita et sane probatur coll. v. 500 sq. 520 *proiectis*] contra solum V¹, qui habet *prostratis*, retinui. 557 *At*] ex C potissimum refeci, nam V¹ deficit; *Sed* non bene iteraretur ex v. 555. 592 *Has, Stilicho, tendo lacrimas*] hanc sinceram poetae esse scripturam mihi persuasit Birtius praef. p. CCX adn. 5 et p. CV.

Fescennina de nuptiis Honorij Augusti.

- I 2 *doctior*] Horatii loco I 29, 9 pellectus cum solo V edidi — et ita ediderat Ieepius, — sed nunc ipse an iure fecerim, dubito, cum non solum codicis V auctoritatem in Fescenninis minorem esse eluceat ex iis quae adnotat Bi. (p. XCV), sed etiam lectionem *certior* exquisiti aliquid habere equidem concedam.

Et de minore auctoritate, qua hac in parte V utitur, paullo copiosius agam. illam membranam clarissimam qui perscripsit librarius principalis omisit simul Belli Gild. v. 420—445 et Ruf. II v. 527 et Fescennina et Nupt. praef. v. 1—16; neque vero idem librarius fuit, sed corrector vetustus, qui alia manu et Gild. 420—445 et Fescennina et Nupt. 1—16 in folio adiecto una supplevit. haec quae dixi supplementa quid tandem valeant diiudicare nostrum est. et certo prava sunt haec: Gild. 490 *adeo festinant*, Fesc. I 18 *pious*, 22 *ibit* (pro *uret*) et *in* (cum P), 25 *horridis* (pro *acerbis*), 27 *o* (pro *cum*). 31 *tũ*, 37 *que*; II 13 *micius-que*, 14 *spadus*, 30 *mãr*^c (pro *stemma*), 31 *boothē*, 32 *intumescit*, 41 *aquilone*; III 5 *Gratus*, 8 *prius*; IV 5 *Nec* (cum B) et *agredi* (cum B), 13 *Quod* om., 14 *hoc quotiens indepl*^o (*m* ex corr.), 24 *hanelitus*, 26 *tirias*; Nupt. pf. 5 *chiton* (sed corr.), 15 *renatos* (cf. II et P). quae depravationum longa sane caterva est eoque magis scrupulos inicit, quia in P plerumque veriorem scripturam servatam videmus.

Contra commendatur V his tantum scriptionibus, de quibus dubitari vix possit: Fesc. I 23 *Quot* (cum B); II 3 *herilis* (cf. in E *erilis*); IV 37 *ducit* (cum II A contra P); denique Fesc. I 18 *voles* (cum A et M); ego vero his omnibus consideratis iam etiam de ipso *voles* haesito; fieri enim potest, ut potius E sequendus sit, egregius auctor, ex quo *petes* traditur.

Denique hae sunt lectiones, de quibus in diversas partes discedi possit: Nupt. praef. 11 *non* (quod ego nunc quidem eo confidentius reicio); Gild. 441 *ovium* (de quo dictum est ad locum); Fesc. I 2 *doctior* quae maxime lectio in causa est.

Librum P artissimo vinculo cum V ligari Birtius evicit; itaque haud scio an duce P conligi possit veram manum 1 in V nonnumquam lectiones P exhibituram fuisse, e. g. Gild. 423 *leonis*, 424 *iturus*, 433 *fremitus* (et id ipsum recipiatur velim non obstante nisi C); Fesc. I 29 *Qui* (pro *Quis*); II 17 *tybris* (pro *tibris*); II 31 *wirecta*.

- 11 *Freno*] *Praedo* B ε et E. quis tamen venantem Honorium praedonem dixerit? profectus autem ex hac lectione Heinsius *Fraeno* proposuit, qua mutatione fere nihil mutatur nisi littera *d*. pertinet autem hic ablativus ad *reges* (cf. Stil. II 371). quod vero in reliquis codicibus exhibetur *Praeda*, hanc scripturam ex illo *Praedo* ortam esse existumo. certe Gesnerus verum non adsecutus est explicans odore praedae cornipedem esse citatum. immo 'equus citatus' sine ablativo solet poni, quod exemplis firmare opus vix est neque nisi hoc unum adpono ex Vergilio Aen. XII 372 sq. *spumantia frenis ora citatorum dextra detorsit equorum*. vides hoc ipso loco Heinsii coniecturam adeo commendari, ut recipi queat vel debeat.
- IV 22 *assiduo*] *assiduis* VP vel propter terminationem moleste repetitam displicet praetereaque eo suspicionem evocat, quod pro *mutuis* perversam lectionem *nuncii* illi duo tradunt. ex hac scriptura *assiduis* haud scio an fluxerit Birtii coniectura *adsidui* scribentis. sed acquiescendum putavi in reliquorum testimonio, quo legitur *adsiduo* neque causam idoneam video, qua hoc adverbium removeamus.

De nuptiis Honorii.

- praef. 13 *Centauri Faunique*] quid sibi velint, aperuit Birtius in indice s. v. *Centaurus*.
- 19 *nectebat pollice*] sic meliores VP et E (nam *nectebat A* quod E adprobasse videtur), quos testes principales utriusque classis manuscriptorum sequi malui. patet enim eos libros, qui *pectebat* offerunt, etiam falso *pectine* offerre, ex quo concluditur in iis grassatum esse interpolatorem. Birtius autem adlitteratione speciosa pellectus diversa coniunxit ex alteris *pectebat* adsumens, ex alteris *pollice* (cf. praef. p. CCXIX).
- 47 *placidaequae*] pro *placideque* redintegravi; neque enim Amor hoc loco 'placide volare' dici potest, quia in versu sequenti *iactantior* audit.
- 52 *candentes*] cum plerisque edidi vel propter c. m. XL 15: *Candescet . . Meroe . . pruinis*.

- 52 sq. hos versus cur transposuerim, apud Birtium indicatum invenies; et vide eius indicem sub *neque*.
- 108 *rapitur*] de hoc loco cf. quae exposui in Philologo tom. XLIX p. 569.
- 126 *solvit*] hac voce complures editores necnon et Birtius offensi sunt et hic quidem *silvis* esse legendum coniecit. attamen *solvit* teneri posse puto cum Gesnero, qui similia iam contulit. confer etiam apud nostrum Ruf. II 345 *olvebat colla* et imprimis Stil. II 9 *chaos Clementia solvit*. de lectione autem *fulmina* quamvis debile sit librorum testimonium, dubitatio moveri nequit.
- 135 *sparsa diversi*] *sparsi diuisa* II² et Birtius, quod parum habet auctoritatis; *sparsi diuersa* plerique, quod vix sufficienter explicari potest; *pars aduersi de plebe* V¹, quae verba sicut sunt, sane sensu cassa sunt, sed proxime accedunt ad ea, quae legebat in codice (eodem?) Vaticano Livineius (cf. Burmanni ed. p. 795) quaeque ita speciosa mihi videbantur, ut textui insererem (conferas quaeso *sparsa diversi* cum *(s)pars ad(i)versi de*, quod habet V¹).
- 160 *voluto*] ex VP restitui, *pisce voluto* pro 'ea monstri parte, quae piscis erat, in altum erecta' interpretans. hoc verum esse praeclare docet Monacensis illa imago marmorea clarissima Nereidum in monstris marinis vehentium, quam quidem ad Scopam referebant viri docti. haec enim monstra, ut sedere possit Nereis, partem suam pisceam in altum volvunt. sic igitur etiam tigris haec *pisce voluto sublevat* Nereidem. vide etiam sarcophagi sculpturam apud Clarac Mus. Pl. II 208; alia.
- 165 *onerant*] *ornant* Bi. ex S; illud tamen tenendum puto et accipiendum pro 'splendide et super modum donare' *überschütten*. eodem prorsus sensu hoc verbo uti solet Livius, cf. e. g. XXXV 11, 16 et quae ibi conlegit Weissenbornius.
- 167 *Psamathe*] Birtius; *pigmea* VP, *spatale* reliqui, quorum neutrum nomen est Nereidis. lectio *Psamathe* ad litteras traditas propius accedit quam *Panope*, quod excogitavit Ieepius. fateor tamen me diu haesisse dubitantem, an hunc in modum corrigere liceret nomina. Skutschius ut in nomine *Doto* v. 169 adlusionem quandam ad *dare*, ita in *spatale* ad graecam vocem *σπατάλη* agnoscit.
- 190 *nostri*] hac voce frustra editores nonnulli turbati sunt. Venus *agmen suum adfatur*, hoc agmen praecipue de Amoribus interpretandum esse patet, quorum numerus cum paene millenarius esset, certe praevalebat Gratiis et Nymphis. cf. etiam v. 153 *Prosequitur . . . comitatus Amorum*.
- 243 *modo*] gravissimus huius lectionis testis est P; itaque etiam de V, qui in his versibus deficit, conclusionem facere licet.

- 276 *O]* omnes praeter *E*s qui tradunt *I*, quod recepit *Bi*; sed ego repudiavi, neque enim iam hoc loco ut eat admonetur *Maria* sequunturque exclamationes quae alio tendunt; deinde in cubiculo ipso puella ornatur. ceterum lectionem *i* ortam esse ex voce *ibis* quae sequitur versu 279 credendum est.
- 292 *notos . . amnes]* nihil mutandum esse Vergili locus XI 492 sqq. (ubi *flumine noto*) ab ipso Birtio accitus apertissime docet.
- 316 *quem]* quam *Em* et *Bi.*, sed recte ille adnotat, si *quam* legatur, desiderari copulam velut 'et quam' vel 'aut quam'. propterea ego *quem* ex reliquis adsumpsi.
- 318 *clamet]* ex *VII* praetuli, nam hypothetice dictum est.

De tertio consulatu Honorii.

- praef. 3 *e scisso . . tegmine]* cur scripserim, expositum est in Philologo tom. XLIX p. 569.
- 2 *Terque tuas]* dubitationem quam moverat Birtius in adnotatione, ipse removit in praef. p. CXXVIII.
- 97 *cui militat aether]* imitatio apertissima Propertii, apud quem IV 6, 39 Apollo ad Augustum haec fatur: *tibi militat arcus* (sc. meus).
- 108 *oneris venturi]* magis placuit, licet etiam dativus defensionis aliquid habeat.
- 118 *In te]* *Uenti* quod olim conieceram (cf. loco modo citato p. 570), pro vera poetae scriptura venditare non audeo. simillimum enim praepositionis *in* usum inveni IV cons. Hon. 603, c. m. XXVI 94 et c. m. XXVII 110. itemque frustra vocem *carmina* tangere L. Muellerus conabatur *ca-cumina* offerens; nam oraculorum mentionem quis hoc loco desiderare voluerit?
- 156 *socrusque]* *sociaque* ω , quod quo sensu acciperem, frustra quaesivi; neque enim, si quid video, aula imperatoria Stiliconis magistri militum socia nominari poterat. mea scriptura *socrusque* novum acumen inferre mihi videtur; iam enim regina ipsa 'socrus' vocatur sicut v. 158 Theodosius ipse 'socer'. deinde iucundum est contra poni socrum et nurum, taliaque praeamasse nostrum docent exempla haec: VI cons. Hon. *Ut . . vices pro principe consul impleret generoque socer* et Epith. Pall. praef. 7 *Carmen amor generi, soceri reverentia poscit*.
- 193 *innumeris]* prorsus retinendum esse arbitror et ipse contra se ipsum *Bi*. defendit in indice s. v.

De quarto consulatu Honorii.

- 30 *prosunt*] restitui veterem lectionem, cum auctoritas libri *II* *possunt* scribentis contra consensum reliquorum mihi non satisfaceret cumque scriptura vulgaris aptissima videretur; scilicet ad *prosunt* supplendum est 'incolis, qui tamen a Romanis debellantur'.
- 33 *cumulos*] *tumulos* iterum solus *II*, quod eadem de causa reieci; cf. etiam 'Gallorum cumulos' apud Livium X 29, 19.
- 107 *permixtis*] cf. Birtii praef. p. CXII.
- 109 *ibis*] de hoc verbi *ire* usu cf. Bi. indicem s. v.
- 156 difficultates quas hic locus *viris doctis* comparaverat, dissolvisse mihi videor in Mus. Rhen. tom. XLIV p. 587 sq.
- 169 *mutatur*] libros plerosque et meliores secutus sum ideoque interpunctionem mutavi.
- 188 *cum luna lateret*] ne quis forte cum Koenigio in re astronomica offensus subditicios hos versus arbitretur, moneo vertendum esse: *während doch selbst der Mond unsichtbar war.*
- 190 *Arctis*] *astris* ω , quod quibus de causis reiциendum putarem, exposui in Philologo tom. XLIX p. 745 sq.
- 233 *geminas*] frustra difficultates moverunt viri docti; rectissime enim Koenigius ad *geminas* supplevit *mentes*. etenim tres partes animi 'tres mentes' vocavit poeta, perinde atque Cicero Tusc. I 10 secundum Platonem animum triplicem i. e. animos tres esse tradit. atque memorabile puto in verbis nonnullis ita concinere nostrum cum Ciceronis loco, ut fortasse ipsum inspexisse dicendus sit. alter enim rationem *in capite sicut in arce posuit*, alter *capitis fundavit in arce*; alter *cupiditatem supter praecordia locavit*, alter *inferius collo . . . locavit*; denique Cicero *duas partes ei parere voluit*, Claudianus *geminas . . . praecepta summae doctrinae passuras*. ceterum de Claudiano Ciceronis imitatore cf. Birtii praef. p. CCII adn.
- 266 *Consulitur*] cf. Stoeckeri libellum qui inscribitur 'De Claudiani rerum Romanarum scientia' Marp. 1889 p. 75, quamquam non taceri debet apud Sallustium Cat. 51, 6 hanc locutionem diverso sensu esse positam.
- 278 *suspectus*] pro *suspіcax* accipiendum esse recte monuit Bi. in indice s. v.
- 296 *censesque*] ex librorum praeter *II* consensum non recipere nolui.
- 347 *Pertemptet*] edidi duce E praecipue; cum enim *ante* adpositum sit, lectio *Praetemptet* nullam habet necessitatem.
- 372 *Necdum decimas emensus aristas*] cf. quae exposui in Mus. Rhen. loco citato ad v. 156.

- 389 *imbuit*] dubitationes suas ipse Bi. removit in indice, conferens Rapt. II 93.
- 402 *Metri*] cf. Stöckerum l. l. p. 29—31. porro ad lectionem receptam ducere videntur corruptelae *nec tu* in P et *mechi* in B.
- 471 sqq.] transpositio versuum 471—473 post versum 483 commendatur et argumento quod Bi. protulit et hac ratiocinatione: versibus enim 466—470 de quam gente agatur, omnino in incerto relictum est. debuit igitur iam ipsa gens induci. denique v. 476 vocibus *per te* Honorium poeta adloquitur, quod facilius tolerabimus, si non praecedit invocatio et evocatio Ephyres et totius Graeciae v. 471 sqq., quae vocativi paene vim habent.
- 481 *arcu*] sic PB quod praeoptavi; *actu* enim, quod meliorem auctoritatem habet, quid sibi velit minus adsequor nec alibi de aquae ductu usurpatum reperio.
- 500 *et*] de hac scriptura non est dubitandum; nam quod ex Isengrino *es* adfertur, hoc ille sumpsit ex Camerte, quare fere omnis auctoritas lectionis tollitur cf. Bi. praef. p. CXC n. 3.
- 522 *Romanaque vota moratur*] ad ea, quae apud Bi. adnotavi, adde etiam Stil. II 226.
- 604 *dubitassent*] sic E cum PA non frustra tradidit; turpis enim esset iteratio nimia clausularum in *transferret, dubitarent, furerent, irent*. sic etiam e. g. Stil. I 178 sqq. iuxta leguntur *quaterent* et *penetrassent*. ceterum contra ea, quae Buechelerus apud Birtium proposuit, moneo subiecti notionem ad *dubitassent* desiderari non posse; semper enim in harum sententiarum compositione subiecta expressa videmus: *Lydia, Nysa, blandae tigres*.
- 626 *Odothaeus*] rescripsi; cf. Birtii indicem s. v.

Panegyricus Manlii Theodori.

- praef. 1 *tantae*] ex solo V ipse quoque recepi; *doctae* φ; doctrina vero in his viris ut per se intellegebatur, ita ne postea quidem v. 7 et 8 a poeta memoratur, sed sola maiestas.
- 18 *vobis*] maiestas coetus illius, cui praelegit poeta carmen suum, quasi thema totius praefationis dicenda est neque usquam consulum vel consulatus Manlii his in versibus mentio fit. itaque voce *vobis* concilium augustum sine dubio adloquitur poeta cf. quae Bi. exposuit in praef. p. XIX et XXXIV adn. 3.
- paneg. 8 *ad rura*] egregie ni fallor aliquis veterum coniecit; libri *a rure*. patet, siquidem concinne loqui volebat

poeta, hoc exprimendum fuisse: sicut Honor ambit et vestigat Virtutem consulque ipse *in mediis quaesitus aratris* dicitur, ita lictor quoque fuit, qui vestigavit ambivit quae-sivit consulem futurum; ergo non *a rure* revertens, sed *ad rura* proficiscens induendus fuit.

- 15 *honori*] scripsi Birtium secutus, non *honore*; nam *animo* et *honore* ablativi vicem habere nequeunt, quia ablativus *quo* ex *nihil* pendens antecedit. virtus autem animi bonum est, splendor honoris.
- 18 *Struxit*] iure tradita lectione *Traxit* viri docti turbati sunt; nam *vita traxit iter* neque ex usu scriptum est neque satis convenienter; inest enim despectus in voce. de emendationis quam conabantur propositis vide Birtium, quorum nullum persuadendi vim habere mihi videbatur, quippe cum a litteris traditis nimis abessent. contra *Struxit* quod scripsi proxime ad lectionem vulgarem accedit et probabilitatem capit ex locutionibus similibus apud Senecam Thyest. 810 *via struitur*, apud Plinium paneg. c. 75 *non instruendum illis iter ad bonam famam*, apud Tacitum Hist. III 49, 2 *viam sibi ad potentiam struere*.
- 59 de hoc versu vide quae monui in editione magna.
- 66 *imponit*] confer Bi. indicem s. v.
- 67 *secreta*] offensionis nihil habet coll. v. 84 *Graiorum obscuras . . . artes*, Stil. I 62 *secreta Beli*, Plinii Hist. Nat. pf. 17 *ex lectione voluminum, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum materiae*.
- 69 *agmina*] ne quis *dogmata* inferat, meminerit quam parce Graecis vocabulis usus sit Claudianus cf. Bi. praef. p. VIII adn. 4.
- 102 *choros*] hoc contra V retinui, qui quidem *chaos*; sed de *chao*, quomodo impulsus sit, hic non disseri elucet eo, quod haec quaestio *quae vis impulerit* artissime per copulam *que* nexa est quaestioni praecedenti *quae vis animaverit astra*. numquam enim novam quaestionem nisi per asyndeton poeta inducit. de astris autem *choros* aptissime poni notum est et conferendum Napt. Hon. pf. 16 et Stil. I 84. chororum autem mentione indicatur ἡ ἀστρολία, quam in sideribus animatis valere e. g. docet Plotinus IV 4, 8.
- 108 *fracta*] hoc verbum audacissime positum Birtium seduxit, ut *facta* ex B solo inculcaret. est autem audacia haec: tonitrua oriuntur dum nubes frangitur vento; hic autem ipsa tonitrua vento fracta audiunt, in quo cernitur putidus poetae amor omnia detorquendi.
- 109 *Quis*] ad ventum qui praecedat trahendum mihi persuasi ideoque interpunctionem mutavi.
- 111 *rutilos tractus*] de hoc loco Birtius haec mecum communicavit: 'fortasse legendum *arcus*; certe hic locus de pluvio

- arcu interpretandus est, nam conferenda sunt cum quaestionibus hisce Claudiani capita Aetii III 3 *περὶ βροντῶν, ἀστραπῶν, κεραινῶν*; III 4 *περὶ νεφῶν, ὑετῶν, χιόνων, χαλαζῶν*; III 5 *περὶ ἕριδος* et hic quidem Metrodoro auctore docemur *ὅταν διὰ νεφῶν ἥλιος διαλάμψη, τὸ μὲν νέφος κνανίξειν, τὴν δ' ἀύγην ἐρυθραίνεσθαι*. hinc igitur rutilus ille color.
- 129 *causisque*] *pausisque* Buechelerus rei convenienter, sed graecam vocem vix admisit poeta. ego *causis* ita dictum putem, ut c. m. XXIX 3 *quae causa iubet pallescere solem*. itaque *causis* pro 'certis causis' fortasse accipiendum est.
- 130 *indicat*] *signet* quod praebent εB valde adridere debet; tollit enim hiatum molestiorem; tamen aspernatus sum, quia *signantem* praecedit v. 126.
- 173 *redi*] restitui, quamquam sic cacophonia oritur (cf. Bi. praef. p. CCXIX) et quamquam E discrepat. hoc enim acumen est poetae, iterum venire debere Theodorum i. e. *redire* et quidem *nobiscum*, quia Iustitia Pax Fides redierunt (cf. Koenigium ad l.) itemque in sequenti versu *reverti* ponitur.
- 175 *longe*] pro *diu* bene adservavit V¹. cf. Bi. indicem s. v.
- 180 *et*] iterum V solum secutus edidi, *aut* reliqui. sed copulam, non disiunctionem quisque expectabit.
- 201 *Libyas*] quod primus edidit Scaliger, commendatur similitudine litterarum; nam *lydos* vel *lidos* codd., quod intolerabile est.
- 205 *lumina rerum*] sic interpreto: ut Roma ipsa Romanis lumen *rerum* i. e. totius orbis terrarum visa est, ita quattuor illae Italiae dioeceses, quas modo descripsit poeta, non inepte *lumina rerum* dici possunt.
- 215 *decori*] ex V¹ magis placuit quam *decora*.
- 234 *de hoc versu* confer quae adnotavi apud Birtium.
- 237 *lassisque*] nihil mutandum, nam *lassi* facti sunt pontes impetu ruentis aquae.
- 238 *et volvant*] bene Birtius restituit ex B, qui praebet *et volvat*; cf. eius praef. p. CCXX.
- 243 *Largior et*] cum optimis V et E edidi cf. v. 234.
- 261 *Crescant*] ex V malui propter modi concinnitatem; sequitur enim *floreat*, quod artissime per copulam coniunctum est cum antecedentibus. huc accedit, quod lectionem *crescite* ortam esse ex *surgite*, quod sequitur v. 264, probabile videtur.
- 280 *En*] sic cum E scripsi; si enim versus 279 spurius est, de quo nullus dubito (cf. Birtii praef. p. CV), *Et* versu 280 non sufficit. quod si pro *vel* esset accipiendum, id quod sustinet Buechelerus, non video cur non ipsum *vel* a poeta positum sit.

- 300 *rudant*] de hac lectione vide Birtii adnotationem, quae etiam eo commendari videtur, quod leonem, qui perfossus ruit, non pallebunt homines; pallent, si audiunt rudentem.
- 311—324 de horum versuum compositione et conexu cf. quae exposui in *Philologo* tom. XLIX p. 744 sq.

De consulatu Stilichonis.

- I 16 *plus splendet*] ex II recipiendum existumavi; respondet enim sic optime versui sequenti, ubi *plus egit inermis*; atque etiam v. 14 verbis *quodcumque relinquam, maius erit* commendatur comparativus.
- 82 *gerebat*] ne quis legeret *regebat*, monuit Bi. in praef. p. CXI.
- 109 *Nec*] praetuli quippe magis concinnum. V¹ deficit, sed ex P¹ conici debet etiam in V extitisse *Nec*.
- 114 *retunderet*] VE qui gravis testium consensus sic legendum esse mihi persuasit, non *reconderet* quod habent reliqui. et illud confirmat res ipsa. nam ense, quem strinxerat Stilico contra barbaros, *recondere* quidem Rufinus non potuit; condit enim gladium is solus, qui gerit. sed hebetabat vel retundebat Rufinus Stilichonis ense, quod moras obstruebat et foedera obsessis praebat.
- 174 *nullum*] quod ex IIA recepi, etiam adridebat Birtio; *nullis* reliqui, quod durius et intolerabile videtur. erant enim Cerauniae rupes ob ipsos nimbos famosae. ad *nullum* autem 'militum tuorum' ex versibus 170 sq. facile supplebis.
- 226 *Albim*] sufficienter explicavit Birtius in indice s. v. *Gallicus*.
- 263 *Pendent*] meliores libri VP concinente Em, *Splendent* reliqui; sed cum *pharetra* saepius et aptissime coniungit poeta vocem *pendere* cf. Bi. indicem s. v. *pharetra*.
- 300 *ingentes*] cum librorum consensu retinui coll. VI cons. Hon. 147 sq. *ingentes* . . *curasolvebat*.
- 303 *Quae*] veram esse lectionem nec vero *non*, id est interrogativam esse amplam hanc sententiam persuadet mihi intuenti v. 309 sqq. ubi est *quot . . oculi . . sufficerent?* itemque iudicasse videtur Buechelerus (cf. apud Bi.). quae cum ita sint, improbatur libri E auctoritas neque iam speciem veri habet versus 304 foetum esse interpolatoris. ita enim concluditur: si E illud *non* falso scripsit, ne in versu 304 quidem omittendo fides ei haberi potest, immo librarius vetustus, quia hic versus interciderat, negationem non inepte inculcavit.
- 305 *posset*] V cum plerisque, quod praetuli.
- 331 *Romuleas leges rediisse fatemur*] cf. quae de lectione, quam E offert, censuit Birtius p. CXI.

- 384 *laurus*] libris repugnantibus scripsi pro *lauros*; illum enim accusativum poeta semper praetulit cf. Bi. indicem s. v.
- II 8 *medio*] sic dedi melioribus libris V¹ PII obsequens, cum reliqui haberent *mediam*. illud autem exquisitius videtur habetque analogiam apud Vergilium *nocte volat medio caeli terraeque*. et paulo audacius apud nostrum legimus VI cons. Hon. 212 *belli medio Padus arbiter ibat* i. e. belli et Romae medio 'in der Mitte zwischen Kriegsschauplatz und Rom'.
- 52 *Theodosium*] cf. quae adnotavi ad paneg. Prob. 51.
- 69 sqq. de horum versuum sensu longius exposui apud Birtium ad v. 71.
- 89 *smaragdo*] rectissime cum E legit Birtius, ut vitetur molestus in fine trium versuum sigmatismus (v. 88 *bacis*, v. 89 *smaragdis*, v. 90 *hyacinthis*).
- 90 *redundantes*] cum V P II praetuli, quia fortius est et magis poeticum; *residentes* φ.
- 136 *Interius*] cf. Birtium p. CXI.
- 154 *sub te quod*] ABA, quae conlocatio verborum multo elegantior magisque ex usu poetae esse videtur potestque E adprobasse in A.
- 183 *hoc*] sic omnes boni libri, quod retinendum putavi.
- 185 *optant*] sic libri praeter VP, qui praebent *aptant*; sed illud commendatur conlato Persio V 2. itaque sensus hic est: legati praesente Honorio laudationem Stiliconis habituri solempni exordio utuntur, utinam centenās voces haberemus! sicut ipse poeta noster in Pan. Prob. v. 55. similia composuit Iahnus in ed. Persii.
- 186 *limite*] idoneos testes non habet haec lectio, nisi quod verisimillimum est *limine* in VP ex ipsa originem cepisse. *militem* autem *inermem* umquam dictum esse negaverim.
- 191 *possideant*] hunc coniunctivum propter solam rei metricae rationem poetam posuisse adparet.
- 197 huius versus sensum sufficienter iam Gesnerus explicasse mihi videtur; ceterum Skutschius Catullum XXXI 5 conferendum esse monet.
- 198 *Exsectisque*] de iteratione copulae necessaria cf. Birtii praef. p. CCXII, quem secutus sum.
- 225 *adnuerit*] recte recepit proximus editor, quod omissis eis, quae ille iam exposuit, probatur vel temporum contemplatione; nempe coniunctivus perfecti vel futurum exactum exigitur. ii vero manuscripti, qui alteram personam obferunt, coniunctivum habent temporis imperfecti *annueres* eoque falsi coarguuntur.
- 240 *dominis*] sic E cum adseclis, quod praetuli cum Gesnero, quia fortius est.

- 304 *fractorum*] scripsi; *factorum* EΠ, *fatorum* φ, quod plane sensu cassum. qua via coniecturam meam adsecutus sim, facile videbit, qui horum versuum inde a v. 292 sensum perspexerit. cavere enim vult Dea Roma, ne Stilico honorem sibi oblatum contemnat quippe pollutum ab Eutropio eunucho. quomodo autem illum Orientalis ministri statum castigare et mordere Claudianus amet, satis notum est lectoribus ex libris in Eutropium. atque eodem tendunt apertissime in v. 303 sq. adtributa *turpia* ad *exempla* et *castis* ad *auribus* posita; quibus impulsus lectionem *fractorum* sine dubio refeci. hanc autem vocem bene quadrare ad spadonem docet Hieronymus ep. 79, 9 *histrio fractus in feminam*.
- 331 *Posse queas*] ex ABA praeoptavi, non solum ut vitarem molestam elisionem, quae est in ceterorum lectione *Te certum est*, sed etiam quia illud exquisitius videbatur minusque interpolatorem redolet. exempla vide apud Birtium, qui ipse quidem lectionem receptam commendat p. CCXXV.
- 340 *Minervae*] *Minervam* edebant duce E. mihi contra persuasum est melius scriptum esse in Vaticano et aliis: *insigne Minervae spirat opus* i. e. *das ausgezeichnete Werk der Webkunst (Minervae) scheint zu atmen vel wirkliches Leben zu haben*. sequuntur enim personae descriptae quasi vivae: infans vagiens, Serena pallescens, equitans Eucherius.
- 348 *Stilicho*] ad hunc locum cf. quae animadverti in Mus. Rhen. tom. XLIV p. 586 adn.
- 350 *fucantem*] quod praebent S, subesse videtur ipsi scripturae *fugantem* in V optimo. idem re ipsa commendari adparet itaque recepi.
- 392 *ames*] ex E potissimum reficiendum esse Birtius me monet itemque defendit coniunctivum Skutschius coll. Horat. c. I 2, 50.
- 397 *vulgi*] ad *milia* traxi; rarissime enim fortius interpungitur in pedis sexti initio.
- 402 interpunxi Buechelerum prioresque secutus; nam quae ipse apud Bi. exposui, nunc nimis artificiosa mihi videntur, quam ut sustineam.
- 420 *et*] VII (P), *cui* reliqui; sed dativus minus placuit; neque enim in honorem Phoenicis redolet eius bustum.
- 424 *genti*] de hac emendatione, qua verum adtigisse videtur Koenigius, vide ipsum. atque etiam hoc contra vulgatam *menti* adferri potest, speluncam illam fabulosam, de qua verba facit poeta, ipsius *menti* non imperviam fuisse; aliter non descripsisset.
- 436 *cum legibus*] sic accipe ut apud Lucanum I 642 *errat nulla cum lege mundus*.

- 467 *ortus*] hanc optimorum scripturam non est cur deseramus. de *hortis* Solis (sic enim vulgo) nihil compertum habeo neque video, quo iure hortorum mentio vallem praecedat. contrarie enim primum vallis memoranda fuit, deinde hortos in ea sitos esse. sufficit quod edidi; nam Sol novum annum suscepturus Orientem ut adiret necesse fuit.
- III 41 *olim*] contra VII, qui praebent *altum*, tenendum puto; nam desideratur notio sempiterni vel longi temporis, quae respondeat voci *nonnumquam* quae praecedit. extraordinarium enim sicut in stellis est, quod numquam pereunt, ita in Iove, quod eius regnum tam diuturnum est. contra *altum* detrita vox est et in hoc conexu otiosa.
- 121 *sic*] hanc voculam quia meliori auctoritati debetur, reperi; bene enim etiam inservit anaphorae.
- 139 *profecta*] quamquam *profectas* in E extare docuit Bi., tamen verum hoc esse non consentio; immo voces *orta* v. 138 et *profecta* inter se plane respondent.
- 157 *lusus*] cf. Bi. indicem s. v.
- 169—171 *Bacchus* falso ab Es cum B hic importari nunc ipse Bi. me monet; facile enim observatur non nisi eos deos a Claudiano hoc loco commemorari, quorum cultus aut genuinus Romanus erat aut publica auctoritate Romam translatus est, unde firmaretur Romae aeternitas. illuc pertinent Iuppiter, Minerva, Vesta, huc Magna Mater et Aesculapius. e contrario Bacchanalia senatum semper coercuisse satis constat. deinde versu 171 *ultra* me ita offendebat, ut cum *ABA hospes* reficerem; nec enim *ultra* Aesculapius Romam venit, sed arcessitus est. quae cum ita sint cumque duas falsas lectiones E hoc loco praebere videamus, quis *defensurus* cum Em scribere velit? ego *depulsurus* restitui.
- 231 *vicit*] plerique et optimi.
- 235 *quot*] cur ediderim, ex Birtii adnotatione satis elucet.
- 277 *eat*] quamquam sane molesti aliquid habet iuxta *ire* quod sequitur in eodem versu, tamen *II* soli *erit* legenti obtemperare ausus non sum.
- 326 *fluvios*] retinui; frustra enim Bi. p. CX *fluviis*, quod praebet B concinente fortasse E, defendere conabatur; neque enim necesse est vertamus *per fluvios* 'durch die Flüsse', sed *ibat* liberius dictum est pro *vehebatur*; quod si substituimus, illud *per* non sensum habet localem, sed instrumentalem, sicut etiam in loco Ausonii cognato, id quod recte Bi. explicavit l. l.
- 347 sq. de his versibus cf. Bi. p. CCXVII.

- 357 *Classis torva*] sic optime difficultates, quam movet lectio tradita, sustulisse Bi. videtur, quem vide p. CXI.
 358 *Ad*] ex Em et A unice recipiendum esse docent verba in *puppe* quae praecedunt.

De sexto consulatu Honorii.

- 48 *Arvaque*] quibus de causis pro *aeraque* coniecerim, expositum invenies in Philologo tom. XLIX p. 746.
 54 *miratus*] supple *es*; cf. de ellipsi verbi *esse* Bi. praef. p. CCXXIV.
 95 *seniore*] cf. Bi. indicem s. v.
 158 *sorores*] vix abstinere potui, quin ex V reciperem *sonoris*; sic enim si praedicantur chori, novi aliquid sensū ad-crescit. contra *sorores* nihil est nisi solemne et decantatum ornamentum Nympharum. abstinui tamen, nam videtur sane *sonores* corruptela in P indicare *sorores* primariam lectionem fuisse, inde *sonoris* esse effectum.
 204 *Hic rursus dum*] de interpunctione huius loci exposui loco modo citato p. 747.
 238 *consedit*] *considit* ab E scriptum esse Bi. testis est; tamen praetuli perfectum; certe enim eam verbi finiti formam, quae artissime huic de quo agitur verbo nexa est, *movere* v. 246 in eodem perfecti tempore positam videmus.
 291 *Haec*] sic dedi, quamvis minima librorum auctoritate fultus. nam postquam Appenninum montem per excursus fusius descripsit Alaricus, ubi narrationem redintegrat, ad montem respicere non poterat vocibus *per iuga* nisi addebat demonstrativum *haec*.
 297 sq. Interlocutoris esse verba *sed pignora . . . tenebat* graviore interpunctione indicare conatus sum. de *nobis* cf. ad Eutropium I 23.
 310 *atque*] *o utinam* meliores VP II, qualem quidem hiatum post exclamationem nusquam alibi sibi concessit poeta cf. de hiatu Bi. praef. p. CCXV.
 320 *tetendit*] quod multo meliore auctoritate innitur, non est cur reiciamus.
 365 *numine*] hoc primus Gesnerus contra librorum consensum tacite supposuisse videtur, quod Iepium adeo fefellit, ut id ipsum pro librorum manuscriptorum lectione vendicaret. habent certe omnes libri impressi quos inspexi maximeque Heinsius et Burmannus *nomine* neque apud Clerqium differre lectionem adnotatur. *nomine* autem nimis obscure de imperatore praedicatur, quem lucem sc. mundi antea v. 364 praeclare dixerat poeta. *numine* si legitur, iam nemo, de quo id dictum sit, dubitabit.

- 405 *iustis*] *fultusque* quod ex E elicuerunt, propter adlitterationem placuit Birtio, immerito. *iustis* enim quam proprie et ipsi rei convenienter scriptum sit, vel unus locus Gellii (V, 6, 21) demonstrat, ubi exponitur non triumphari nisi cum bella 'cum iusto hoste' gesta sint. cf. Mommseni ius publ. Rom. tom. I³ p. 133.
- 460 *adeunda*] hoc satis tutatus esse mihi videor apud Birtium.
- 463 *vel*] hoc loco pro *et* positum esse apparet, nam et gentes barbaras (arma *extera*) et legiones Romanas Stilico ad bellum arcessiverat. de hoc verbi *vel* apud Claudianum usu cf. Bi. indicem s. v.
- 468 *prosternens obvia*] *omnia* V et P, quod quamquam tolerari potest, illud tamen defenditur coll. Stil. II 20 *obvia prosternas*.
- 470 *tibi*] ex VII praetuli, cum Romam adloquatur Honorius, Romae autem, non Honorii vates esse dicuntur; cf. v. 492, ubi vatum ingenia *tua* i. e. Romae propria vocata sunt.
- 477 *ecce virum*] sic ω , quod valde offendit hanc ob causam, quod neque *ecce* neque *en* unquam aliter adhibuit Cl. nisi ut sequatur nominativus. exempla non conligo, unusquisque invenire potest apud Bi. in indice. exceptio una esse credebatur in Paneg. Prob. v. 203, ubi cum traderetur '*et duplici ... matrem*', coniectatum est '*en duplici*' eqs., quod incertum est. expectatur igitur nostro loco '*ecce vir*' atque corruptum locum esse credo, quamquam emendatio plausibilior mihi non obtigit. cogitavi de *ecce vir, en*.
- 491 *certamine*] sic optimus V cum aliis. intellege *doctos choros* de poesi Claudiana; haec *docta* dicitur certamine laudis Stiliconis, quia ante annum 404 iam multa carmina panxit ille in ducis laudem.
- 497 *retuso*] *secundo* omnes editores inde ab Heinsio, iniuria; neque respexerunt exigi ad *nunc amne* vocabulum oppositum voci *redeunte* quae sequitur. agitur enim de aestuum recessu et accessu, quod *retuso* (sic enim in V et M) ita exprimit, ut veri speciem maximam prae se ferat. recte enim iam Heinsius adtulit Lucani exemplum V 601.
- 512 *undas*] sic fons librorum VP habuisse videtur; *umbras* φ . illud recte praelatum est; si enim *umbras* legeretur, *similes* supervacaneum foret; omnes scilicet corporis umbrae eius similes sunt. contra *undas* in hac sententia eum locum habet, quem *flumina* in sequenti versu 514 respondentque inter se haec nomina.
- 535 *cunctos*] sic testes meliores, et cf. etiam v. 616 sq. *totis septenis arcibus*.
- 545 *undare*] *uno ore*, quod praebent ABA, vel propter duriores elisionem ante quintam arsim improbatur cf. Bi. praef. p. CCXVII.

- 559 *aditu*] neque *habitu* quod Ieepius neque *actu* quod ego coniecimus, necessitatem habet. apertum enim est senatum impetrasse ab Honorio, ne comitarentur eius currum, quod nimirum non impetravissent nisi *clemens aditu* Honorius fuisset vel nisi facilem aditum petentibus iis praeberisset. *clemens* igitur *aditu*, quia *pectore* imperator dicitur.
- 556 *praestat*] cum VP II.
- 557 *curva*] Birtius, quem vide ad locum.
- 565 *cernens*] ne quis sicut Burmannus coniecturis indulgeat, cf. Nupt. 108 *dum singula cernit*.
- 569 *chalybē*] sic fere omnes; nam in V *calibem dutos ex calibe indutos* oriundum videtur; ergo accusativi solus testis est ε; huius autem lectiones ubi non consentit E (Em), cum magna suspitione accipiendae sunt. estque etiam lenior elisio ablativi.
- 577 *sub aurato*] bene distinxit editor maior; fortasse tamen potius *aerato* ex V recipiendum.
- 601 *votis*] ab hac lectione, quae fere regnat in libris, recedere non ausus sum; vota scilicet fuerant Symmachi eiusque partium; id enim optaverant, ut Victoria reduceretur; haec vota nunc completa sunt (cf. Bi. praef. p. LVII); nec sine causa sequitur *promittit*, nempe ab his ad nova vota procedit Victoria.
- 612 *genius*] *species*, quod offerunt VPBA, fortasse non parvam commendationem habet coll. Stil. II 402 *antiqui species Romana senatus*.
- 622 *haec*] cf. Bi. praef. p. LXVI adn.
- 631 *una*] quidquid coniecerunt viri docti, tamen *una* scripsisse poetam persuasum habeo. sequitur enim v. 632 *partitis inde catervis*, itaque antea omnem phalangem *unam* fuisse vel in unum coercitam memorandum fuit.

De bello Gothico.

Hunc titulum solum verum esse puto et propterea restitui; argumenta ipse Birtius dedit in praef. p. CVIII et CCII adn. praef. 9 *hic*] falso apud Bi. ad ipsam domum Pythiam traxi, cum ad Romam solam respiciat. adnuit Romae princeps titulum i. e. ut titulus Romae vel *hic* esset.

B. G. 17 *muti*] cf. Bi. praef. p. CXIII.

20 *sed*] frustra Bi. sic coniecisse existimo. nimirum *quamvis* non idem est quod *licet* v. 14 nullaque grammatica relatio inter hasce coniunctiones intercedit; neque *licet* hoc loco coniunctionis vicem habet; itaque gravius, ut priores, punxi v. 19 fine. sententiae autem sic continuantur: *Den Dichtern steht es ja frei, diese und jene*

Wunder von der Argo zu erzählen. Aber (sed v. 19) wenn sie auch all dies Fabelhafte verdoppeln, so erreichen sie doch nicht die gegenwärtige Wirklichkeit.

- 48 *nubesve*] C, *nubesque* reliqui; sed *ve*, non *que* praefendum esse credo in sententia negativa, praesertim cum sequatur *aut*.
- 91 *si*] vulgatam bene defendit, ut opinor, Buechelerus; confer etiam, quod proxime ad manum est, v. 140 *si rite recordor*.
- 109 *currus*] frustra Bi. dubitationem movit et ad coniecturam confugit. hi enim currus plaustra sunt oneraria, quae in triumpho numquam deerant cf. Mommseni ius publ. Rom. 1^o 394 n. 3.
- 113 *furoris*] cf. Bi. praef. p. CXV.
- 153 *belloque*] offensionem habere hanc vocem concedo; de vera emendatione mihi minus constat. sensus fere exigit *Latioque*.
- 167 *totiensque*] *totidemque* quod E tradit, reieci et quia adverbialia *totiens* et *ter decies* v. 166 inter se respondent et quia magis magisque testi E diffidere coepi.
- 174 *rura*] ex *rerum* qua via refecerim, expositum habes in Philologo tom. XLIX p. 747.
- 180 *intactum*] haudquaquam tangere debent viri docti coll. Manl. Theod. v. 206 – 210.
- 233 *Territat*] iterativa satis rara apud Claudianum inveniuntur (cf. Bi. praef. p. CCXII); tamen hanc textus emendandi causam idoneam esse non credo.
- 278 *nacti*] *nancti* C; eadem varietas apud Vergilium, ubi Ribbeckius codicem Romanum maxime secutus hanc participii formam in textu posuit, cum Hauptius daret formam brevior.
- 321 *praetervolat*] paullo audacius dictum pro *pervolat*, sed cf. Sil. Ital. X 114 *hasta praetervolat auras*.
- 329 *parat*] sic S duo apud Burmannum p. 899, quod adsumpsi, quia respondet hic locus comparationis versui 313 *dum redeo ... referens*.
- 360 *illi*] hoc iam placuerat Heinsio neque fortasse reiecisset Ieepius, si id ipsum in E extare compertum habuisset.
- 365 *et Norica rura tenebant*] cf. Ovid. Met. III 2 *Dictaeaque rura tenebat*. certe nihil mutandum.
- 384 *longe sermone petito*] *longo* C; praeterea Bi. in sensu offensus est et coniecturam proposuit; ego acquievi in recepta lectione, *longe petito* pro *longo* accipiendum esse ratus. plura *empla* adferre potuisset *longius petens*, sed unum tantum adfert. ceterum cf. Gildo v. 325.
- 394 *gerenti*] de hoc et sequentibus recte disputavit Stoeckerus 'De Claudiani poetae veterum rerum Romanarum scientia' Marp. 1889 p. 57 et 58.
- 407 *variös*] olim quod *hilaros* conieci, non solent hoc verbum ponere poetae; nunc *laetos* propono, unde praeter con-

- cinnitatem recuperatam etiam adlitteratio nascitur non in-
iucunda. vim maiorem non in singultu sed in laetitiae
signis inesse voluisse poetam docet etiam versus 411, ubi
in comparatione boves *gaudent fideles reddere mugitus*.
- 415 *Vandalicis*] unice legendum esse Birtius in praef. p. XLVIII
demonstravit; cf. ibidem p. CVI.
- 436 *diffudit*] sic meliores, quod retinui; perfectum enim et ad
exclamationem aptius videtur et praecedit *mutata* quod
est vice perfecti et v. 437 *redit* contractam formam per-
fecti esse posse notissimum est. denique versus 449 item
perfectum offert *traxit*.
- 441 *reddidit*] *vitae* desiderari monuit Birtius, quod quidem
possis reponere velle v. 440 pro verbo *spretae*. tamen
illam elipsin quam maxime Claudianeam esse probari puto
ipso verbo simplici *dare*, quo pro *luci* i. e. *vitae dare* sive
edere usus est poeta Fesc. v. 6 *Te Leda mallet quam dare*
Castorem. itemque absolute postea legimus *restituit* v. 445.
- 465 *temptans*] qua de causa ex *temptat* Bi. refecerit, primo ob-
tutu videndum est.
- 466 *humilisque*] cf. quae adnotavi de copula *que* ad v. 48.
- 471—474] de horum versuum lectione ex C emendata cf. Birtium
p. CXIII sq.
- 505 *nescioquam*] de lectione ne dubites; tamen paene inepte
adfectat orator Romae ignorationem. idem enim v. 507 sqq.
bene novit urbem et de historia eius refert.
- 541 *servire dati*] haec lectio sane satis debile est. quid enim
mirum, subiugatos *servire*? non sine iure igitur proximus
editor *servare dati* conatus est; quamvis hoc satis durum
esse videatur pro *in auxilium dati*. ego acquiesco in tradita
lectione eo sensu, ut quale servitium sit, in sequentibus
exponatur.
- 548 *Huc iter usque datur*] haec etiam verba traxit ad oraculum
Birtius. hoc ut sensu aliquatenus commendari videtur,
tamen minus placet, quia oraculum finiri hemistichio satis
incredibile est. praeterea animadvertendum est in versi-
bus 546 et 547 litterarum lusum eius aevi proprium et maxime
in aenigmaticis receptum sententiis inesse; scilicet ipsum
nomen ROMA per acrostichon et telestichon latet his in
versibus.
- 582 *petendam*] hanc lectionem ut restituerem Skutschius me
monuit; gentis enim fides suspecta dicitur v. 591; sed dux
ille praeclarus *docuit mortem pro Latio* esse *petendam*
fidemque sic recuperavit.
- 583 *praefectus*] sic Vaticanus quintus apud Clergium, quod cum
magna dubitatione recepi; *praecclarus* enim quod ω, into-
lerabile esse fere consentient omnes.

- 586 *rescissaque*] cf. de codd. Cuiac. p. 58.
 599 et 600. in loco difficillimo Birtium sequi minus possum, qui *fundator originis* coniunxit et separavit; haec autem tautologia molestissima est. praeterea *quantum dederit* mihi quidem non sufficeret; desideraretur enim genitivus ex *quantum* pendens. itaque olim temptabam *quam vim* pro *quantum*, quod tamen cur reiciam unusquisque sentiet. denique paene persuasit mihi Gesnerus *suae originis* ad *quantum* ita trahens, ut intellegeret *ingenium* sive *naturam*. fatendum vero est hanc vocis *originis* notionem aliunde me firmare non posse. de structura verbi *dare* cf. c. m. XVII 43.
 634 *amisit in annis*] vide Philologi tom. XLIX p. 747. cf. etiam Stil. I 196.

Carmina Minora.

Conspectus notarum.

- G: cod. Sangallensis n. 429, membr. saec. IX, non pertinens nisi ad Gigantomachiam.
 R: cod. Veronensis 163, membr. saec. IX.
 E: cod. Mediceus plut. 33 cod. 9, chartac. saec. XV.
 ε: excerpta Gyraldina in margine Aldinae exemplaris Lugdunensis 757 G 2.
 V: cod. Vaticanus n. 2809, membr. saec. XII.
 P: cod. Parisinus lat. 18, 552, membr. saec. XIII.
 J: cod. Cantabrigiensis coll. Trinitatis, O, 3, 22, membr. saec. XIII.
 A: cod. Ambrosianus S. 66 sup., membr. saec. XV.
 M: cod. Ambrosianus M 9 sup., membr. saec. XII/XIII, rarius adhibitus.
 5: codices deteriores.

- I Inscriptionem *Ad Stilichonem* ex E restitui.
 VI 2 recte Birtius coniunxit *pro cuspide ferri cuncta volant*. *volare* enim unice quadrat ad cuspidem, et tollitur uniformitas, qua singulae sententiae singulos versus complebant.
 VII de divisione huius carminis cf. Birtii praef. p. LXII. debuisset ille vir doctus alteram partem numero VIII signare eaque ratione numerationem carminum sequentium mutare. quod nunc ne ego quidem feci, ne novi numeri lectoribus offerrentur.
 3 *Unanimi*] cum EA refeci, qua de re cf. quae exposui ad Prob. 231.
 IX 29 *tumor*] *timor* meliores, quod non sufficit.
 33 *servatque tenorem*] cf. paneg. Prob. v. 17.

- XI 3 interpunxi Buechelerum secutus.
- XIII in titulo *sua* pro *eius* accipe; patet has inscriptiones non positas esse ab ipso poeta.
- XVII 15 *Dextram exerit ille*] editur secundum ε; *erigit* R, quod fere idem valeret. neutrum sensui sufficere videtur. cum enim nihil sine causa in artificio sit vel describatur; si sola laeva pater portatur, dicendum fuit, quem ad finem dextra exeratur. iam vero ubi vestes volantes descriptae sunt, saepissime solet manus hominis vesti quam retineat adplicari. ne plura adferam, in memoriam revoco locum Moschi Europae v. 126 sqq., quem imitatus est Ovidius, ubi puella dum altera manu se sustentat, altera *πορφυρέην κόλπον πτύχα εἶρονε . . . κολπόθη δ' ἀνέμοισι πέπλος κτλ.* itaque expecto: *reiectas vento chlamides dextrā adripit ille.* sufficeret autem haec lectio: *reiectae vento chlamides; dextra adripit ille* (sc. eas). fieri tamen potest, ut poeta scribens *dextram exerit ille* tacite mente supplerit *adrepturus chlamides.*
- 20 *meruere*] cf. Philologi tom. XLIX p. 748.
- 28 *numina*] hoc ne quis tangat, conferat v. 2 *divino meritos semper honore coli.*
- 35 *patri*] reposui ex A, quod quam necessarium sit, docet sequens versus. de elisione hac in sede versus non solum permissa sed etiam non insolita cf. quae contulit Bi. in metricis quas instituit observationibus p. CCXVII.
- XVIII 3 *murmura*] haec lectio libri V et sola sensum praebet hoc in loco et fulcitur coll. IV cons. Hon. 65.
- 9 *Absentis*] cf. Birtii praef. p. LXII.
- XIX 2 *Accola*] scripsi Barthium secutus; *Incola* codd.
- 9 *querellae*] hac voce efficitur ne Birtium quidem (praef. p. XI sq.) prorsus sufficienter hoc carmen enarrasse. scilicet non solum *convicia* dixerat poeta (v. 10), quae fortasse hodie extant in carmine minore XXI, sed etiam querellas ad ipsum Hadrianum detulerat. sic porro explicatur vox *dolor* (v. 6), ubi Heinsius *calor*; ipse Claudianus antea ab Hadriano laesus fuerit necesse est, unde ad querellas illas impulsus est. qualis ille dolor fuerit, ne suspicari quidem potest. addo vero, ne hac quidem via id contingere, ut *timor* quod plerique scribunt v. 7 defendamus.
- 29 *calent*] ex V optimo et A recepi propter *rabiem* quae praecedit v. 27.
- 33 *insignis . . . triumphus*] sic edidi R secutus; *insignes triumphos* reliqui. primum enim in exclamatione ac-

- cusativum poni in Claudiano non memini; deinde in duabus sententiis v. 53 et 54, quia per anaphoram iunctae sunt, eadem constructio exigitur. nimirum ad *insignis* supplendum est *erit*, cui respondet *ornabere*. de hoc carmine cf. Buechelerum apud Birtium praef. LXXX n. 6.
- XXIV
- XXV 5 *musto sudantem ventilat uvam*] lectionem stabilivit Bi. nec inutiliter conferatur anthologia latina ed. Riese c. 578 v. 3: *musto gravidas . . uvas*.
- 13 *vagantes*] Heinsium secutus recepi; nam *vagantur*, quod praebent libri omnes, asyndeton efficit, quod quantum potest evitat poeta in tali compositione sententiarum per copulas coniuncta. ceterum Heinsii elegantissima coniectura aliquantum tollitur molesta repetitio verborum in *ur* terminantium.
- 28 *papillas*] hanc vocem solus P testatur, cuius testimonium auctoritate eo increscit, quod V¹ in hoc versu deest, solet autem P cum V¹ conspirare. *capillorum* mentio post *comas* certe molestissima videtur, quamquam similiter peccavit Seneca apotheosis c. 4 v. 3: *at Lachesis redimita comas, ornata capillos*. *papillas* memorari commendat etiam versus 7, ubi *pectus exutum* legitur.
- 30 *quaerit*] omnes praeter E, qui habet *poscit*. sed *quaeritur* Hymenaeus, quia latet, et *quaesitum* eum esse, non *postulatum*, docet versus 34 ubi invenitur vel *conspicitur tandem*. denique praepositio *inter* v. 29 melius cum *quaerere* quam cum *poscere* coniungitur.
- 70 *matris*] Heinsius *patris*. tam gravem mutationem ut evitemus, in Celerinae parentes accuratissime excussis poetae verbis inquirendum erit. et primum maximi momenti hoc esse videtur, quod Celerinae patris nomen prorsus tacetur v. 83 (*genitor*). cur taceatur, nescimus sane. iam vero Celerina Tomis nata est et accola Danuvii v. 70, et indole Scytica v. 135; ergo haud veri dissimiliter coniecérís patrem ipsum fuisse Scythicum i. e. aut Gothum aut similis originis. id firmatur v. 127, ubi *Hister patrius* dicitur i. e. ad patrem pertinens. porro de patre legimus *cognomina sumpsit plena ducum*, in quibus premenda est vox *sumpsit*, scilicet barbarus et homo novus nobilitatem ducalem ipse acquisivit defueratque nobilitas eius genti. quae interpretatio si non improbabilis est, intellegitur, quo iure Claudianus Celerinae sponsae nobilitatem v. 70 ex matre deduxerit. pater barbarus in matrimonium duxerat Celerini neptem aut proneptem nomenque Celerina

ipsa acceperat a matris avo, ea via fortasse ut etiam mater puellae vel avia idem Celerinae nomen habuisset. conferas notissimum exemplum Agrippae, cuius filia Agrippina, neptis item Agrippina nominata erat. — denique si quaeris, cur v. 83 genitoris nomen tam anxie taceatur, fortasse in dactylico versu poni non potuit nomen barbarum.

- 74 *caro*] cf. Birtii praef. XLV n. 5; simillime in nomine *Carus* lusit Ovidius ex Pont. IV 13, 2: . . . *quique, quod es vere, Care, vocaris, ave.*
- 86 *Rectorum*] sic VP; *regnorum*, quod in reliquis, pro 'provinciarum' vel 'dioeceseon' ut dici posset, Birtius conlato Eut. I v. 212 mihi non persuasit. econtra e locis vocem 'rector' continentibus (cf. Bi. ind.) imprimis ex XVII 49 sq. lectio quam recepi commendatur atque adprobatur.
- 132 *animas*] ex M sic adrisit, ut recipere auderem.
- XXVI 9 *ludibrium*] non sine aliqua offensione esse concedo, nimium enim est. attamen hoc loco librum V sequi non licet, quippe qui in sequentibus plane interpolatus sit offerens *tacitumque* (repetitum ex versu 9) pro *a vate*, quod nimirum desiderari nequit; neque enim ab aliis sed a semet ipso (*vate*) non celebratum esse fontem indicare vult poeta.
- 16 *perfodit*] libri *perforat*, quod prave repetitum ex versu 14. coniecturam variationis gratia proposui.
- 46 *levis exili cortice*] cf. *levior cortice* Horat. III 9, 22; structura autem ablativi apud Claudianum offendit; conieci igitur: *Et levior vili cortice terra natat.* cf. etiam Bi. ad locum.
- 49 *Facta manu credas*] in interpunctione a Birtio recessi, nam *Facta* obiectum esse vocis *credas* necesse videtur. numquam enim *credas* vel similis forma parenthetice ponitur. cf. Bi. ind. s. v. *credo*.
- 75 *pares*] sic meliores omnes, quod reicere non ausus sum.
- XXVII 21 sq.] quidquam mutare nolui coll. c. m. XLVII 11, ubi *zona variata colorum floribus* legitur. Birtius iridem in alis Phoenicis apud Lactantium v. 133 recte comparavit; idem nunc hanc suspicionem mecum communicat: *quas Iridis ambit flore color*, ut *flos Iridis* ab exemplo plantae cognominis sumptum sit.
- 24 *sui*] cum VA necnon et P tenendum putavi coll. v. 95 et 101.
- 53 *coactum*] sufficienter explicatum est in Birtii indice s. v.
- 91 *Thebano*] sic boni omnes libri; *thabeo* A. illorum testimonium deserere non ausus sum, quamvis

insuetum sit hoc adiectivum de Thebaide Aegyptiaca.

- 95 *mirata relucent limina*] cf. quae exposui in 'codd. Cuiacianis' p. 60.
- 98 *nares*] hae non inepte ex VP receptae sunt; conferatur e. g. Iulius Valerius p. 217 (ed. Kuebler): *iamque ex sacris excesseramus arboribus, sed adhuc etiam odore turis nares verberabantur.*
- XXVIII 21 *Gyrraeus*] cf. Bi. indicem s. v. *Girraeus*.
- 34 *madidos*] vox nimis abundat quidem nec sine quadam specie *maribus* Bi. proposuit; tamen de *maris* deminutione non agit poeta, sed fluviorum tantum.
- XXX 4 *Et*] aut solus V, quod praeferrem, si statuendum esset gemmas non originem habere ex Rubro mari.
- 21 *armavit*] potuit Claudianus in versu ponere 'arma habuit' idque sensus requirebat, sed summa audacia eodem sensu *armavit* periclitatus est.
- 25 de hoc versu ex V constituendo sententiam dixi 'de codd. Cuiac.' p. 57.
- 72 *Turia*] *Duria* omnes libri; sed cf. Stoeckerum l. l. p. 78.
- 87 *Napaeae*] quo iure sequerer Heinsii lectionem, explicavi 'de codd. Cuiac.' p. 61.
- 90 *fulgere*] *fluxere* mss.; exigitur infinitivus historicus, nam sequitur *nasci*. ad lectionem receptam cf. Ovid. Amor. II 5, 37: *Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae.*
- 101 et 102] interpunctionem a Birtio novatam grato animo recepi. primum enim regni omen in verbis multo planius fuit, si illud *imperat hic semper* separatim effertur. deinde ne *imperat* quidem Theodosius *auferre* Serenam, sed ipse aufert; cf. v. 99 *ferabat*. ergo *auferre* ex *imperat* non pendet. denique quod v. 101 syntaxis manca et quasi abrupta est *quid me auferre*, aperte depingere voluit poeta ipsam infantiam parvae puellae, quam expresse memorat v. 103. praeterea quid sibi vult *error* in versu 102, nisi *error* ille est grammaticus? haec perstrinxit Birtius in libello 'De amorum in arte antiqua simulacris' (Marp. 1892) p. XXXVI.
- 112 *intendit*] V quod recipere malui.
- 139 *fateri*] cf. Birtium ad locum et eius indicem s. v.
- 176 *flumina*] nihil mutandum; non insolitum enim est 'palescere flumina' cf. quae exposui in Philol. tom. XLIX p. 568.
- 193 ad hunc versum cf. Bi. praef. p. XXVII n. 4
- 205a et 205b] versum 205b praeter S solus offert V, quo ego carere nolim, quamquam difficultates superesse

- sentio. scilicet in loco, qualem constituérunt editores priores, aegre fertur, quod deest verbum finitum, cum praedicati vicem habeant *contenti* et *confessi* omissa sunt. praeterea optime legitur *Unius imperiis tradunt*; respondent enim praecise verba v. 208 sq. *unus eligitur ductor*. quae cum ita sint, tamen nescio, quomodo defendam vocem *confessae* v. 206, nisi forte poeta summa cum audacia hanc sententiam subesse volebat: procellae confessae sunt artem (sc. gubernatoris) pavore (sc. nautarum), ita ut pro confitendi notione supponendum esset 'demonstrantes' sive 'testatae'.
- 214 *lumine vultus*] *numina* sive deos in hunc locum inferre non placuit; *limina* quod habet Vaticanus, quid sibi velint, non adsequor. denique ne *lumina* quidem sive oculos Stiliconis apte respectabat mulier; aptius *vultus*. itaque hoc rescripsi, utpote cum adiectivum *madido* quod praecedit melius cum *lumine* quam cum *vultu* coniungendum esse facile concesseris.
- XXXI 47 *perficeret*] sic R V testes optimi, quorum auctoritatem cur deseram non video.
- 53 *quam*] *quae* A, quem solum sequi non debemus.
- XXXII 4 *tu*] ex optimis praetuli. cf. etiam quae adnotavi ad v. 7.
- 5 *numen*] scripsi; *mentem* quod proposuit Birtius, reiciendum puto propter *Mente*, quod praecedit v. 3.
- 7 hunc versum non solum V omisit, sed etiam codex ille Vindobonensis saec. X, in quo extant cum aliis Aldhelmi epistolae et insertum est c. 'De Salvatore'; cf. Bi. praef. p. LXXX n. 7. certe omisit eum ibi versum Iaffé, non omisit Gilesius editores; illi vero fides habenda esse videtur. spurium hunc versum, quem ego expressi ex R, esse iam senserunt Heinsius et Barthius; quas difficultates Birtio paraverit, videas in eius adnotatione et in praef. l. l. et p. CCXVIII. accedit, quod misere claudicat structura, si v. 4 *qui* et v. 7 *quem* legitur; totum enim carmen in sequentibus non enuntiata per relativum subordinata, sed primaria et coordinata continet. denique ex verbo *tumuerere* quomodo accusativus pendere possit, nullo pacto video. ergo v. 4 *tu* refeci ducibus RVP et ipso illo codice Vindobonensi; versum 7 expunxi.
- 16 *supplicii*] cf. 'de codd. Cuiac.' p. 60.
Adicio ad hoc carmen conspectum lectionum codicis Vindobonensis eius quem dixi, earum scilicet, quibus discrepat a textu huius editionis. deprompsi autem ex Iaffei Monumentis Moguntinis p. 35: 1 *Criste*, 2 *fundit*, 4 *domusti*, 5 *corpore mundum*, 6 *adfarique* . . .

homineque, 7 *omisit*, 9 *areano*, 11 *polum . . . repetor*,
16 *quinec*, 19 *perpetes* pro *repetens*, *luce* (an *te luce?*),
20 *ut se pedibus*, 21 *Annuos in* (pro *Annua sinceri*).

XXXIII 2 *Et fit*] cum *peioribus edidi* coll. c. m. XXX v. 190.
sed cf. *Birtium ad locum*.

XXXVI 1 *porrectam*] *solus V*, quod *recepti*.

5 *auxit*] *Sirius ardens* in *V* ex *Ruf. I 241 inlatum* puto;
nec sufficit *axis*. quomodo enim ardor *Sirii* con-
stringere sive minuere potest aquam undique clau-
sam? sensus autem, si quid video, hic est: umor ille
in *crystallo hieme quidem sive frigore non minuitur*,
aetate qua glacies dissolvi solet non augetur, denique
*temporis vi, qua omnia adroduntur, omnino non ten-
nuatus est. itaque auxit elegantissime excogitatum
videtur.*

XL 4 *Cicerone*] ne *Cicerona* legeretur, *Birtius praecavit* in
praef. p. IX adn.

XLIII 5 *dilata*] *delata* *Heinsius*; agnosco potius *summam*
audaciam Claudianeam; sensus enim aperte hic est:
pater poenam non dedit, nunc dat filius. itaque In
prolem ruunt periuria patris sensum habet quasi
hostilem pro periuriorum poena ruit in prolem?
haec poena igitur dilata est, ipsa periuria dilata
dixit poeta.

10 *eadem*] cf. *Philolog. tom. XLIX p. 748*; interpretan-
dum est: *has opes idem membrum quod paravit, i. e.*
lingua refundit.

XLIV 6 *fuit*] haec *vocula frustra exercuit ingenia criticorum*;
quam eodem iure scripsit Claudianus quo erat versu 4.

XLVI 4 *factura*] de *Thetide non recte posita esset haec vox*;
itaque ad antra dei trahendam puto.

XLVIII 7 *versare*] *magis placuit quam vexare*; *tolerabile*
utrumque.

XLIX 6 *armata*] *crux haec est interpretum, emendationum*
autem nullam cognovi quae non iustam dubitationem
admittat. molestum sane est vocis armandi repetitio
cf. v. 5. nihilominus acquiesco in interpretatione tra-
ditae lectionis hac: frigus quo cuncta, sc. torpedinis,
i. e. cuncta membra eius armata rigent h. e. et ar-
mantur et rigent.

10 *subit*] *suo libri. hiatum ingratum fortasse tolerarem,*
ferri nequit duplex participium extenta confisa, cum
desit verbum finitum. Ieepius suo est, sed aphaeresin
talem post o vocalem non admisit Claudianus cf. Bi.
praef. p. CCXVI. subit autem optime respondet verbo
quod sequitur resurgit.

- L 5 et 6] transposui hos versus propterea, quia pluralis *sanctorum* sine nomine non nisi in initio stare potuit. refero *sanctorum* ad nomina Pauli et Petri. sic etiam bene barbarus inrumpens primo loco memoratur.
- LI 6 *Syracusius*] cf. Birtii praef. p. CXXI.
- 13 *insontem*] egregie tutatur *Cerberus insons* apud Hor. c. II 19, 29.
- LIII 13 *in*] ad VG; illud tamen 'hortari in' Vergilianum est et magis poeticum.
- 45 *ipse*] huius vocis quam dubii testes sint non ignoro. exigitur vero quia per gradationem a Manibus et Proserpina ad Plutonium *ipsum* procedit narratio et cf. Ovid. Met. V v. 356: *rex pavet ipse silentium*.
- 69 *fonte*] sic traditum in nullis quod sciam manuscriptis nec ω nec ς . praebet autem iam Iuntina a. MDXIX.
- 88 *revelato*] turpi cum vitio prosodico *revelato* ex mss. imprimendum dedit Ieepius. proficiscendum est videlicet ex lectione libri V quam exhibui. hanc ne emendatione quidem egere credo, sed interpretatione. insulam Lemnum, cuius magnitudine os Mimantis quasi velo tectum sive velatum est, pro iaculo torquet et elevat supra caput; qua actione iam os *revelatum* est, ut cuspide Martis feriri possit.
- 109 *Palleneus*] cf. Bi. indicem s. v.

De raptu Proserpinae.

Conspectus notarum.

- F: cod. Florentinus bibl. St. Crucis, pl. XXIV sinistr. n. 12, membr. saec. XII.
- W: cod. Antverpiensis III 59, membr. saec. XIII.
- D: cod. Musei Britannici 6042, membr. saec. XIII.
- A: cod. Oxoniensis Bodleianus Auct. J. 2. 16, membr. saec. XIII.
- C: cod. Cantabrigiensis coll. Corporis Christi n. 228, membr. saec. XIII.
- B: eiusdem codicis pars tertia.
- S: cod. Parisinus lat. n. 15005, membr. saec. XIV.
- V: cod. Antverpiensis N 71, membr. saec. XIV, non ubique adhibitus.
- ε : excerpta Gyraldina in margine Aldinae exemplaris Lugdunensis 757 G 2.
- ς : codd. deteriores.
- I praef. mihi dum praefationes reliquas Claudiani contemplor, animus semper eo trahitur, ut huius praefationis finem deesse putem. solet enim ad se reflectere poeta. sed

quoniam imperfectum a poeta relictum esse totum carmen invictis argumentis a Birtio demonstratum est, etiam de praefatione idem valere facile credideris.

- 8 *pandere vela*] cf. Propertius II 21, 14 (apud Lachm.).
- I 1 hic versus extat etiam in codice Santeniano saec. IX et scriptum habet *adflata*; cf. Bi. praef. p. LXXXI et CCVII.
- 20 *famulatur*] numerus singularis positum est ea lege, quam observavit Birtius praef. p. CCXXIV. ceterum necessariis videtur, ne relativa quae sequuntur falso trahantur ad *vulgus iners*, cum ad *Di* pertineant videlicet.
- 122 *Hennaeae*] *Ennee* AC; *enneae* ε, *Ethnee* omnes fere reliqui. haec scripturarum variatio inter verba *Hennaeus* et *Aetnaeus* non solum apud multos auctores solemniter est, qua de re fuse egit Drakenborchius ad Silium Italicum I 93 (cf. etiam ibidem ad II 304), sed etiam apud nostrum compluribus locis in discrimen vocatur, utrum *Hennaeus* an *Aetnaeus* sive *Henna* an *Aetna* lectionem praeferre volueris. qua de causa ne singulis postea locis eadem de re longius tractandum sit, totam quaestionem nunc si fieri possit peragere liceat. difficultas autem sane haud parva haec est: cum Hennam, famosam illam Cereris sedem, in medio Siciliae insulae sitam fuisse constet (conferatur e. g. testis gravissimus Cicero Verr. IV 48 *umbilicus Siciliae*), Claudianum saepius ita narrationem instituere videmus, quasi in regione quae circa Aetnam montem sita est, Ceres filiam abdiderit. attamen poetam nostrum illius fabulae locum famosissimum Hennam ignorasse ipsamque deam *Cerere* *Aetnaeam* vocare potuisse quis facile sibi persuaserit? ac re vera si libri secundi versus 101 sqq. diligentius perpexeris, iam omnis, quo de loco agat poeta, dubitatio tollitur. neque enim cum Proserpinam cum deabus per prata ludentem depingat, montem altum sive eius clivos memorat Claudianus, sed molliter editam fuisse illam regionem et planitiem non nisi in collem crevisse expressis verbis describit, quam descriptionem mirum in modum congruere cum Ciceronis illa modo citata invenies. huc accedit, quod ipse poeta v. 112 Pergii lacus illius mentionem facit, quem haud procul ab Henna abfuisse notum est. nunc igitur sine ulla dubitatione statuendum est his de quibus modo agebatur versibus Claudianum Hennaeam regionem depinxisse Hennamque ipsam quasi sedem illius fabulae usurpasse. itaque primum versu 72 libri secundi *Henna*, ib. v. 289 *tua Henna*, nostro loco I 122 *Hennaeae* a Birtio rectissime legitur; deinde autem III 85 *Hennae* (cum Pulmanno) et ib. 220 *Hennaea* (cum Parrhasio) restituatur necesse est. neque probare possum,

quae exposuit Birtius in praef. p. CLIV, utique *Aetna* sive *Aetnaeus* lectionem reficiendam proponens. quod autem I 160 a codice F solo *Henneos* pro *Aetnaeos* traditum videmus, id nullius momenti est; nam illo loco de Aetna et de eius regione agere poetam in propatulo est. denique priusquam huius disquisitionis finem faciam, qua re haec inter varias lectiones diiudicandi difficultas mea quidem sententia augeatur, non taceam. Claudianus enim sive negligentia sive licentia quadam poetica abductus saepius rem ita narrat, quasi Hennaëa regio eadem atque Aetnaëa sit aut paulum tantum ab ea abfuerit. sic de vicinitate horum locorum exponit III 122 sq. et 186 sq.; sic Aetnaëae regionis descriptione illa peracta (I 160—178) pergere audet: *Hic ubi servandum mater fidissima pignus abdidit*, eqs. quae poetae incuriositas confusionem de qua actum est paravisse mihi quidem videtur; habet autem ex parte excusationem, si reputaveris apud scriptores *Aetnaeus* vocabulum latiore significato pro *Siculus* haud raro positum esse (cf. Drakenb. ad Sil. II 304).

124 sq.] in interpunctione Buechelerum secutus sum.

143 *iuncta*] magna W; *una* reliqui, ex quo *ima* refici iubet Heinsius. eadem de lectione proficiscens *iuncta* Birtius proposuit conlato Sallusti loco cognato (Hist. IV 20). quam coniecturam iam pridem mihi adridentem nunc egregie confirmari invenio loco Ovidi (Met. XV 290 sqq.), quem si comparaveris nostrum ante oculos habuisse fortasse mihi concedes. itaque plenum exprimere liceat:

*Zancte quoque iuncta fuisse
Dicitur Italiae, donec confinia pontus
Abstulit et media tellurem reppulit unda.*

quibus versibus si Claudiani locum contra posueris nihil iam addendum erit:

*Trinacria quondam
Italiae pars iuncta fuit; sed pontus et aestus
Mutavere situm. Rupit confinia Nereus eqs.*

195 *tibi*] recepi, quia meliore auctoritate utitur quam *cui*.

208 *tumidas*] cum FW, non *timidas* legendum esse puto; necesse enim est bacchari etiam Gargara cum silvis. hoc ut exprimeret poeta, *tumidas* silvas inclinari dixit i. e. exultantes venerantur deam.

244 *cingit*] hanc plurimorum librorum scripturam ut reicerem, Lucani locus conlatus me non adducere potuit. *vestit* S et W.

250 *iustis*] *iussis* A solus, quod non necessarium. loca enim quae iussa sunt, etiam *iusta* erunt elementorum.

- II praef. 39 *ducis*] incommoda vox, quia in versu praecedenti quamvis diversa mensura legitur *ducis ab orbe greges*. nec hoc satis; sed etiam v. 52 *ducis in orbe choros*. itaque de corruptela cogitavi. nam etiam littera *s* in versu 39 iniucunde iteratur. accedit, quod mirum est Geryonem *ducem* praedicari, quasi ad militiam aevi Constantinorum pertinuerit. quodsi legere velis *tergeminique viri*, possis ad Ovidium provocare, qui ita scripsit Trist. IV 7, 16.
- 42 *nec*] praetuli, etiam adlitterationis ratione habita.
- II 13 *dirum*] libri FSC, quod *dudum* exhibent, id ex *durum* videlicet ortum est et inde haec lectio maiorem auctoritatem nanciscitur. tamen *dirum* magis sensum iuvat; sic enim praedicari solent res inferorum.
- 23 hunc versum qua via refecerim, indicatum habes apud Birtium.
- 25 *habet*] id recte restitutum puto; nam *erat*, quod in plerisque mss., offendit iam propter temporis verbi inmutationem; praesentia enim et antecedunt et sequuntur.
- 62 *aduncis*] hoc verissimum puto, quamquam *ademptis* meliore fide traditum est. placeret sane, si scriptum esset *positis peltis*. sicut *suppositis* apud Statium Ach. II 85. at vero *ademptis* id non significat, sed designaret arma vi erepta esse. ergo statuendum est Amazonas post bellum bellicosam quandam saltationem non sine peltis fecisse.
- 72 *Henna*] cf. quae exposui ad I 122.
- 80 *abnuat*] *abneget* S, *abnegat* A¹, *abnuat* reliqui, quod praetuli coll. VI cons. 594 et Ruf. II 72.
- 84 *leto*] Heinsium eo libentius secutus sum, quia extant in carmine illo de Phoenice v. 52 haec: *proprio soles pubescere leto*. ceterum cf. Birtii adnotationem.
- 91 *medioque . . sereno*] sufficienter locum explicavit Gesnerus quem vide.
- 132 *germina*] praetuli, quia non apte flores illi amoeni, de quibus agitur, *gramina* dici possunt.
- 229 *pacificas*] *paciferas* quia solus F praebet, in textu ponere nolui cf. Bi. praef. p. CLVIII. attamen etiam *pacifer* apud Claudianum recepta vox est; cf. Rapt. II praef. 10.
- 249 *tendit*] recte Birtius, non *rumpit*. nam illa vox est propria Claudiana qua de re cf. indicem.
- 256 *non*] cum FA praetuli anaphorae inserviens.
- 300 *vestigia*] cf. Bi. praef. p. CLVII.
- 306 *Sitque ratum*] *Sit fatum* quamquam fere omnium consensus firmat, tamen nimis displicuit quia sequitur in eodem

versu *haec fatus* et quia praecedunt v. 305 *famulas* et v. 304 *fateri*.

340 *opaci*] de hac voce despero.

345 *Crine bibunt*] ad ea quae apud Birtium exposui, Skutschius addit male in Statii Silv. V 1, 27 vulgo *choris* legi pro *comis* confertque ib. V 3, 278, Theb. I 90, 115; Lucan. IX 670; Martial. VII 1, 2.

III 11 *reverendaque*] iure receptum puto; certe quod antea regnabat *et lucida*, praeterquam quod ad sensum minime quadrat, etiam sonum habet nimis similem voci *placidus* quae praecedit.

37 *qui*] *cur* FC, sed illud multo melius. etenim sensus causalis est explicaturque, cur Iuppiter parcus dictus sit: quippe *qui campos horrere situ . . velit*.

48 *adeo*] huic voci aptissima gradatio inest; *ideo* quod praebent FS certe ex *ideos* ortum est quod sequitur proximo versu.

85 *Hennae*] cf. quae exposui ad I 122.

105 *Si tua nata, Ceres*] cf. Bi. praef. p. CXLV n. 9.

143 *adlatura*] non recte Birtius cum *aestuat* coniunxisse videtur; fuisset enim potius dicendum 'aestuat adferens cibos'. quid sit, de quo *aestuat*, indicatur v. 144 sq. ego *adlatura* ex *commiserit* pendere volo, quod quam aptum sit, unusquisque videt.

156 *interceptas*] cum omnium fere consensu contra F solum repugnantem confidenter retinui; satis enim libri F auctoritatem Bi. ipse deminuit. *interruptas* quod habet F, eo magis displicet, quia *abrumpit* legitur v. 160, potestque ortum cepisse ex similitudine syllabarum *utas* in v. 155.

177 *effusa comas et pulvere cano*] difficultates quas hic locus viris doctis paraverat, egregie dissolvi videntur conlato loco Vergiliano Georg. IV 337, ubi scriptum extat: *nymphae . . . effusae caesariem per colla*. sic re vera quod optimis libris firmatur etiam nostro in loco tenendum est *effusa comas* et deinde cum A *pulvere cano*, quod ipsum quidem tutatur ipse Claudianus cf. I 187 (et adde Stat. Silv. II 2, 7). sic etiam molestissima tautologia tollitur, quam effecerunt verba *infusa* et *sordida*, neque quiscquam negaverit ex hac quam recuperavimus lectione multo efficaciorum evadere sententiam.

180 *Laxavit frenosque dolor*] hic Skutschius me mittit ad Stat Silv. II 6, 13, ubi legitur *rumpat frenos dolor*. cf. Birtium ad locum.

189 *es*] commendatur vel Ovidi loci comparatione.

213 *vetitamque*] cf. quae dixi apud Birtium.

- 214 de hoc versu, quem emendatiorem praestitit Isengrinus, mitto ad Bi. praef. p. CXIII.
- 220 *Hennaeaque*] cf. quae exposui ad I 122. Parrhasius autem num lectionem ex libris manuscriptis sumpserit, mihi non constat; est tamen veri simile.
- 241 *decrescere*] retinendum est; frustra enim apud Bi. conieci *marcescere*, cum iam v. 247 legatur *marcebant* cumque *decrescere* vox non insolita apud Claudianum sit cf. Bi. indicem.
- 249 *quis*] cum fere omnibus libris recepi idque dici posse ipse Bi. ostendit in indice s. v. *quis*.
- 262 *Vultu*] elisionem excusare conatus est Bi. p. CCXVIII; emendationem librorum \S *ultro* paene probaverim. sed praeamat Cl. componere 'lumina' et 'vultum' cf. ind. s. v.
- 267 *nimumque*] in hoc quoque loco difficiliore eo deveni, ut lectionem traditam servarem. *iamiamque* Cuiacianus Claverii, cuius auctoritatem satis profligavi; *vivumque* Barthius, item fortasse \S nonnulli, quod plane otiosum est. *timidumque* S solus, non ita male, sed tamen ut verum esse diffidam; praecedit enim v. 265 *tremebundus*, quod iam idem valet, neque est cur timor viri urgeatur. restat lectio tradita quam dixi. coniungatur *nimum profundo*, accipiatur *nimum* pro 'valde', intellegatur 'ore profundissimo'.
- 312 hunc versum deesse nolo. habet enim relationem ad versum 311, quae verba querelis Cereris omnino non interposuisset Claudianus essentque plane supervacanea, nisi in sequentibus adluderetur, ut me monet Birtius.
- 317 *Coei*] cf. Bi. praef. CXCVIII n. 8.
- 395 *aversa*] cum fere omnibus rescripsi, nam pulchre hoc et graphice descriptum videtur, quod Ceres in hac re frontem avertit.
- 431 *rotarum*] recte ex S recepit Bi.; *viarum* enim vel displicet propter v. 440.

Carminum minorum appendix.

Conspectus codicum.

- R: cod. Veronensis 163 membr. saec. IX.
- V: cod. Vaticanus n. 2809 membr. saec. XII.
- M: cod. Ambrosianus M 9 sup. membr. saec. XII/XIII.
- β : schedae Peirescianae codicis Vaticani 9135.
- H: cod. Heidelbergensis 358, 44^c, chartac. saec. XVII.
- Camers: editio Claudiani Viennensis 1510.
- Claverius: editio Parisina 1602.
- Isengrinus: editio Basileensis 1534.
- Aldina: editio Aldina 1523.

II 5 sq. hos versus, quos quam foede traditos habeamus in magna editione videndum est, Birtium maxime secutus rescripsi. nam et *faveque* v. 6 illius coniecturae debetur et *Mente* facile adsumi poterat ex Gellii loco a Birtio citato, ubi (XV 2, 8) *refovere animum* scriptum est. *Hippocrenaëon* accusativum esse confido.

10 *Romana*] permirum hoc, tamen tangere non ausus sum; fortasse enim ad cultum Herculis Romanum respiciebat poeta et in fine carminis eam rem explicatius tractaturus fuit; finis nempe deest.

12 *Cui super*] cum Livineio et Buechelero praetuli; *Cui semper* enim praebet R vetustissimus.

32 *Tardata*] A. Riese ex *Tardatam* quod legitur apud R. *Tardata* sine dubio ad *pars* pertinet. possis eodem sensu *Tarda* tamen a Birtio recipere; certe autem post *spiris* interpungendum non est.

45 *numen quae*] ex *numenque* refeci, ut servarem vulgatam *creasset*, qui coniunctivus pro 'creavit' vel 'creaverit' tali in carmine offendere non debet. ceterum ipse codex Veronensis commutationem quam suscepi, comprobat et commendat *nomenque* scribens (*que* = *quae*).

59 *relevans*] Birtius, ad sensum certe aptissime. equidem in locum desperatum nova conamina inferre destiti. Skutschius quod *livens* ex R ad *pondus* trahere vult, id impossibile mihi videtur.

64 *geminos inermis et unus*] cum vitio metrico traditur, qualia plura hoc in carmine.

80 *apros*] defenditur ope Aldhelmi cf. Bi. praef. p. CLXV.

102 *nulli*] non pro genetivo, sed pro dativo acceperim: agri nulli resonant fletibus i. e. *sie geben Niemandem Widerhall auf sein Klagen* i. e. *Niemand klagt*.

116 *vinci*] Birtius *vinctum*, quod displicet propter participia duo asyndeta. fortasse locus sic emendari potest, ut legas:

Atque supinando mirantem lumina vincis (a vinciendo)
Argolici victor portans sub tecta tyranni.

124 *dextro*] cum Buechelero retinendum putavi cf. Birtii adnotationem.

III b hoc epigramma recepi atque hoc signo ab IIIa distinxi. traditum est in schedis Peirescianis quae vocantur sive in folio inserto codici Vaticano 9135 (β); cf. Bi. praef. p. CLXVII et CLXIX.

V in hoc carmine quod tantum naufragium passum est, quantum debeatur virorum doctorum coniecturis, suis locis indicatum invenies.

- 4 *solidare*] post ea, quae Bi. ad locum disputavit, nihil mutare ausus sum.
- 61 *et*] retinui; Bi. *aes* pulchre quidem, sed non necessarium; et sequitur *aeratas* v. 62.
- 63 *folligenis*] hoc ex Aldhelmo defendit Bi. p. CLXVIII.
- 79 *potito*] cum omnibus rescripsi; neque enim hoc passivum in tali carmine quemquam offendet.
- VII 4 *vincli*] monente Skutschio Heinsium secutus edidi; nempe *secura* esto Venus vinculorum Lemniorum illorum, quae extant apud Claudianum Rapt. III 275.
- XII 4 sqq. *parenthesim* institui; agitur nempe de balneo Pontico cf. v. 2. *Hic* autem v. 7 referendum est ad *cui* v. 6; quodsi *cui* ex *latex* v. 5 penderet, versus 7—10 de balneo Gai agerent (cf. v. 4), non de Pontico. sequitur ut *cui* illud coniungamus cum *undae* v. 2.
- XXIa de titulo cf. quae adnotavi sub margine.
- XX de titulo quem restitui cf. Birtium p. CLXXI sq.

Carmina Graeca.

De horum carminum traditione cf. quae disputavit Birtius in praefatione p. LXX sqq. quatenus autem in textu huius editionis emendando viros doctos secutus sim, in margine suis locis indicatum videbis.

- Γλυ. fr. II versum quem eleganter Birtius in initio huius fragmenti interpolare conatus est, tamen recipere ausus non sum.
- 60 *κατέναντι*] hanc formam cum in LXX extare lexica doceant, tutatus sum.
- 68 *ὄνν τοῖς τε*] fortasse tolerari potest in carmine hoc serae graecitatis.
- 72 *ὡς περὶ Θήρας*] aptissime ex *περὶ θήρας* Buechelerus refecisse videtur. nam Theram insulam olim montem flammis eructantem tulisse notum est, cum quo bene comparatur *γίγας αἰθόμενος*.
- V 2 interpunxi Birtium secutus. cf. eius praef. p. LXXIII.



CLAUDII CLAUDIANI

CARMINA

1262 Person

1263-1270 1271

16

17

PANEGYRICVS DICTVS PROBINO ET
OLYBRIO CONSVLIBVS.

(I.)

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia saecula motu,
Sparge diem meliore coma crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem. 5
Iam nova germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, laetique petant exordia menses.

Scis genus Auchenium, nec te latuere potentes
Anniadae; nam saepe soles ductoribus illis
Instaurare vias et cursibus addere nomen. 10

His neque per dubium pendet Fortuna favorem
Nec novit mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. Quemcumque require
Hac de stirpe virum: certum est de consule nasci.

Per fasces numerantur avi semperque renata 15
Nobilitate virent, et prolem fata sequuntur
Continuum simili servantia lege tenorem.

Nec quisquam procerum temptat, licet aere vetusto
Floreat et claro cingatur Roma senatu,
Se iactare parem; sed, prima sede relicta
Auchenii, de iure licet certare secundo: 20

Haud secus ac tacitam Luna regnante per aethram
Siderea cedunt acies, cum fratre retuso
Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis;

9 Anniadae] *scripsi*; Anniadae.
arcton.

22 aethram] *scripsi*;

Tunc iubar Arcturi languet, tunc fulva Leonis 25
 Ira perit, Plaustro iam rara intermicat Arctos
 Indignata tegi, iam caligantibus armis
 Debilis Orion dextram miratur inertem.

Quem prius adgrediar? Veteris quis facta Probini
 Nesciat aut nimias laudes ignoret Olybri? 30

Vivit adhuc completque vagis sermonibus aures
 Gloria fusa Probi, quam non ventura silebunt
 Lustra nec ignota rapiet sub nube vetustas.
 Illum fama vehit trans aequora transque remotas
 Tethyos ambages Atlanteosque recessus. 35

Audiit et gelido si quem Maeotia pascit
 Sub Iove vel calido si quis coniunctus in axe
 Nascentem te, Nile, bibit. Virtutibus ille
 Fortunam domuit numquamque levantibus alte
 Intumuit rebus; sed mens circumflua luxu 40
 Noverat intactum vitio servare rigorem.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris
 Nec tenebris damnavit opes; sed largior imbre
 Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
 Quippe velut denso currentia munera nimbo 45
 Cernere semper erat, populis undare penates,
 Adsiduos intrare inopes, remeare beatos.

Praeceptis illa manus fluvios superabat Hiberos
 Aurea dona vomens, si quis tellure revulsa
 Sollicitis fodiens miratur collibus aurum, 50
 Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
 Effluxere decus, quanto pretiosa metalli
 Hermi ripa micat, quantas per Lydia culta
 Despumat rutilas dives Pactolus harenas.

Non, mihi centenis pateant si vocibus ora 55
 Multifidusque ruat centum per pectora Phoebus,
 Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
 Rexerit, ad summi quotiens fastigia iuris
 Venerit, Italiae late cum frena teneret

Illyricosque sinus et quos arat Africa campos. 60
 Sed nati vicere patrem solique merentur
 Victores audire Probi. Non contigit illi
 Talis honor, prima cum parte viresceret aevi,
 Nec consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
 Cura diu maiora petens, non anxia mentem 65
 Spes agit et longo tendit praecordia voto:
 Coepistis quo finis erat. Primordia vestra
 Vix pauci meruere senes, metasque tenetis
 Ante genas dulces quam flos iuvenilis inumbret
 Oraque ridenti lanugine vestiat aetas. 70
 Tu, precor, ignarum doceas, Parnasia, vatem,
 Quis deus ambobus tanti sit muneris auctor.
 Postquam fulmineis impellens viribus hostem
 Belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
 Roma Probo cupiens dignas persolvere grates 75
 Sedula pro natis dominum flexura rogando
 Ire parat. Famuli currum iunxere volantem
 Impetus horribilisque Metus, qui semper agentes
 Proelia cum fremitu Romam comitantur anhelo,
 Sive petat Parthos seu cuspide turbet Hydaspen. 80
 Hic ligat axe rotas; hic sub iuga ferrea nectit
 Cornipedes rigidisque docet servire lupatis.
 Ipsa, triumphatis qua possidet aethera regnis,
 Adsilit innuptae ritus imitata Minervae.
 Nam neque caesariem crinali stringere cultu 85
 Colla nec ornatu patitur mollire retorto;
 Dextrum nuda latus, niveos exerta lacertos,
 Audacem reteggit mammam, laxumque coercens
 Mordet gemma sinum; nodus, qui sublevat ensem,
 Album puniceo pectus discriminat ostro. 90
 Miscetur decori virtus pulcherque severo
 Armatur terrore pudor, galeaeque minaci
 Flava cruentarum praetenditur umbra iubarum,
 Et formidato clipeus Titana lacessit
 Lumine, quem tota variarat Mulciber arte: 95
 Hic patrius Mavortis amor fetusque notantur

Romulei; pius amnis inest et belua nutrix;
 Electro Tiberis, pueri formantur in auro;
 Fingunt aera lupam; Mavors adamante coruscat.

Iam simul emissis rapido velocior Euro 100.

Fertur equis; strident Zephyri cursuque rotarum
 Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis.

Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
 Quem poscunt, tetigere locum: qua fine sub imo
 Angustant aditum curvis anfractibus Alpes 105

Claustraque congestis scopulis durissima tendunt,
 Non alia reseranda manu, sed pervia tantum
 Augusto geminisque fidem mentita tyrannis.

Semirutae turres avulsaque moenia fumant;
 Crescunt in cumulum strages vallemque profundam
 Aequavere iugis; stagnant immersa cruore 111

Corpora; turbantur permixto funere manes.

Haud procul exhausto laetus certamine victor

Caespite gramineo consederat arbore fultus
 Adclines umeros; dominum gavisa coronat 115

Terra suum, surguntque toris maioribus herbae.
 Sudor adhuc per membra calet creberque recurrit
 Halitus et placidi radiant in casside vultus:

Qualis letifera populatus caede Gelonos
 Procubat horrendus Getico Gradivus in arvo; 120

Exuvias Bellona levat, Bellona tepentes
 Pulvere solvit equos, immensaque cornus in hastam
 Porrigitur tremulisque ferit splendoribus Hebrum.

* Vt stetit ante ducem discussas Roma per auras,
 Conscia ter sonuit rupes et inhorruit atrum 125

Maiestate nemus. Prior hic: 'O numen amicum'

Dux ait 'et legum genetrix longeque regendo
 Circumfusa polo consors ac dicta Tonantis,
 Dic agedum, quae causa viae? cur deseris arces

Asonias caelumque tuum? dic, maxima rerum! 130
 Non ego vel Libycos cessem tolerare labores

Sarmaticosve pati medio sub frigore Cauros,
 Si tu, Roma, velis; pro te quascumque per oras
 Ibimus et nulla sub tempestate timentes
 Solstitio Meroen, bruma temptabimus Histrum? 135

Tum regina refert: 'Non me latet, inclite rector,
 Quod tua pro Latio victricia castra laborant
 Nec quod servitium rursus Furiaeque rebelles
 Edomitae paribus sub te cecidere triumphis.
 Sed precor, hoc donum cum libertate recenti 140
 Adicias, si vera manet reverentia nostri.

Sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
 Pignora cara Probi, festa quos luce creatos
 Ipsa meo fovi gremio. Cunabula parvis
 Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum 145
 Solveret et magnos proferrent sidera partus.

His ego nec Decios pulchros fortesve Metellos
 Praetulerim, non, qui Poenum domuere ferocem,
 Scipiadas Gallisque genus fatale Camillos.
 Pieriis pollent studiis multoque redundant 150
 Eloquio; nec desidiis dapibusve paratis

Indulgere iuvat nec tanta licentia vitae
 Adripit aut mores aetas lasciva relaxat:
 Sed gravibus curis animum sortita senilem
 Ignea longaevo frenatur corde iuventus. 155

Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
 Oramus praebere velis annique futurum
 Devoveas venientis iter. Non improba posco,
 Non insueta dabis: domus haec de more requirit.
 Adnue: sic nobis Scythicus famuletur Araxes, 160

Sic Rhenus per utrumque latus, Medisque subactis
 Nostra Semiramiae timeant insignia turres;
 Sic fluat attonitus Romana per oppida Ganges?.

Ductor ad haec: 'Optata iubes ultroque volentem,
 Diva, rogas; non haec precibus temptanda fuissent.
 Vsque adeone meam condunt obliviam mentem, 166
 Vt pigeat meminisse Probi, quo iudice totam
 Vidimus Hesperiam fessasque resurgere gentes?

Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina dammae
 Errabunt glacieque niger damnabitur Indus, 170
 Ante Thyesteis iterum conterrita mensis
 Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
 Quam Probus a nostro possit discedere sensu'.

Dixerat et velox iam nuntius advolat urbem.

Extemplo strepuere chori collesque canoris 175
 Plausibus impulsus septena voce resultant.

Laetatur veneranda parens et pollice docto
 Iam parat auratas trabeas cinctusque micantes
 Stamine, quod molli tondent de stipite Seres
 Frondea lanigerae carpentes vellera silvae, 180
 Et longum tenues tractus producit in aurum
 Filaque concreto cogit squalere metallo:

Qualis purpureas praebibat candida vestes
 Numinibus Latona suis, cum sacra redirent
 Ad Toca nutricis iam non errantia Deli, 185

Illa feros saltus et desolata relinquens
 Maenala lassato certis venatibus arcu,
 Phoebus adhuc nigris rorantia tela venenis
 Extincto Pythone gerens; tunc insula notos
 Lambit amica pedes ridetque Aegaeus alumnis 190
 Lenior et blando testatur gaudia fluctu.

Sic Proba praecipuo natos exornat amictu:
 Quae decorat mundum, cuius Romana potestas
 Fetibus augetur. Credas ex aethere lapsam
 Stare Pudicitiam vel sacro ture vocatam 195

Inonem Inachiis oculos advertere templis.
 Talem nulla refert antiquis pagina libris *ferunt per historiam*
 Nec Latiae cecinere tubae nec Graia vetustas.
 Coniuge digna Probo; nam tantum coetibus extat
 Feminis, quantum supereminet ille maritos. 200
 Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque,
 Hunc legere torum. Taceat Nereida nuptam

198 Graia] *Heinsius*; grata, graeca. 201 quid] *Claverius*; qui. 202 torum] *Claverius*; ad herum.

Pelion. O duplici fecundam consule matrem
Felicemque uterum, qui nomina parturit annis!

Vt sceptrum gessere manu membrisque rigentes
Aptavere togas, signum dat summus hiulca 206
Nube Pater gratamque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi.

Acceptit sonitus curvis Tiberinus in antris
Ima valle sedens. Adrectis auribus haesit, 210

Vnde repentinus populi fragor. Ilicet herbis
Pallentes thalamos et structa cubilia musco
Deserit ac Nymphis urnam commendat erilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu
Caeruleis infecta notis, reddentia patrem 215

Oceanum; crispo densantur gramine colla;
Vertice luxuriat toto crinalis harundo,
Quam neque fas Zephyris frangi nec sole perustam
Aestivo candore mori; sed vivida frondet
Aequaevum complexa caput. Taurina levantur 220

Cornua temporibus raucos sudantia rivos;
Distillant per pectus aquae; frons hispida manat
Imbribus; in liquidos fontes se barba repectit.
Palla graves umeros velat, quam neverat uxor
Ilia percurrans vitreas sub gurgite telas. 225

Est in Romuleo procumbens insula Thybri
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripae.
Hic stetit et subitum prospexit ab aggere votum: 230

Unanimos fratres iuncto stipante senatu
Ire foras strictasque procul radiare secures
Atque uno biuges tolli de limine fasces.
Obstupuit visu suspensaque gaudia vocem
Oppressam tenere diu; mox inchoat ore: 235

203 Pelion o] *Claverius*; Pelione. 208 tonuerunt]
Gronovius; tenuerunt. 231 Unanimos] *scripsi*; unanimes.
232 foras] *Mommsenus*; forum.

'Respice, si tales iactas aluisse fluentis,
 Eurota Spartane, tuis. Quid protulit aequum
 Falsus olor, valido quamvis discernere caestu
 Noverit et ratibus saevas arcere procellas?
 En nova Ledaeis suboles fulgentior astris, 240
 Ecce mei cives, quorum iam Signifer optat
 Adventum stellisque parat convexa futuris.
 Iam per noctivagos dominetur Olybrius axes
 Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Prohini.
 Ipsi vela regent, ipsis donantibus auras 245
 Navita tranquillo moderabitur aequore pinum.
 Nunc pateras libare deis, nunc solvere multo
 Nectare corda libet. Niveos iam pandite coetus,
 Naides, et totum violis praetexite fontem;
 Mella ferant silvae; iam profluat ebrius amnis 250
 Mutatis in vina vadis; iam sponte per agros
 Sudent inriguae spirantia balsama venae!
 Currat, qui sociae roget in convivia mensae
 Indigenas Fluvios, Italis quicumque suberrant
 Montibus Alpinasque bibunt de more pruinas: 255
 Vulturisque rapax et Nar vitiatum odoro
 Sulphure tardatusque suis erroribus Vfers
 Et Phaethontaeae perpessus damna ruinae
 Eridanus flavaeque terens querceta Maricae
 Liris et Oebaliae qui temperat arva Galaesus. 260
 Semper honoratus nostris celebrabitur undis
 Iste dies, semper dapibus recoletur opimis'.

Sic ait et Nymphae patris praecepta secutae
 Tecta parant epulis ostroque infecta corusco
 Vmida gemmiferis inluxit regia mensis. 265

O bene signatum fraterno nomine tempus!
 O consanguineis felix auctoribus annus,
 Incipe quadrifidum Phoebi torquere laborem.
 Prima tibi procedat hiems non frigore torpens,
 Non canas vestita nives, non aspera ventis, 270

Sed tepido calefacta Noto; ver inde serenum
Protinus et liquidi clementior aura Favoni
Pratis te croceis pingat; te messibus aestas
Induat autumnusque madentibus ambiat uvis.
Omni nobilior lustro, tibi gloria soli 275
Contigit exactum numquam memorata per aevum,
Germanos habuisse duces; te cuncta loquetur
Tellus; te variis scribent in floribus Horae
Longaque perpetui ducent in saecula fasti.

CLAVDII CLAVDIANI IN RVFINVM LIBER
PRIMVS.

INCIPIT PRAEFATIO.

(II.)

Phoebeo domitus Python cum decedit arcu
Membraque Cirrhaeo fudit anhela iugo,
Qui spiris tegetet montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra iubis:
Iam liber Parnasus erat nexuque soluto 5
Cooperat erecta surgere fronde nemus
Concussaeque diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas
Et qui vipereo spumavit saepe veneno
Cephisos nitidis purior ibat aquis. 10
Omnis 'io Paeon' regio sonat; omnia Phoebum
Rura canunt; tripodas plenior aura rotat,
Auditoque procul Musarum carmine dulci
Ad Themidis coeunt antra severa dei.

Nunc alio domini telis Pythone perempto
Convenit ad nostram sacra caterva lyram,
Qui stabilem servans Augustis fratribus orbem
Iustitia pacem, viribus arma regit.

*curios
prose* 15

IN RVFINVM

LIBER I.

(III.)

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
 Curarent superi terras an nullus inesset
 Rector et incerto fluerent mortalia casu.
 Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi
 Praescriptosque mari fines annisque meatus 5
 Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
 Consilio firmata dei, qui lege moveri
 Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
 Qui variam Phoeben alieno iusserit igni
 Compleri Solemque suo, porrexerit undis 10
 Litora, tellurem medio librauerit axe.
 Sed cum res hominum tanta caligine volvi
 Adspicerem laetosque diu florere nocentes
 Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
 Relligio causaeque viam non sponte sequebar 15
 Alterius, vacuo quae currere semina motu
 Adfirmat magnumque novas per inane figuras
 Fortuna, non arte regi, quae numina sensu
 Ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
 Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum 20
 Absolvitque deos. Iam non ad culmina rerum
 Iniustos crevisse queror; tolluntur in altum,
 Vt lapsu graviore ruant. Vos pandite vati,
 Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.
 Invidiae quondam stimulis incanduit atrox 25
 Allecto, placidas late cum cerneret urbes.
 Protinus infernas ad limina taetra sorores
 Concilium deforme vocat. Glomerantur in unum
 Innumerae pestes Erebi, quascumque sinistro

5 annisque] *Heinsius*; annique, amnisque.

Nox genuit fetu: nutrix Discordia belli, 30
 Imperiosa Fames, leto vicina Senectus
 Impatiensque sui Morbus Livorque secundis
 Anxius et scisso maerens velamine Luctus
 Et Timor et caeco praeceps Audacia vultu
 Et Luxus populator opum, quem semper adhaerens 35
 Infelix humili gressu comitatur Egestas,
 Foedaque Avaritiae complexae pectora matris
 Insomnes longo veniunt examine Curae.
 Complentur vario ferrata sedilia coetu
 Torvaque collectis stipatur curia monstris. 40
 Allecto stetit in mediis vulgusque tacere
 Iussit et obstantes in tergum reppulit angues
 Perque umeros errare dedit. Tum corde sub imo
 Inclusam rabidis patefecit vocibus iram:
 'Sicine tranquillo produci saecula cursu, 45
 Sic fortunatas patiemur vivere gentes?
 Quae nova corrumpit nostros elementia mores?
 Quo rabies innata perit? quid inania prosunt
 Verbera? quid facibus nequiquam cingimur atris?
 Heu nimis ignavae, quas Iuppiter arcet Olympo, 50
 Theodosius terris. En aurea nascitur aetas,
 En proles antiqua redit. Concordia, Virtus
 Cumque Fide Pietas alta cervice vagantur
 Insignemque canunt nostra de plebe triumphum.
 Pro dolor! ipsa mihi liquidas delapsa per auras 55
 Iustitia insultat vitiisque a stirpe recisis
 Elicit oppressas tenebroso carcere leges.
 At nos indecores longo torpebimus aevo
 Omnibus eiectae regnis! Agnoscite tandem
 Quid Furias deceat; consuetas sumite vires 60
 Conventuque nefas tanto decernite dignum.
 Iam cupio Stygiis invadere nubibus astra,
 Iam flatu violare diem, laxare profundo
 Frena mari, fluvios ruptis inmittere ripis
 Et rerum vexare fidem'. 65

Sic fata cruentum

Mugit et totos serpentum erexit hiatus
 Noxiaque effudit concusso crine venena.
 Anceps motus erat vulgi. Pars maxima bellum
 Indicit superis, pars Ditis iura veretur,
 Dissensuque alitur rumor: ceu murmurat alti 70
 Impacata quies pelagi, cum flamine fracto
 Durat adhuc saevitque tumor dubiumque per aestum
 Lassa recedentis fluitant vestigia venti.

Improba mox surgit tristi de sede Megaera.
 Quam penes insani fremitus animique profanus 75
 Error et undantes spumis furialibus irae:
 Non nisi quaesitum cognata caede cruorem
 Illicitumve bibit, patrius quem fuderit ensis,
 Quem dederint fratres; haec terruit Herculis ora
 Et defensores terrarum polluit arcus, 80
 Haec Athamanteae direxit spicula dextrae,
 Haec Agamemnonios inter bacchata penates
 Alternis lusit iugulis; hac auspice taedae
 Oedipoden matri, natae iunxere Thyesten.
 Quae tunc horrisonis effatur talia dictis: 85

Signa quidem, sociae, divos attollere contra
 Nec fas est nec posse reor; sed laedere mundum
 Si libet et populis commune intendere letum.
 Est mihi prodigium cunctis inmanius hydri,
 Tigride mobilius feta, violentius Austris 90
 Acribus, Euripi fulvis incertius undis
 Rufinus, quem prima meo de matre cadentem
 Suscepi gremio. Parvus reptavit in isto
 Saepe sinu teneroque per ardua colla volutus
 Vbera quaesivit fletu linguisque trisulcis 95
 Mollia lambentes finxerunt membra cerastae;
 Meque etiam tradente dolos artesque nocendi
 Edidicit: simulare fidem sensusque minaces
 Protegere et blando fraudem praetexere risu,
 Plenus saevitiae lucrique cupidine fervens. 100
 Non Tartesiacis illum satiaret harenis
 Tempesta pretiosa Tagi, non stagna rubentis

Aurea Pactoli; totumque exhauserit Hermum:
 Ardebit maiore siti. Quam fallere mentes
 Doctus et unanimos odiis turbare sodales! 105
 Talem progenies hominum si prisca tulisset,
 Perithoum fugeret Theseus, offensus Orestem
 Desereret Pylades, odisset Castora Pollux.
 Ipsa quidem fateor vinci rapidoque magistram
 Praeuenit ingenio; nec plus sermone morabor: 110
 Solus habet scelerum quidquid possedimus omnes.
 Hunc ego, si vestrae res est accommoda turbae,
 Regalem ad summi producam principis aulam.
 Sit licet ipse Numa gravior, sit denique Minos,
 Cedet et insidiis nostri flectetur alumni? 115
 Orantem sequitur clamor cunctaeque profanas
 Porrexere manus inventaque tristia laudant.
 Illa ubi caeruleo vestes conexuit angue
 Nodavitque adamante comas, Phlegethonta sonorum
 Poscit et ambusto flagrantis ab aggere ripae 120
 Ingentem piceo succendit gurgite pinum
 Pigraque veloces per Tartara concutit alas.
 Est locus extremum pandit qua Gallia litus
 Oceani praetentus aquis, ubi fertur Vlixes
 Sanguine libato populum movisse silentem. 125
 Illic umbrarum tenui stridore volantum
 Flebilis auditur questus; simulacra coloni
 Pallida defunctasque vident migrare catervas.
 Hinc dea prosiluit Phoebique egressa serenos
 Infecit radios ululatuque aethera rupit 130
 Terrifico: sentit ferule Britannia murmur
 Et Senonum quatit arva fragor revolutaque Tethys
 Substitit et Rhenus proiecta torpuit urna.
 Tunc in canitiem mutatis sponte colubris
 Longaevum mentita senem rugisque seueras 135
 Persulcata genas et ficto languida passu
 Invadit muros Elusae, notissima dudum
 Tecta petens, oculisque diu liventibus haesit
 Peiorem mirata virum, tum talia fatur:

L 'Otia te, Rufine, iuvant frustra que iuventae 140
 Consumis florem patriis inglorius arvis?
 Heu nescis quid fata tibi, quid sidera debent,
 Quid Fortuna parat: toto dominabere mundo,
 Si parere velis! Artus ne sperne seniles!
 Namque mihi magicae vires aequique futuri 145
 Praescius ardor inest; novi quo Thessala cantu
 Eripiat lunare iubar, quid signa sagacis
 Aegypti valeant, qua gens Chaldaea vocatis
 Imperet arte deis, nec me latuere fluentes
 Arboribus suci funestarumque potestas 150
 Herbarum, quidquid letali gramine pollens
 Caucasus et Scythicae vernant in *gramina rupes,
 Quas legit Medea ferox et callida Circe.
 Saepius horrendos manes sacrisque litavi
 Nocturnis Hecaten et condita funera traxi 155
 Carminibus victura meis, multosque canendo,
 Quamvis Parcarum restarent fila, peremi.
 Ire vagas quercus et fulmen stare coegi
 Versaque non prono curvavi flumina lapsu
 In fontes reditura suos. Ne vana locutum 160
 Me fortasse putes, mutatos cerne penates?
 Dixerat, et niveae (mirum!) coepere columnae
 Ditari subitoque trabes lucere metallo.

Inlecebris capitur nimiumque elatus avaro
 Pascitur aspectu. Sic rex ad prima tumebat 165
 Maeonius, pulchro cum verteret omnia tactu;
 Sed postquam riguisse dapes fulvamque revinctos
 In glaciem vidit latices, tum munus acerbum
 Sensit et invisio votum damnavit in auro.
 Ergo animi victus 'sequimur quocumque vocabis, 170
 Seu tu vir seu numen' ait, patriaque relicta
 Eoas Furiae iussu tendebat ad arces
 Instabilesque olim Symplegadas et freta remis
 Inclita Thessalicis, celsa qua Bosphorus urbe
 Splendet et Odrysiis Asiam discriminat oris. 175
 Vt longum permensus iter ductusque maligno

Stamine fatorum claram subrepsit in aulam,
 Ilicet ambitio nasci, discedere rectum,
 Venum cuncta dari; profert arcaña, clientes
 Fallit et ambitos a principe vendit honores. 180
 Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
 Nutrit et exiguum stimulando vulnus acerbat.
 Ac velut innumeros annes accedere Nereus
 Nescit et undantem quamvis hinc hauriat Histrum,
 Hinc bibat aestivum septeno gurgite Nilum, 185
 Par semper similisque manet: sic fluctibus auri
 Expleri calor ille nequit. Cuicumque monile
 Contextum gemmis aut praedia culta fuissent,
 Rufino populandus erat, dominoque parabat
 Exitium fecundus ager; metuenda colonis 190
 Fertilitas: laribus pellit, detrudit avitis
 Finibus; aut aufert vivis aut occupat heres.
 Congestae cumulantur opes orbisque ruinas
 Accipit una domus: populi servire coacti
 Plenaque privato succumbunt oppida regno. 195
 Quo vesane ruis? Teneas utrumque licebit
 Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
 Iungatur solium Croesi Cyrique tiara:
 Numquam dives eris, numquam satiabere quaestu.
 Semper inops quicumque cupit. Contentus honesto
 Fabricius parvo spernebat munera regum 201
 Sudabatque gravi consul Serranus aratro
 Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
 Haec mihi paupertas opulentior, haec mihi tecta
 Culminibus maiora tuis. Ibi quaerit inanes 205
 Luxuries nocitura cibos; hic donat inemptas
 Terra dapes. Rapiunt Tyrios ibi vellera sucos
 Et picturatae saturantur murice vestes;
 Hic radiant flores et prati viva voluptas
 Ingenio variata suo. Fulgentibus illic 210
 Surgunt strata toris; hic mollis panditur herba
 Sollicitum curis non abruptura soporem.
 Turba salutantum latas ibi perstrepsit aedes;

Hic avium cantus, labentis murmura rivi. *pro simple life*
 Vivitur exiguo melius; natura beatis 215
 Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
 Haec si nota forent, frueremur simplice cultu,
 Classica non gemerent, non stridula fraxinus iret,
 Nec ventus quateret puppes nec machina muros.
 Crescebat scelerata sitis praedaeque recentis 220
 Incestus flagrabat amor, nullusque petendi
 Cogendive pudor: crebris periuria nectit
 Blanditiis; sociat perituro foedere dextras.
 Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
 Effera praetumido quatiebat corda furore. 225
 Quae sic Gaetuli iaculo percussa laena
 Aut Hyrcana premens raptorem belua partus
 Aut serpens calcata furit? Iurata deorum
 Maiestas teritur; nusquam reverentia mensae.
 Non coniunx, non ipse simul, non pignora caesa 230
 Sufficiunt odiis; non extinxisse propinquos,
 Non notos egisse sat est; excindere cives
 Funditus et nomen gentis delere laborat. *hyrcia?*
 Nec celeri perimit leto; crudelibus ante
 Suppliciis fruitur; cruciatus, vincla, tenebras 235
 Dilato mucrone parat. Pro saevior ense
 Parcendi rabies concessaque vita dolori!
 Mors adeone parum est? Causis fallacibus instat,
 Arguit attonitos se iudice. Cetera segnis,
 Ad facinus velox, penitus regione remotas *consequitur* 240
 Impiger ire vias: non illum Sirius ardens
 Brumave Riphaeo stridens Aquilone retardat.
 Effera torquebant avidae praecordia curae,
 Effugeret ne quis gladios neu perderet ullum
 Augusto miserante nefas. Non flectitur annis, 245
 Non aetate labat: iuvenum rorantia colla
 Ante patrum vultus stricta cecidere securi;
 Ibat grandaevus nato moriente superstes
 Post trabeas exul. Quis prodere tanta relatu
 Funera, quis caedes possit deflere nefandas? 250

Quid tale inmanes umquam gessisse feruntur
 Vel Sinis Isthmiaca pinu vel rupe profunda
 Sciron vel Phalaris tauro vel carcere Sylla?
 O mites Diomedis equi! Busiridis arae
 Clementes! Iam Cinna pius, iam Spartace segnis 255
 Rufino collatus eris!

Deiecerat omnes

Occultis odiis terror tacitique sepultos
 Suspirant gemitus indignarique verentur.
 At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
 Fracta metu; solus medio sed turbine rerum 260
 Contra letiferos rictus contraque rapacem
 Movit tela feram, volucris non praepete cursu
 Vectus equi, non Pegaseis adiutus habenis. *of 281 infra*
 Hic cunctis optata quies, hic sola pericli
 Turris erat clipeusque trucem porrectus in hostem,
 Hic profugis sedes adversaque signa furori, 266
 Servandis hic castra bonis.

Hucusque minatus

Haerebat retroque fuga cedebat inertis:
 Haud secus hiberno tumidus cum vertice torrens
 Saxa rotat volvitque nemus pontesque revellit, 270
 Frangitur obiectu scopuli quaerensque meatum
 Spumat et inlisa montem circumtonat unda.

Qua dignum te laude feram, qui paene ruenti
 Lapsuroque tuos umeros obieceris orbi?
 Te nobis trepidae sidus ceu dulce carinae 275
 Ostendere dei, geminis quae lassa procellis
 Tunditur et victo trahitur iam caeca magistro.
 Inachus Rubro perhibetur in aequore Perseus
 Neptuni domuisse pecus, sed tutior alis:
 Te non penna vehit; rigida cum Gorgone Perseus:
 Tu non vipereo defensus crine Medusae; 281
 Illum vilis amor suspensae virginis egit:
 Te Romana salus. Taceat superata vetustas,
 Herculeos conferre tuis iam desinat actus.
 Vna Cleonaeum pascebat silva leonem; 285

Arcadiae saltum vastabat dentibus unum
 Saevus aper, tuque o cum pressa matre rebellis
 Non ultra Libyae fines, Antaeae, nocebas,
 Solaque fulmineo resonabat Creta iuvenco
 Lernaemque virens obsederat hydra paludem. 290

Hoc monstrum non una palus, non una tremebat
 Insula, sed Latia quidquid ditione subactum
 Vivit, et a primis Ganges horrebat Hiberis. *how Spain*
 Hoc neque Geryon triplex nec turbidus Orci
 Ianitor aequabit nec si concurrat in unum 295
 Vis hydrae Scyllaeque fames et flamma Chimaerae.

Certamen sublime diu, sed moribus impar
 Virtutum scelerumque fuit. Iugulare minatur:
 Tu prohibes; ditem spoliat: tu reddis egenti;
 Eruit: instauras; accendit proelia: vincis. 300

Ac velut infecto morbus crudescere caelo
 Incipiens primos pecudum depascitur artus,
 Mox populos urbesque rapit ventisque perustis
 Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes:
 Sic avidus praedo iam non per singula saevit. 305

Sed sceptris inferre minas omni que perempto
 Milite Romanas ardet prosternere vires,
 Iamque Getas Histrumque movet Scythiamque receptat
 Auxilio traditque suas hostilibus armis
 Relliquias. Mixtis descendit Sarmata Dacis 310

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
 Massagetes caesamque bibens Maeotin Alanus
 Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,
 Rufino collecta manus. Vetat ille domare
 Innectitque moras et congrua tempora differt. 315

Nam tua cum Geticas stravisset dextra catervas,
 Vlta ducis socii letum, parsque una maneret *who? Prom?*
 Debilior facilisque capi, tunc impius ille
 Proditor imperii coniuratusque Getarum

287 cum pressa] *scripsi*; cumpressa, compressa. 314 do-
 mare] *Birtius*; domari.

Distulit instantes eluso principe pugnas 320
 Hunorum laturus opem, quos adfore bello
 Norat et invisus mox se coniungere castris.

Est genus extremos Scythiae vergentis in ortus
 Trans gelidum Tanain, quo non famosius ullum 325
 Arctos alit. Turpes habitus obscaenaque visu

Corpora; mens duro numquam cessura labori;
 Praeda cibus, vitanda Ceres frontemque secari
 Ludus et occisos pulchrum iurare parentes.

Nec plus nubigenas duplex natura bifformes
 Cognatis aptavit equis; acerrima nullo 330
 Ordine mobilitas insperatique recursus.

Quos tamen impavidus contra spumantis ad Hebri
 Tendis aquas, sic ante tubas aciemque precatus:

'Mavors, nubifero seu tu procumbis in Haemo
 Seu te cana gelu Rhodope seu remige Medo 335
 Sollicitatus Athos seu caligantia nigris

Ilicibus Pangaea tenent, accingere mecum
 Et Thracas defende tuos. Si laetior adsit
 Gloria, vestita spoliis donabere quercu'.

Audiit illa pater scopulisque nivalibus Haemi 340
 Surgit et hortatur celeres clamore ministros:

'Fer galeam, Bellona, mihi nexusque rotarum
 Tende, Pavor. Frenet rapidos Formido iugales.
 Festinas urgete manus. Meus ecce paratur

Ad bellum Stilicho, qui me de more tropaeis 345
 Ditat et hostiles suspendit in arbore cristas.

Communes semper litui, communia nobis
 Signa canunt iunctoque sequor tentoria curru'.

Sic fatus campo insiluit lateque fugatas
 Hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebat 350
 Et clipeis et mole pares; stat cassis utrique

Sidereis hirsuta iubis loricaque cursu
 Aestuat et largo saturatur vulnere cornus.

Acrior interea voto multisque Megaera
 Luxuriata malis maestam deprendit in arce 355
 Iustitiam diroque prior sic ore lacessit:

'En tibi prisca quies renovataque saecula rursus,
 Vt rebare, vigent? en nostra potentia cessit
 Nec locus est usquam Furiis? Huc lumina flecte.
 Adspice barbaricis iaceant quot moenia flammis, 360
 Quas mihi Rufinus strages quantumque cruoris
 Praebeat et quantis epulentur caedibus hydri.
 Linque homines sortemque meam, pete sidera; notis
 Autumni te redde plagis, qua vergit in Austrum
 Signifer; aestivo sedes vicina Leoni 365

Iam pridem gelidaeque vacant confinia Librae.
 Atque utinam per magna sequi convexa liceret!
 Diva refert: 'Non ulterius bacchabere demens.
 Iam poenas tuus iste dabit, iam debitus ultor
 Inminet, et, terras qui nunc ipsumque fatigat 370
 Aethera, non vili moriens condetur harena.
 Iamque aderit laeto promissus Honorius aevo
 Nec forti genitore minor nec fratre corusco,
 Qui subiget Medos, qui cuspide proteret Indos.
 Sub iuga venturi reges; calcabitur asper 375

Phasis equo pontemque pati cogetur Araxes,
 Tuque simul gravibus ferri religata catenis
 Expellere die debellatasque draconum
 Tonsa comas imo barathri claudere recessu.
 Tum tellus communis erit, tum limite nullo 380
 Discernetur ager; nec vomere sulcus adunco
 Findetur: subitis messor gaudebit aristis.
 Rorabunt querceta favis; stagnantia passim
 Vina fluent oleique lacus; nec murice tinctis
 Velleribus quaeretur honos, sed sponte rubebunt 385
 Attonito pastore greges pontumque per omnem
 Ridebunt virides gemmis nascentibus algae?

IN RUFINUM LIBER SECVNDVS.

INCIPIIT PRAEFATIO.

(IV.)

Pandite defensum reduces Heliconæ sorores,

Pandite; promissis iam licet ire choris:

Nulla per Aonios hostilis bucina campos

Carmina mugitu deteriore vetat.

Tu quoque securis pulsa formidine Delphis

Floribus ultorem, Delie, cinge tuum.

Nullus Castalios latices et praescia fati

Flumina polluto barbarus ore bibit.

Alpheus late rubuit Siculumque per aequor

Sanguineas belli rettulit unda notas

Agnovitque novos absens Arethusa triumphos

Et Geticam sensit teste cruore necem.

Immensis, Stilicho, succedant otia curis

Et nostrae patiens corda remitte lyrae,

Nec pudeat longos interrupisse labores

Et tenuem Musis constituisse moram.

Fertur et indomitus tandem post proelia Mavors

Lassa per Odrysias fundere membra nives

Oblitusque sui posita clementior hasta

Pieriis aures pacificare modis.

2 promissis] *Birtius*; permissis.

IN RVFINVM

LIBER II.

(V.)

Iam post edomitas Alpes defensaque regna
 Hesperiae merita complexus sede parentem
 Auctior adiecto fulgebat sidere mundus,
 Iamque tuis, Stilicho, Romana potentia curis
 Et rerum commissus apex, tibi credita fratrum 5
 Utraque maiestas geminaeque exercitus aulae.
 Rufinus (neque enim patiuntur saeva quietem
 Crimina pollutaeque negant arescere fauces)
 Infandis iterum terras accendere bellis
 Inchoat et solito pacem vexare tumultu. 10
 Haec etiam secum: 'Quanam ratione tuebor
 Spem vitae fragilem? qua tot depellere fluctus
 Arte queam? Premor hinc odiis, hinc milite cingor.
 Heu quid agam? non arma mihi, non principis ullus
 Auxiliatur amor. Matura pericula surgunt 15
 Vndique et impositi radiant cervicibus enses.
 Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu
 Insontesque meae populos miscere ruinae?
 Everso iuvat orbe mori; solacia leto
 Exitium commune dabit nec territus ante 20
 Discedam: cum luce simul linquenda potestas'.
 Haec fatus, ventis veluti si frena resolvat
 Aeolus, abrupto gentes sic obice fudit
 Laxavitque viam bellis et, ne qua maneret
 Inmunis regio, cladem divisit in orbem 25
 Disposuitque nefas. Alii per terga ferocis
 Danuvii solidata ruunt expertaque remos
 Frangunt stagna rotis; alii per Caspia claustra
 Armeniasque nives inopino tramite ducti
 Invadunt Orientis opes. Iam pascua fumant 30
 Cappadocum volucrumque parens Argaeus equorum,

Iam rubet altus Halys nec se defendit iniquo
 Monte Cilix. Syriae tractus vastantur amoeni
 Adsuetumque choris et laeta plebe canorum
 Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem. 35
 Hinc planctus Asiae; Geticis Europa catervis
 Ludibrio praedaeque datur frondentis ad usque
 Dalmatiae fines: omnis quae mobile Ponti *Silyria denunc*
 Aequor et Adriacas tellus interiacket undas
 Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis, 40
 Instar anhelantis Libyae, quae torrida semper
 Solibus humano nescit mansuescere cultu.
 Thessalus ardet ager; reticet pastore fugato
 Pelion; Emathias ignis populatur aristas.
 Nam plaga Pannoniae miserandaque moenia Thracum
 Arvaque Mysorum iam nulli flebile damnum, 46
 Sed cursus sollempnis erat campusque furori
 Expositus, sensumque malis detraxerat usus.
 Eheu quam brevibus pereunt ingentia fati!
 Imperium tanto quaesitum sanguine, tanto 50
 Servatum, quod mille ducum peperere labores,
 Quod tantis Romana manus contexuit annis,
 Proditor unus iners angusto tempore vertit.
 Vrbs etiam, magnae quae ducitur aemula Romae
 Et Calchedonias contra despectat harenas, 55
 Iam non finitimo Martis terrore movetur,
 Sed propius lucere faces et rauca sonare
 Cornua vibratisque peti fastigia telis
 Adspicit. Hi vigili muros statione tueri,
 Hi iunctis properant portus munire carinis. 60
 Obsessa tamen ille ferus laetatur in urbe
 Exultatque malis summaeque ex culmine turris
 Impia vicini cernit spectacula campi:
 Vincetas ire nurus, hunc in vada proxima mergi
 Seminecem, hunc subito percussum vulnere labi 65
 Dum fugit, hunc animam portis efflare sub ipsis;
 Nec canos prodesse seni puerique cruore
 Maternos undare sinus. Immensa voluptas

Et risus plerumque subit; dolor afficit unus,
 Quod feriat non ipse manu. Videt omnia late 70
 Exceptis incensa suis et crimine tanto
 Luxuriat carumque sibi non abnuit hostem;
 Iactabatque ultro, quod soli castra paterent
 Sermonumque foret vicibus permissa potestas.

Egregii quotiens exisset foederis auctor, 75
 Stipatur sociis, circumque armata clientum
 Agmina privatis ibant famulantia signis;
 Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
 Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles
 Frenaque et inmanes pharetras arcusque sonoros 80
 Adsimulat mentemque palam proclamat amictu,
 Nec pudet Ausonios currus et iura regentem
 Sumere deformes ritus vestemque Getarum;
 Insignemque habitum Latii mutare coactae
 Maerent captivae pellito iudice leges. 85

Quis populi tum vultus erat! quae murmura furtim!
 (Nam miseris ne flere quidem aut lenire dolorem
 Colloquiis impune licet): 'Quonam usque feremus
 Exitiale iugum? durae quis terminus umquam
 Sortis erit? quis nos funesto turbine rerum 90
 Aut tantis solvet lacrimis, quos barbarus illinc,
 Hinc Rufinus agit, quibus arva fretumque negatur?
 Magna quidem per rura lues, sed maior oberrat
 Intra tecta timor. Tandem succurre ruenti
 Heu patriae, Stilicho! Dilecta hic pignora certe; 95
 Hic domus, hic thalamis primum genialibus omen,
 Hic tibi felices erexit regia taedas.
 Vel solus sperate veni. Te proelia viso
 Languescent avidique cadet dementia monstri?'

Talibus urgetur discors Aurora procellis. 100
 At Stilicho, Zephyris cum primum bruma remitti
 Et iuga diffusis nudari coepta pruinis,
 Partibus Italiae tuta sub pace relictis
 Vtraque castra movens Phoebi properabat ad ortus,
 Gallica discretis Eoaque robora turmis 105

Amplexus. Numquam tantae ditione sub una
 Convenere manus nec tot discrimina vocum:
 Illinc Armeniae vibratis crinibus alae
 Herbida collectae facili velamina nodo;
 Inde truces flavo comitantur vertice Galli, 110
 Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit
 Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus
 Quosque rigat retro perniciosior unda Garunnae,
 Oceani pleno quotiens impellitur aestu.
 Mens eadem cunctis animique recentia ponunt 115
 Vulnera; non odit victus victorve superbit. *SIT. 155*
 Et quamvis praesens tumor et civilia nuper
 Classica bellatrixque etiamnunc ira caleret,
 In ducis eximii conspiravere favorem.
 Haud aliter Xerxen toto simul orbe secutus 120
 Narratur rapuisse vagos exercitus amnes
 Et telis umbrasse diem, cum classibus iret
 Per scopulos tectumque pedes contemneret aequor.
 Vix Alpes egressus erat nec iam amplius errat
 Barbarus adventumque timens se cogit in unam 125
 Planitiem tutoque includit pascua gyro:
 Tum duplici fossa non exuperabile vallum
 Asperat alternis sudibus murique locata
 In speciem caesis obtendit plaustra iuvenis.
 At procul exanguis Rufinum perculit horror; 130
 Infectae pallore genae; stetit ore gelato
 Incertus peteretne fugam, veniamne subactus
 Posceret an fidos sese transferret in hostes.
 Quid nunc divitiae, quid fulvi vasta metalli
 Congeries, quid purpureis effulta columnis 135
 Atria prolataeve iuvant ad sidera moles?
 Audit iter numeratque dies spatioque viarum
 Metitur vitam. Torquetur pace futura
 Nec recipit somnos et saepe cubilibus amens
 Executitur poenamque luit formidine poenae. 140
 Sed redit in faciem scelerumque inmane resumit
 Ingenium sacrasque fores praedivitis aulae

Intrat et Arcadium mixto terrore precatur:

‘Per fratris regale iubar, per facta parentis
 Aetherii floremque tui te deprecor aevi, 145
 Eripe me gladiis; liceat Stilichonis iniquas
 Evitare minas. In nostram Gallia caedem
 Coniurata venit. Quidquid rigat ultima Tethys,
 Extremos ultra volitat gens si qua Britannos,
 Mota mihi. Tantis capiendi credimur armis; 150
 Tot signis unum petitur caput. Vnde cruoris
 Ista sitis? Geminum caeli sibi vindicat axem
 Et nullum vult esse parem. Succumbere poscit
 Cuncta sibi: regit Italiam Libyamque coercet;
 Hispanis Gallisque iubet; non orbita solis, 155
 Non illum natura capit. Quascumque paravit
 Hic Augustus opes et quas post bella recepit,
 Solus habet, possessa semel nec reddere curat.
 Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur;
 Nos premat obsidio. Quid Thracam invadere temptat?
 Deserat Illyricos fines; Eoa remittat 161
 Agmina; fraternas ex aequo dividat hastas
 Nec sceptri tantum fueris, sed militis heres.
 Quodsi dissimulas nostrae succurrere morti
 Nec prohibere paras, Manes et sidera testor: 165
 Haec cervix non sola cadet; miscebitur alter
 Sanguis; nec Stygias ferar incommitatus ad undas
 Nec mea securus ridebit funera victor!’

Haec ubi, dictatur facinus missusque repente
 Qui ferat extortas invito principe voces. 170

Interea Stilicho iam laetior hoste propinquo
 Nec multo spatii distantibus aequore vallis
 Pugnandi cupidus accendit voce cohortes.
 Armeniis frons laeva datur; per cornua Gallos
 Dexteriora locat. Spumis ignescere frena, 175
 Pulveris extolli nimbos lateque videres
 Surgere purpureis undantes anguibus hastas

Serpentumque vago caelum saevire volatu.
 Implet Thessaliam ferri nitor, antraque docti
 Cornipedis teneroque amnis reptatus Achilli 180
 Et nemus Oetaeum radiat. Clamore nivalis
 Ossa tonat pulsoque fragor geminatur Olympo.
 Intumuit virtus et lucis prodigus arsit
 Impetus; haud illos rupes, haud alta vetarent
 Flumina: praecipiti stravissent omnia cursu. 185

Si tunc his animis acies collata fuisset,
 Proditā non tantas vidisset Graecia caedes,
 Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent,
 Starent Arcadiae, starent Lacedaemonis arces;
 Non mare fumasset geminum flagrante Corintho 190
 Nec fera Cecropiae traxissent vincula matres.

Illa dies potuit nostris imponere finem
 Cladibus et sceleris causas auferre futuri.
 Invida pro quantum rapuit Fortuna triumphum!
 Inter equos interque tubas mandata feruntur 195
 Regia et armati veniunt ductoris ad aures.

Obstupuit; simul ira virum, simul obruit ingens
 Maeror et ignavo tantum licuisse nocenti
 Miratur. Dubios anceps sententia volvit
 Eventus: peragat pugnas an fortia coepta 200
 Deserat? Illyricis ardet succurrere damnis;
 Praeceptis obstare timet. Reverentia frangit
 Virtutis stimulos: hinc publica commoda suadent,
 Hinc metus invidiae. Tandem indignatus ad astra
 Extollit palmas et ab imo pectore fatur: 205

Numina Romanis necdum satiata ruinis,
 Si iuvat imperium penitus de stirpe revelli,
 Vno si placuit deleri saecula lapsu,
 Si piget humani generis: prorumpat in arva
 Libertas effrena maris vel limite iusto 210
 Devius errantes Phaethon confundat habenas.
 Cur per Rufinum geritur? Procumbere mundum
 Hoc auctore pudet. Mediis revocamur ab armis
 (Pro dolor!) et strictos deponere cogimur enses.

Vos, arsuræ urbes perituraque moenia, testor: 215
 Cedo equidem et miserum permitto casibus orbem.
 Flectite signa, duces. Redeat iam miles Eous.
 Parendum est. Taceant litui. Prohibete sagittas.
 Parcite contiguo — Rufinus præcipit! — hosti.'

His dictis omnes una fremuere manipli 220
 Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,
 Quantum non madidis elisa tonitrua Cauris,
 Secernique negant ereptaque proelia poscunt,
 Insignemque ducem populus defendit uterque
 Et sibi quisque trahit. Magno certatur amore, 225
 Alternamque fidem non inlaudata lacessit
 Seditio talique simul clamore queruntur:

'Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis
 Excutit et solvi curvatos imperat arcus?
 Quisnam audet stricto leges imponere ferro? 230

Inflammata semel nescit mitescere virtus.
 Iam mihi barbaricos sitientia pila cruores
 Sponte volant ultroque manus mucrone furenti
 Ducitur et siccum gladium vagina recusat.
 Non patiar. Semperne Getis discordia nostra 235
 Proderit? En iterum belli civilis imago!

Quid consanguineas acies, quid dividis olim
 Concordes aquilas? Non dissociabile corpus
 Coniunctumque sumus. Te qua libet ire sequemur.
 Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thylen, 240
 Te vel ad incensas Libyæ comitabor harenas.

Indorum si stagna petas Rubrique recessus
 Litoris, auriferum veniam poturus Hydaspem;
 Si calcare Notum secretaque noscere Nili
 Nascentis iubeas, mundum post terga relinquam; 245
 Et quocumque loco Stilicho tentoria figat,
 Haec patria est.'

Dux inde vetat: 'Desistite, quaeso,
 Atque avidam differte manum. Cadat iste minacis
 Invidiæ cumulus. Non est victoria tanti,
 Vt videar vicisse mihi. Vos fida iuventus 250

Ite, mei quondam socii.' Nec plura locutus
 Flexit iter: vacuo qualis discedit hiatu
 Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis
 Et pastorales pepulerunt igne catervae,
 Inclinatque iubas demissaque lumina velat 255
 Et trepidas maesto rimatur murmure silvas.

Vt sese legio vidit disiuncta relinqui,
 Ingentem tollit gemitum galeasque solutis
 Vmectat lacrimis pressamque morantia vocem
 Thoracum validos pulsant suspiria nexus: 260

'Tradimur, heu, tantumque sequi prohibemur amorem!'
 Exclamant. 'Spernisne tuas, dux optime, dextras,
 Quas tibi victrices totiens Bellona probavit?
 Nos adeo viles? adeo felicior axis
 Hesperius, meruit qui te rectore teneri? 265

Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem
 Pignora dilectosve iuvat coluisse penates?
 Te sine dulce nihil. Iam formidata tyranni
 Tempestas subeunda mihi, qui forte nefandas
 Clam parat insidias, qui nos aut turpibus Hunis 270

Aut impacatis famulos praebebit Alanis;
 Quamquam non adeo robur defecerit omne
 Tantave gestandi fuerit penuria ferri.
 Tu, licet occiduo maneat sub cardine caeli,
 Tu mihi dux semper, Stilicho, nostramque vel absens 275
 Experiere fidem. Dabitur tibi debita pridem
 Victima: promissis longe placabere sacris.'

Tristior Haemoniis miles digressus ab oris
 Tangebatur Macetum fines murosque subibat,
 Thessalonica, tuos. Sensu dolor haeret in alto 280

Abditus et tacitas vindictae praestruit iras,
 Spectaturque favens odiis locus aptaque leto
 Tempora. Nec quisquam tanta de pube repertus,
 Proderet incautis qui corda minantia verbis.
 Quae non posteritas, quae non mirabitur aetas 285

Tanti consilium vulgi potuisse taceri
 Aut facinus tam grande tegi mentisque calorem
 Non sermone viae, non inter pocula rumpi?
 Aequalis tantam tenuit constantia turbam
 Et fuit arcanum populo. Percurritur Haemus, 290
 Deseritur Rhodope Thracumque per ardua tendunt,
 Donec ad Herculei perventum nominis urbem.

Vt cessisse ducem, propius venisse cohortes
 Cognita Rufino, magna cervice triumphat
 Omnia tuta ratus sceptrumque capessere fervet 295
 Et coniuratos hortatur voce clientes:

‘Vicimus, expulimus, facilis iam copia regni.
 Nullus ab hoste timor. Quis enim, quem poscere solum
 Horruit, hunc tanto munitum milite vincat?
 Quis ferat armatum, quem non superavit inermem? 300

I nunc, exitium nobis meditare remotus
 Incassum, Stilicho, dum nos longissima tellus
 Dividat et mediis Nereus interstrepit undis.
 Alpinas transire tibi me sospite rupes
 Haud dabitur. Iaculis illinc me figere tempta. 305

Quaere ferox ensem, qui nostra ad moenia tendi
 Possit ab Italia. Non te documenta priorum,
 Non exempla vetant? quisnam conatus adire
 Has iactat vitasse manus? Detrusimus orbe
 Te medio tantisque simul spoliavimus armis. 310

Nunc epulis tempus, socii, nunc larga parare
 Munera donandumque novis legionibus aurum!
 Opportuna meis oritur lux crastina votis.
 Quod nolit rex ipse velit iubeatque coactus
 In partem mihi regna dari. Contingat in uno 315
 Privati fugisse modum crimenque tyranni.’

Talibus adclamat dictis infame nocentum
 Concilium, qui perpetuis crevere rapinis
 Et quos una facit Rufino causa sodales:
 Illicitum duxisse nihil; funesta tacere 320
 Nexus amicitiae. Iamiam conubia laeti
 Despondent aliena sibi frustraue vicissim

Promittunt, quae quisque petat, quas devoret urbes.

Cooperat humanos alto sopire labores

Nox gremio, nigrasque sopor diffuderat alas. 325

Ille diu curis animum stimulantibus aegre

Labitur in somnos. Toto vix corde quierat,

Ecce videt diras adludere protinus umbras,

Quas dedit ipse neci; quarum quae clarior una

Visa loqui: 'Pro! surge toro. Quid plurima volvis 330

Anxius? Haec requiem rebus finemque labori

Adlatura dies: omni iam plebe redibis

Altior et laeti manibus portabere vulgi.'

Has canit ambages. Occulto fallitur ille

Omne nec capitis sentit praesagia fixi. 335

Iam summum radiis stringebat Lucifer Haemum

Festinamque rotam solito properantior urget

Tandem Rufini visurus funera Titan:

Desiluit stratis densaeque capacia turbae

Atria regifico iussit splendere paratu 340

Exceptura dapes et, quod post vota daretur,

Insculpi propriis aurum fatale figuris.

Ipse salutatum reduces post proelia turmas

Iam regale tumens et principe celsior ibat

Collaque femineo solvebat mollia gestu 345

Imperii certus, tegeret ceu purpura dudum

Corpus et ardentem ambirent tempora gemmae.

Vrbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,

Planities vicina patet: nam cetera pontus

Circuit exiguo dirimi se limite passus. 350

Hic ultrix acies ornatu lucida Martis

Explicuit cuneos. Pedites in parte sinistra

Consistunt. Equites illinc poscentia cursum

Ora reluctantur pressis sedare lupatis;

Hinc alii saevum cristato vertice nutant 355

Et tremulos umeris gaudent vibrare colores,

Quos operit formatque chalybs; coniuncta per artem

Flexilis inductis animatur lamina membris;

Horribiles visu: credas simulacra moveri

Ferrea cognatoque viros spirare metallo. 360
 Par vestitus equis: ferrata fronte minantur
 Ferratosque levant securi vulneris armos.
 Diviso stat quisque loco. Metuenda voluptas
 Cernenti pulcherque timor, spirisque remissis
 Mansuescunt varii vento cessante dracones. 365
 Augustus veneranda prior vexilla salutat.
 Rufinus sequitur, quo fallere cuncta solebat
 Callidus adfatu, devotaque brachia laudat;
 Nomine quemque vocat; natos patresque reversis
 Nuntiat incolumes. Illi dum plurima ficto 370
 Certatim sermone petunt, extendere longos
 A tergo flexus insperatoque suprema
 Circuitu sociare parant; decrescere campus
 Incipit, et clipeis in se redeuntia iunctis
 Curvo paulatim sinuantur cornua ductu 375
 (Sic ligat immensa virides indagine saltus
 Venator; sic attonitos ad litora pisces
 Aequoreus populator agit rarosque plagarum
 Contrahit anfractus et hiantes colligit oras).
 Excludunt alios. Cingi se fervidus ille 380
 Nescit adhuc graviterque adpressa veste morantem
 Increpat Augustum: scandat sublime tribunal,
 Participem sceptri, socium declaret honoris —
 Cum subito stringunt gladios; vox desuper ingens
 Infremuit: 'Nobis etiam, deterrime, nobis 385
 Sperasti famulas imponere posse catenas?
 Vnde redi nescis? Patiarne audire satelles,
 Qui leges aliis libertatemque reduxi?
 Bis domitum civile nefas, bis rupinus Alpes.
 Tot nos bella docent nulli servire tyranno.' 390
 Deriguit. Spes nulla fugae; seges undique ferri
 Circumfusa micat; dextra laevaue revinctus
 Haesit et ensiferae stupuit rumore coronae,
 Vt fera, quae nuper montes amisit avitos

393 rumore] *Jeepius*; mucrone.

Altorumque exul nemorum damnatur harenae 395
 Muneribus, commota ruit; vir murmure contra
 Hortatur nixusque genu venabula tendit;
 Illa pavet strepitus cuneosque erecta theatri
 Respicit et tanti miratur sibila vulgi.

Vnus per medios audendi pronior ense 400
 Prosilit exerto dictisque et vulnere torvus
 Impetit: 'Hac Stilicho, quem iactas pellere, dextra
 Te ferit; hoc absens invadit viscera ferro.'
 Sic fatur meritoque latus transverberat ictu.

Felix illa manus, talem quae prima cruorem 405
 Hauserit et fessi poenam libaverit orbis!
 Mox omnes laniant hastis artusque trementes
 Dilacerant; uno tot corpore tela tepescunt
 Et non infecto puduit mucrone reverti.

Hi vultus avidos et adhuc spirantia vellunt 410
 Lumina, truncatos alii rapuere lacertos.

Amputat ille pedes, umerum quatit ille solutis
 Nexibus; hic fracti reserat curvamina dorsi;
 Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
 Pulmonis latebras. Spatium non invenit ira 415
 Nec locus est odiis. Consumpto funere vix tum

Deseritur sparsumque perit per tela cadaver.
 Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent
 Maenades aut subito mutatum Actaeona cornu
 Traderet insanis Latonia visa Molossis. 420

Criminibusne tuis credis, Fortuna, mederi
 Et male donatum certas aequare favorem
 Suppliciiis? Vna tot milia morte rependis.
 Eversis agedum Rufinum divide terris.

Da caput Odrysiis, truncum mereantur Achivi. 425
 Quid reliquis dabitur? nec singula membra peremptis
 Sufficiunt populis.

Vacuo plebs undique muro
 Iam segura fluit; senibus non obstitit aetas
 Virginibusve pudor; viduae, quibus ille maritos
 Abstulit, orbataeque ruunt ad gaudia matres 430

Insultantque alacres. Laceros iuvat ire per artus
 Pressaque calcato vestigia sanguine tingui.
 Nec minus adsiduis flagrant elidere saxis
 Prodigiale caput, quod iam de cuspide summa
 Nutabat digna rediens ad moenia pompa. 435
 Dexterâ quin etiam ludo concessa vagatur
 Aera petens poenasque animi persolvit avari
 Terribili lucro vivosque imitata retentus
 Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Desinat elatis quisquam confidere rebus 440
 Instabilesque deos ac lubrica numina discat.
 Illa manus, quae sceptrâ sibi gestanda parabat,
 Cuius se totiens summisit ad oscula supplex
 Nobilitas, inhumata diu miseroque revulsa
 Corpore feralem quaestum post fata reposit. 445
 Adspiciat quisquis nimium sublata secundis
 Colla gerit: triviis calcandus spargitur ecce,
 Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
 Ornatura suos extruxit culmina manes,
 Et qui Sidonio velari credidit ostro, 450
 Nudus pascit aves. Iacet en, qui possidet orbem,
 Exiguae telluris inops et pulvere raro
 Per partes tegitur nusquam totiensque sepultus.

† Senserunt convexa necem tellusque nefandum
 Amolitur onus iam respirantibus astris. 455
 Infernos gravat umbra lacus. Pater Aeacus horret
 Intransemque etiam latratu Cerberus urget.
 Tunc animae, quas ille fero sub iure peremit,
 Circumstant nigrique trahunt ad iudicis urnam
 Infesto fremitu: veluti pastoris in ora 460
 Commotae glomerantur apes, qui dulcicia raptu
 Mella vehit, pennasque cient et spicula tendunt
 Et tenuis saxi per propugnacula cinctae
 Rimosam patriam dilectaque pumicis antra
 Defendunt pronoque favos examine velant. 465

Est locus infaustus quo conciliantur in unum
 Cocytos Phlegethonque vadis; inamoenus uterque

Alveus; hic volvit lacrimas, hic igne redundat.
 Turris per geminos, flammis vicinior, amnes
 Porrigitur solidoque rigens adamante sinistrum 470
 Proluit igne latus; dextro Cocytia findit
 Aequora triste gemens et fletu concita plangit.
 Huc post emeritam mortalia saecula vitam
 Deveniunt. Ibi nulla manent discrimina fati,
 Nullus honos vanoque exutum nomine regem 475
 Proturbat plebeius egens. Quaesitor in alto
 Conspicuus solio pertemptat crimina Minos
 Et iustis dirimit sontes. Quos nolle fateri
 Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris.
 Nam iuxta Rhadamanthys agit. Cum gesta superni 480
 Curriculi totosque diu perspexerit actus,
 Exaequat damnum meritis et muta ferarum
 Cogit vincla pati. Truculentos ingerit ursis
 Praedonesque lupis; fallaces vulpibus addit.
 At qui desidia semper vinoque gravatus, 485
 Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,
 Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
 Qui iusto plus esse loquax arcanaque suevit
 Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
 Vt nimiam pensent aeterna silentia vocem. 490
 Quos ubi per varias annis ter mille figuras
 Egit, Lethaeo purgatos flumine tandem
 Rursus ad humanae revocat primordia formae.
 Tum quoque, dum litès Stygiique negotia solvit
 Dura fori veteresque reos ex ordine quaerit, 495
 Rufinum procul ecce notat visuque severo
 Lustrat et ex imo concussa sede profatur:
 'Huc superum labes, huc insatiabilis auri
 Proluvies pretioque nihil non ause parato,
 Quodque mihi summum scelus est, huc improbe
 legum 500
 Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis!
 Cuius ob innumeras strages angustus Averni
 Iam sinus et plena lassatur portitor alno.

Quid demens manifesta negas? En pectus inustae
 Deformant maculae vitiisque inolevit imago 505
 Nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum
 In te ferre libet: dubio tibi pendula rupes
 Immineat lapsu, volucer te torqueat axis,
 Te refugi fallant latices atque ore natanti
 Arescat decepta sitis, dapibusque relictis 510
 In tua mansurus migret praecordia vultur.
 Quamquam omnes alii, quos haec tormenta fatigant,
 Pars quota sunt, Rufine, tui! Quid tale vel audax
 Fulmine Salmoneus vel lingua Tantalus egit
 Aut inconsulto Tityos deliquit amore? 515
 Cunctorum si facta simul iungantur in unum,
 Praecedes numero. Cui tanta piacula quisquam
 Supplicio conferre valet? quid denique dignum
 Omnibus inveniam, vincant cum singula poenas?
 Tollite de mediis animarum dedecus umbris. 520
 Adspexisse sat est. Oculis iam parcite nostris
 Et Ditis purgate domos. Agitate flagellis
 Trans Styga, trans Erebum, vacuo mandate barathro
 Infra Titanum tenebras infraque recessus
 Tartareos ipsumque Chaos, qua noctis opacae 525
 Fundamenta latent; praeceps ibi mersus anhelet,
 Dum rotat astra polus, feriunt dum litora venti.'

525 ipsumque] *Birtius*; nostrumque.

DE BELLO GILDONICO

LIBER I.

(XV.)

Redditus imperiis Auster subiectaque rursus
Alterius convexa poli. Rectore sub uno
Conspirat geminus frenis communibus orbis.
Iunximus Europen Libyae. Concordia fratrum
Plena redit. Patriis solum quod defuit armis, 5
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.
Horret adhuc animus manifestaue gaudia differt,
Dum stupet et tanto cunctatur credere voto.
Necdum Cinyphias exercitus attigit oras:
Iam domitus Gildo. Nullis victoria nodis 10
Haesit, non spatio terrae, non obice ponti.
Congressum profugum captum vox nuntiat una
Rumoremque sui praevenit laurea belli.
Quo, precor, haec effecta deo? Robusta vetusque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci: 15
Quem veniens indixit hiems, ver perculit hostem.
Exitium iam Roma timens et fessa negatis
Frugibus ad rapidi limen tendebat Olympi
Non solito vultu nec qualis iura Britannis
Dividit aut trepidos summittit fascibus Indos. 20
Vox tenuis tardique gradus oculique iacentes
Interius; fugere genae; ieiuna lacertos
Exedit macies. Vmeris vix sustinet aegris
Squalentem clipeum; laxata casside prodit
Canitiem plenamque trahit rubiginis hastam. 25
Attigit ut tandem caelum genibusque Tonantis
Procubuit, tales orditur maesta querellas:

'Si mea mansuris meruerunt moenia nasci,
 Iuppiter, auguriis, si stant inmota Sibyllae
 Carmina, Tarpeias si necdum respuis arces: 30
 Advenio supplex, non ut proculcet Araxen
 Consul ovans nostraeve premant pharetrata secures
 Susa, nec ut Rubris aquilas figamus harenis.
 Haec nobis, haec ante dabas; nunc pabula tantum
 Roma precor. Miserere tuae, pater optime, gentis, 35
 Extremam defende famem. Satiavimus iram
 Si qua fuit; lugenda Getis et flenda Suebis
 Hausimus; ipsa meos horreret Parthia casus.
 Quid referam morbive luem tumulosve repletos
 Stragibus et crebras corrupto sidere mortes? 40
 Aut fluvium per tecta vagum summisque minatum
 Collibus? Ingentes vexi summersa carinas
 Remorumque sonos et Pyrrhae saecula sensi.
 'Ei mihi, quo Latiae vires urbisque potestas
 Decidit! in qualem paulatim fluximus umbram! 45
 Armato quondam populo patrumque vigebam
 Conciliis; domui terras urbesque revinxi
 Legibus: ad solem victrix utrumque cucurri.
 Postquam iura ferox in se communia Caesar
 Transtulit et lapsi mores desuetaque priscis 50
 Artibus in gremium pacis servile recessi,
 Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
 Vt dominam plebem bellatoremque senatum
 Classibus aestivis alerent geminoque vicissim
 Litore diversi complerent horrea venti. 55
 Stabat certa salus: Memphis si forte negasset,
 Pensabam Pharium Gaetulis messibus annum,
 Frugiferas certare rates lateque videbam
 Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
 Cum subiit par Roma mihi divisaque sumpsit 60
 Aequales Aurora togas, Aegyptia rura
 In partem cessere novae. Spes unica nobis
 Restabat Libyae, quae vix aegreque fovebat;
 Solo ducta Noto, numquam segura futuri,

Semper inops, ventique fidem posebat et anni. 65
 Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
 Autumni. Pavidō metimur caerulea voto,
 Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
 Vel pudor extorsit domino vel praeda reliquit.
 Pascimur arbitrio Mauri nec debita reddi, 70
 Sed sua concedi iactat gaudetque diurnos
 Vt famulae praebere cibos vitamque famemque
 Librat barbarico fastu vulgique superbit
 Fletibus et tantae suspendit fata ruinae.
 Romuleas vendit segetes et possidet arva 75
 Vulneribus quaesita meis. Ideone tot annos
 Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?
 Idcirco voluit contempta luce reverti
 Regulus? hoc damnis, genitor, Cannensibus emi?
 Incassum totiens lituis navalibus arsit 80
 Hispanum Siculumque fretum vastataque tellus
 Totque duces caesi ruptaque emissus ab Alpe
 Poenus et attonitae iam proximus Hannibal urbi?
 Scilicet ut domitis frueretur barbarus Afris,
 Muro sustinui Martem noctesque cruentas 85
 Collina pro turre tuli? Gildonis ad usum
 Carthago ter victa ruit? Hoc mille gementis
 Italiae clades impensaue saecula bellis,
 Hoc Fabius fortisque mihi Marcellus agebant,
 Vt Gildo cumularet opes? Haurire venena 90
 Compulimus dirum Syphacem fractumque Metello
 Traximus inmanem Marii sub vincla Iugurtham,
 Et Numidae Gildonis erunt? Pro funera tanta,
 Pro labor! in Bocchi regnum sudavit uterque
 Scipio. Romano vicistis sanguine Mauri. 95
 Ille diu miles populus, qui praefuit orbi,
 Qui trabeas et scepra dabat, quem semper in armis
 Horribilem gentes, placidum sensere subactae,
 Nunc inhonorus egens perfert miserabile pacis
 Supplicium nulloque palam circumdatus hoste 100
 Obsessi discrimen habet. Per singula letum

Impendet momenta mihi dubitandaque pauci
 Praescribunt alimenta dies. Heu prospera fata!
 Quid mihi septenos montes turbamque dedistis,
 Quae parvo non possit ali? Felicior essem 105
 Angustis opibus; mallem tolerare Sabinos
 Et Veios; brevior duxi securius aevum.
 Ipsa nocet moles. Vtinam remeare liceret
 Ad veteres fines et moenia pauperis Anci.
 Sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta 110
 Et Quincti Curiique seges, patriaeque petenti
 Rusticus inferret proprias dictator aristas.
 'Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet, altera
 Nilum.

Ast ego, quae terras umeris pontumque subegi,
 Deseror: emeritae iam praemia nulla senectae. 115
 Di, quibus iratis crevi, succurrite tandem,
 Exorate patrem; tuque o si sponte per altum
 Vecta Palatinis mutasti collibus Idam
 Praelatoque lavas Phrygios Almone leones,
 Maternis precibus natum iam flecte, Cybebe. 120
 Sin prohibent Parcae falsisque elusa vetustas
 Auspiciis, alio saltem prosternite casu
 Et poenae mutatae genus. Porsenna reducat
 Tarquinius; renovet ferales Allia pugnās;
 Me potius saevi manibus permittite Pyrrhi, 125
 Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
 Cuncta fame leviora mihi.'

Sic fata refusis
 Obtulit lacrimis. Mater Cytherea parensque
 Flet Mavors sanctaeque memor Tritonia Vestae,
 Nec Cybele sicco nec stabat lumine Iuno. 130
 Maerent indigetes et si quos Roma recepit
 Aut dedit ipsa deos. Genitor iam corde remitti
 Coeperat et sacrum dextra sedare tumultum,
 Cum procul insanis quatiens ululatibus axem

Et contusa genas mediis adparet in astris 135
 Africa: rescissae vestes et spicea passim
 Serta iacent; lacero crinales vertice dentes
 Et fractum pendebat ebur, talique superbas
 Inrupit clamore fores:

‘Quid magne moraris

Iuppiter avulso nexu pelagique solutis 140
 Legibus iratum populis inmittere fratrem?
 Mergi prima peto; veniant praerupta Pachyno
 Aequora, laxatis subsidant Syrtibus urbes.
 Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
 Me rape Gildoni. Felicior illa perustae 145
 Pars Libyae, nimio quae se munita calore
 Defendit tantique vacat secura tyranni.
 Crescat zona rubens; medius flagrantis Olympi
 Me quoque limes agat; melius deserta iacebo
 Vomeris impatiens. Pulsis dominantur aristis 150
 Dipsades et sitiens attollat glaeba cerastas.
 Quid me temperies iuvit? quid mitior aether?
 Gildoni fecunda fui. Iam solis habenae
 Bis senas torquent hiemes, cervicibus ex quo
 Haeret triste iugum. Nostris iam luctibus ille 155
 Consenuit regnumque sibi tot vindicat annos.
 Atque utinam regnum! Privato iure tenemur
 Exigui specie fundi. Quod Nilus et Atlas
 Dissidet, occiduis quod Gadibus arida Barce
 Quodque Paraetonio secedit litore Tingi, 160
 Hoc sibi transcripsit proprium. Pars tertia mundi
 Vnius praedonis ager.

‘Distantibus idem

Inter se vitiis cinctus: quodcumque profunda
 Traxit avaritia, luxu peiore refundit.
 Instat terribilis vivis, morientibus heres, 165
 Virginibus raptor, thalamis obscaenus adulter.
 Nulla quies: oritur praeda cessante libido,

160 [Tingi] pinguis; ganges.

Divitibusque dies et nox metuenda maritis.
 Quisquis vel locuples pulchra vel coniuge notus,
 Crimine pulsatur falso; si crimina desunt, 170
 Accitus conviva perit. Mors nulla refugit
 Artificem: varios sucos spumasque requirit
 Serpentum virides et adhuc ignota novercis
 Gramina. Si quisquam vultu praesentia damnet
 Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis 175
 Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
 Fixus quisque toro tacita formidine libat
 Carnifices epulas incertaque pocula pallens
 Haurit et intentos capiti circumspicit enses.
 Splendet Tartareo furialis mensa paratu 180
 Caede madens, atrox gladio, suspecta veneno.
 Vt vino calefacta Venus, tum saevior ardet
 Luxuries, mixtis redolens unguenta coronis:
 Crinitos inter famulos pubemque canoram
 Orbatas iubet ire nurus nuperque peremptis 185
 Adridere viris. Phalarim tormentaue flammae
 Profuit et Siculi mugitus ferre iuvenci
 Quam tales audire choros. Nec damna pudoris
 Turpia sufficiunt: Mauris clarissima quaeque
 Fastidita datur. Media Carthagine ductae 190
 Barbara Sidoniae subeunt conubia matres;
 Aethiopem nobis generum, Nasamona maritum
 Ingerit; exterret cunabula discolor infans.
 His fretus sociis ipso iam principe maior
 Incedit; peditum praecurrunt agmina longe; 195
 Circumdant equitum turmae regesque clientes,
 Quos nostris ditat spoliis. Proturbat avita
 Quemque domo; veteres detrudit rure colonos.
 Exiliis dispersa feror. Numquamne reverti
 Fas erit errantesque solo iam reddere cives? 200
 Iret adhuc in verba dolor, ni Iuppiter alto
 Coepisset solio (voces adamante notabat

Atropos et Lachesis iungebat stamina dictis):
 'Nec te, Roma, diu nec te patiemur inultam,
 Africa. Communem prosternet Honorius hostem. 205
 Pergite securae. Vestrum vis nulla tenorem
 Separat et soli famulabitur Africa Romae.'

Dixit et adflavit Romam meliore iuventa.
 Continuo redit ille vigor seniique colorem
 Mutavere comae. Solidatam crista resurgens 210
 Erexit galeam clipeique recanduit orbis
 Et levis excussa micuit rubigine cornus.

Vmentes iam noctis equos Lethaeaque Somnus
 Frena regens tacito volvebat sidera curru.
 Iam duo divorum proceres, maiorque minorque 215
 Theodosii, pacem laturo gentibus ibant,
 Qui Iovis arcanos monitus mandataque ferrent
 Fratribus et geminis sancirent foedera regnis:
 Sic cum praecipites artem vicere procellae
 Adsiduoque gemens undarum verberere nutat 220

Descensura ratis, caeca sub nocte vocati
 Naufraga Ledaevi sustentant vela Lacones.
 Circulus ut patuit Lunae, secuere meatus
 Diversos: Italas senior tendebat in oras;
 At pater, intrans Pontum qua Bosphorus artat, 225
 Arcadii thalamis urbique inlapsus Eoae.

Quem simulac vidit natus (nam clara nitebat
 Cynthia), permixto tremuerunt gaudia fletu
 Complexuque fovens, quos non speraverat, artus
 'O mihi post Alpes nunc primum reddite, dixit, 230
 Vnde tuis optatus ades? da tangere dextram,
 Qua gentes cecidere ferae. Quis tale removit
 Praesidium terris? Vt te mortalia pridem
 Implorant longeque pium fortemque requirunt!'

Cui pater in tales rupit suspiria voces: 235
 'Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
 Nascitur et mundus germanaque dissidet aula?
 Gildonisne salus tanti sit palma furoris?
 Scilicet egregius morum magnoque tuendus

Et cuius meritis pietas in fratre recedat! 240
 Infirmo genitore, vide, civile calebat
 Discidium; dubio stabant Romana sub ictu;
 Quis procul Armenius vel quis Maeotide ripa
 Rex ignotus agit, qui me non iuivit euntem
 Auxilio? Fovere Getae, venere Geloni. 245
 Solus at hic non puppe data, non milite misso
 Subsedit fluitante fide. Si signa petisset
 Obvia, detecto summissius hoste dolerem:
 Restitit in speculis fati turbaque reductus *cf. B. C.*
 Libravit geminas eventu iudice vires 250
 Ad rerum momenta cliens seseque daturus
 Victori; fortuna simul cum mente pependit.
 O si non cupidis essem praereptus ab astris,
 Exemplum sequerer Tulli laniandaque dumis
 Impia diversis aptarem membra quadrigis. 255
 Germani nunc usque tui responsa colebat:
 En iterum calcat. Tali te credere monstro
 Post patrem fratremque paras? Sed magna rependit
 Inque tuam sortem numerosas transtulit urbes!
 Ergo fas pretio cedit? mercede placebit 260
 Proditio? Taceo, laesi quod transfuga fratris,
 Quod levis ingenio. Quamvis discrimine summo
 Proditor adportet suspensa morte salutem:
 Numquam gratus erit. Damnamus luce reperta
 Perfidiam nec nos patimur committere tali. 265
 Hoc genus emptori cives cum moenibus offert,
 Hoc vendit patriam. Plerique in tempus abusi
 Mox odere tamen: tenuit sic Graia Philippus
 Oppida; Pellaeo libertas concidit auro.
 Romani scelerum semper sprevere ministros. 270
 Noxia pollicitum domino miscere venena
 Fabricius regi nudata fraude remisit,
 Infesto quem Marte petit, bellumque negavit
 Per famuli patrare nefas, ductosque Camillus

Trans murum pueros obsessae reddidit urbi. 275
 Traduntur poenis alii, cum proelia tollunt;
 Hic manet ut moveat? Quod respuit alter in hostem,
 Suscipis in fratrem? Longi pro dedecus aevi!
 Cui placet, australes Gildo condonat habenas
 Tantaque mutatos sequitur provincia mores. 280
 Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps,
 Transfundit secum Libyam refluumque malignus
 Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
 Tollite Massylas fraudes, removete bilingues
 Insidias et verba soli spirantia virus. 285
 Ne consanguineis certetur comminus armis,
 Ne, precor. Haec trucibus Thebis, haec digna Mycenis;
 In Mauros hoc crimen eat.
 Quid noster iniquum
 Molitur Stilicho? quando non ille iubenti
 Paruit? An quisquam nobis devinctior extat? 290
 Vt sileam varios mecum quos gesserit actus,
 Quae vidi post fata, loquar. Cum divus abirem,
 Res incompositas (fateor) tumidasque reliqui.
 Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
 Alpini odiis, alternaque iurgia victi 295
 Victoresque dabant. Vix haec amentia nostris
 Excubiis, nedum puero rectore quiesset.
 Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
 Militis auderet moles, cum patre remoto
 Ferveret iam laeta novis. Dissensus acerbus 300
 Et gravior consensus erat. Tunc ipse paterna
 Successit pietate mihi tenerumque rudemque
 Fovit et in veros eduxit principis annos,
 Rufinumque tibi, quem tu tremuisse fateris,
 Depulit. Hunc solum memorem solumque fidelem 305
 Experior. Volui si quid, dum vita maneret,
 Aut visus voluisse, gerit; venerabilis illi
 Ceu praesens numenque vocor. Si tanta recusas,

299 patre remoto] *scripsi*; carcere moto, ceca remoto.

At soceri reverere faces, at respice fratris
 Conubium pignusque meae regale Serenae. 310
 Debueras etiam fraternis obvius ire
 Hostibus, ille tuis. Quae gens, quis Rhenus et Hister
 Vos opibus iunctos conspirantesque tulisset?
 Sed tantum permitte, cadat. Nil poscimus ultra.
 Ille licet sese praetentis Syrtibus armet 315
 Oppositoque Atlante tegat, licet arva referta
 Anguibus et solis medios obiecerit aestus:
 Novi consilium, novi Stilichonis in omnes
 Aequalem casus animum: penetrabit harenas,
 Inveniet virtute viam.'

Sic divus et inde 320

Sic natus: 'Iussis, genitor, parebitur ultro.
 Amplector praecepta libens, nec carior alter
 Cognato Stilichone mihi. Commissa profanus
 Ille luat; redeat iam tutior Africa fratri.'

Talia dum longo secum sermone retexunt, 325

Hesperiam pervenit avus castumque cubile
 Ingreditur, Tyrio quo fusus Honorius ostro *not maned*
 Carpebat teneros Maria cum coniuge somnos.
 Adsisit capiti; tunc sic per somnia fatur:

'Tantane devictos tenuit fiducia Mauros, 330

Care nepos? Iterum post me coniurat in arma

Progenies vesana Iubae bellumque resumit

Victoris cum stirpe sui? Firmumne iacentem

Obliti Libyam nostro sudore receptam

Rursus habent? ausus Latio contendere Gildo 335

Germani nec fata timet? Nunc ire profecto,

Nunc vellem notosque senex ostendere vultus:

Nonne meam fugiet Maurus cum viderit umbram?

Quid dubitas? exurge toris, invade rebellem,

Captivum mihi redde meum. Desiste morari. 340

Hoc generi fatale tuo: dum sanguis in orbe

Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.

Iungantur spoliis Firmi Gildonis opima;

Exornet geminos Maurusia laurea currus;

Vna domus totiens una de gente triumphet. 345
 Di bene, quod tantis interlabentibus annis
 Servati Firmusque mihi fraterque nepoti.
 Dixit et adflatus vicino sole refugit.

At iuuenem stimulis inmanibus aemula virtus
 Exacuit; iam puppe vehi, iam stagna secare 350
 Fervet et absentes invadere cuspide Mauros.
 Tum iubet acciri socerum dextramque vocato
 Conserit et, quae sit potior sententia, quaerit:

‘Per somnos mihi, sancte pater, iam saepe futura
 Panduntur multaeque canunt praesagia noctes. 355

Namque procul Libycos venatu cingere saltus
 Et iuga rimari canibus Gaetula videbar.
 Maerebat regio saevi vastata leonis
 Incursu; pecudum strages passimque iuveni
 Semineces et adhuc infecta mapalia tabo 360

Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
 Adgredior latebras monstri mirumque relatu
 Conspicio: dilapsus honos, cervice minaces
 Defluxere iubae; fractos inglorius armos
 Supposuit servile gemens iniectaque vincla 365

Vnguibus et subitae collo sonuere catenae.
 Nunc etiam paribus secum certare tropaeis
 Hortator me cogit avus. Quonam usque remoti
 Cunctamur? Decuit pridem complere biremes
 Et pelagi superare moras. Transmittere primus 370

Ipsa paro; quaecumque meo gens barbara nutu
 Stringitur, adveniat: Germania cuncta feratur
 Navibus et socia comitentur classe Sygambri.
 Pallida translatum iam sentiat Africa Rhenum.

An patiar tot probra sedens iuvenisque relinquam 375
 Quae tenui rexique puer? Bis noster ad Alpes
 Alterius genitor defensum regna cucurrit.
 Nos praedae faciles insultandique iacemus?’

‘Finierat. Stilicho contra cui talia reddit:
 ‘Adversine tubam princeps dignabere Mauri? 380
 Auferet ignavus clari solacia leti,

Te bellante mori? Decernet Honorius inde,
 Hinc Gildo? Prius astra Chaos miscebit Averno.
 Vindictam mandasse sat est; plus nominis horror
 Quam tuus ensis aget. Minuit praesentia famam. 385
 Qui stetit aequatur campo, collataque nescit
 Maiestatem acies. Sed quod magis utile factu
 Atque hosti gravius (sensus adverte) docebo.
 Est illi patribus, sed non et moribus isdem
 Mascezel, fugiens qui dira piacula fratris 390
 Spesque suas vitamque tuo commisit asylo.
 Hunc ubi temptatis frustra mactare nequivit
 Insidiis, patrias in pignora contulit iras
 Et, quos ipse sinu parvos gestaverat, una
 Occidit iuvenes inhumataque corpora vulgo 395
 Dispulit et tumulo cognatas arcuit umbras
 Naturamque simul fratremque hominemque cruentus
 Exuit et tenuem caesis invidit harenam.
 Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenae
 Avertitque diem; sceleri sed reddidit Atreus 400
 Crimen et infandas excusat coniuge mensas.
 Hic odium, non poena fuit. Te perdita iura,
 Te pater ultorem, te nudi pulvere manes,
 Te pietas polluta rogat; si flentibus aram
 Et proprium miseris numen statuistis Athenae, 405
 Si Pandionias planctu traxere phalanges
 Inachides belloque rogos meruere maritis,
 Si maesto squalore comae lacrimisque senatum
 In Numidas pulsus solio commovit Adherbal:
 Hunc quoque nunc Gildo, tanto quem funere mersit,
 Hunc doleat venisse ducem seseque minorem 411
 Supplicibus sciat esse tuis. Quem sede fugavit,
 Hunc praeceps fugiat, fregit quem clade, tremiscat
 Agnoscatque suum, trahitur dum victima, fratrem.
 Haec ubi sederunt genero, notissima Marti 415
 Robora, praecipuos electa pube maniplos
 Disponit portuque rates instaurat Etrusco.
 Herculeam suus Alcides Ioviamque cohortem

Rex ducit superum, premitur nec signifer ullo
 Pondere: festinant adeo vexilla moveri. 420
 Nervius insequitur meritusque vocabula Felix
 Dictaque ab Augusto legio nomenque probantes
 Invicti clipeoque animosi teste Leones.
 Dictis ante tamen princeps confirmat ituros
 Aggere conspicuus; stat circumfusa iuventus 425
 Nixa hastis pronasque ferox accommodat aures:
 'Gildonem domitura manus, promissa minasque
 Tempus agi. Si quid pro me doluistis, in armis
 Ostentate mihi; iusto magnoque triumpho
 Civiles abolete notas; sciat orbis Eous 430
 Sitque palam Gallos causa, non robore vinci.
 Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
 Terreat. An Mauri fremitum raucosque repulsus
 Vmbonum et vestros passuri comminus enses?
 Non contra clipeis tectos gladiisque micantes 435
 Ibitis: in solis longe fiducia telis.
 Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
 Dextra movet iaculum, praetentat pallia laeva;
 Cetera nudus eques. Sonipes ignarus habenae;
 Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo: 440
 Arma oneri, fuga praesidio. Conubia mille;
 Non illis generis nexus, non pignora curae:
 Sed numero languet pietas. Haec copia vulgi.
 Vmbratus dux ipse rosis et marcidus ibit
 Vnguentis crudusque cibo titubansque Lyaeo, 445
 Confectus senio, morbis stuprisque solutus.
 Excitet incestos turmalis bucina somnos,
 Imploret citharas cantatricesque choreas
 Offensus stridore tubae discatque coactus,
 Quas vigilat Veneri, castris impendere noctes. 450
 'Nonne mori satius, vitae quam ferre pudorem?
 Nam quae iam regio restat, si dedita Mauris
 Regibus Illyricis accesserit Africa damnis?
 Ius Latium, quod tunc Meroe Rubroque solebat
 Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda; 455

Et cui non Nilus, non intulit India metas,
 Romani iam finis erit Trinacria regni.
 Ite recepturi, praedo quem sustulit, axem
 Ereptumque Notum; caput insuperabile rerum
 Aut ruet in vestris aut stabit Roma lacertis. 460
 Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
 Amissas: uno Libyam defendite bello.

Vestros imperium remos et vestra sequatur
 Carbasa; despectas trans aequora ducite leges.
 Tertia iam solito cervix mucrone rotetur 465
 Tandem funereis finem positura tyrannis.'

Omina conveniunt dicto fulvusque Tonantis
 Armiger a liquida cunctis spectantibus aethra
 Correptum pedibus curvis innexuit hydrum,
 Dumque reluctantem morsu partitur obunco, 470
 Haesit in ungue caput; truncatus decidit anguis.

Ilicet auguriis alacres per saxa citati
 Torrentesque ruunt; nec mons aut silva retardat:
 Pendula ceu parvis moturae bella colonis
 Ingenti clangore grues aestiva relinquunt 475
 Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo:
 Ordinibus variis per nubila textitur ales
 Littera pennarumque notis conscribitur aer.

Vt fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
 Impetus; adripiunt naves ipsique rudentes 480
 Expediunt et vela legunt et cornua summis
 Adsociant malis; quatitur Tyrrhena tumultu
 Ora nec Alpheae capiunt navalia Pisae:
 Sic Agamemnoniam vindex cum Graecia classem
 Solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis. 485

Non illos strepitus impendentisque procellae
 Signa nec adventus dubii deterruit Austri.
 'Vellite' proclamant 'socii, iam uellite funem.
 Per vada Gildonem quamvis adversa petamus.
 Ad bellum nos trudat hiems per devia ponti. 490
 Quassatis cupio tellurem figere rostris.
 Heu nimium segnes, cauta qui mente notatis,

Si revolant mergi, graditur si litore cornix.
 Ora licet maculis adperserit occiduus sol
 Lunaque conceptis livescat turgida Cauris 495
 Et contusa vagos iaculentur sidera crines;
 Imbribus umescant Haedi nimbosaque Taurum
 Ducat Hyas totusque fretis descendat Orion:
 Certa fides caeli, sed maior Honorius auctor;
 Illius auspiciis immensa per aequora miles, 500
 Non Plaustri Arctove regor. Contemne Booten,
 Navita, turbinibus mediis permitte carinas.
 Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt,
 Augusti Fortuna dabit.'

Iam classis in altum
 Provehitur; dextra Ligures, Etruria laeva 505
 Linquitur et caecis vitatur Corsica saxis.
 Humanae specie plantae se magna figurat
 Insula (Sardiniam veteres dixere coloni),
 Dives ager frugum, Poenos Italosve petenti
 Opportuna situ: quae pars vicinior Afris, 510
 Plana solo, ratibus clemens; quae respicit Arcton,
 Inmitis, scopulosa, procax subitisque sonora
 Flatibus; Insanos infamat navita montes.
 Hic hominum pecudumque lues, si pestifer aer
 Saevit et exclusis regnant Aquilonibus Austri. 515

Quos ubi luctatis procul effugere carinis,
 Per diversa ruunt sinuosae litora terrae.
 Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos;
 Partem litoreo complectitur Olbia muro.
 Vrbs Libyam contra Tyrio fundata potenti 520
 Tenditur in longum Caralis tenuemque per undas
 Obvia dimittit fracturum flamina collem;
 Efficitur portus medium mare, tutaque ventis
 Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu.
 Hanc omni petiere manu prorisque reductis 525
 Suspensa Zephyros expectant classe faventes.

IN EVTROPIVM

LIBER PRIMVS.

(XVIII.)

Semiferos partus metuendaque pignora matri
Moenibus et mediis auditum nocte luporum
Murmur et attonito pecudes pastore locutas
Et lapidum duras hiemes nimboque minacem
Sanguineo rubuisse Iovem puteosque cruore 5
Mutatos visasque polo concurrere lunas
Et geminos soles mirari desinat orbis:
Omnia cesserunt eunucho consule monstra.
Heu terrae caelique pudor! trabeata per urbes
Ostentatur anus titulumque effeminat anni. 10
Pandite pontifices Cumanae carmina vatis,
Fulmineos sollers Etruria consulat ignes
Inmersumque nefas fibris exploret haruspex,
Quae nova portendant superi. Nilusne meatu
Deuius et nostri temptat iam transfuga mundi 15
Se Rubro miscere mari? ruptone Niphate
Rursum barbaricis Oriens vastabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Responsura seges? Quae tantas expiet iras
Victima? quo diras iugulo placabimus aras? 20
Consule lustrandi fascas ipsoque litandum
Prodigio; quodcumque parant hoc omine fata,
Eutropius cervice luat.

Sic omnia nobis,

Hoc regni, Fortuna, tenes? Quaenam ista iocandi
Saevitia? humanis quantum bacchabere rebus? 25
Si tibi servili placuit foedare curules

Crimine, procedat laxata compede consul,
 Rupta Quirinales sumant ergastula cinctus;
 Da saltem quemcumque virum. Discrimina quaedam
 Sunt famulis splendorque suos, maculamque minorem
 Condicionis habet, domino qui vixerit uno. 31
 Si pelagi fluctus, Libyae si discis harenas,
 Eutropii numerabis eros. Quot iura, quot ille
 Mutavit tabulas vel quanta vocabula vertit!
 Nudatus quotiens, medicum dum consulit emptor, 35
 Ne qua per occultum lateat iactura dolorem!
 Omnes paenituit pretii venumque redibat,
 Dum vendi potuit. Postquam deforme cadaver
 Mansit et in rugas totus defluxit aniles,
 Iam specie doni certatim limine pellunt 40
 Et foedum ignaris properant obtrudere munus.
 Tot translata iugis summisit colla, vetustum
 Servitium semperque novum, nec destitit unquam,
 Saepe tamen coepit.

Cunabula prima cruentis

Debet suppliciiis; rapitur castrandus ab ipso 45
 Vbere; suscipiunt matris post viscera poenae.
 Advolat Armenius certo mucrone recisos
 Edoctus mollire mares damnoque nefandum
 Aucturus pretium; fecundum corporis ignem
 Sedibus exhaurit geminis unoque sub ictu 50
 Eripit officium patris nomenque mariti.
 Ambiguus vitae iacuit, penitusque supremum
 In cerebrum secti traxerunt frigora nervi.
 Laudemusne manum, quae vires abstulit hosti,
 An potius fato causam tribuisse queramur? 55
 Profuerat mansisse virum; felicior extat
 Opprobrio; serviret adhuc, si fortior esset.

Inde per Assyriae trahitur commercia ripae,
 Hinc fora venalis Galata ductore frequentat
 Permutatque domos varias; quis nomina possit 60
 Tanta sequi? Miles stabuli Ptolomaeus in illis
 Notior: hic longo lassatus paelicis usu

Donat Arinthaëo; neque enim iam dignus haberi
 Nec maturus emi. Cum fastiditus abiret,
 Quam gemuit, quanto planxit divortia luctu! 65
 'Haec erat, heu, Ptolomæe, fides? hoc profuit aetas
 In gremio consumpta tuo lectusque iugalis
 Et ducti totiens inter praesaepia somni?
 Libertas promissa perit? Viduumne relinquis
 Eutropium tantasque premunt oblivia noctes, 70
 Crudelis? Generis pro sors durissima nostri!
 Femina, cum senuit, retinet conubia partu,
 Vxorisque decus matris reverentia pensat.
 Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
 Cum forma dilapsus amor; defloruit oris 75
 Gratia: qua miseri scapulas tutabimur arte?
 Qua placeam ratione senex?'

Sic fatus acutum

Adgreditur lenonis opus, nec segnis ad artem
 Mens erat officiique capax omnesque pudoris
 Hauserat insidias. Custodia nulla tuendo 80
 Fida toro; nulli poterant excludere vectes:
 Ille vel aerata Danaen in turre latentem
 Eliceret. Fletus domini fingebat amantis
 Indomitasque mora, pretio lenibat avaras
 Lascivasque iocis; non blandior ullus euntis 85
 Ancillae tetigisse latus leviterque reductis
 Vestibus occulto crimen mandasse susurro
 Nec furtis quaesisse locum nec fraude reperta
 Cautior elusi fremitus vitare mariti.
 Haud aliter iuvenum flammis Ephyreia Lais 90
 E gemino ditata mari; cum sarta refudit
 Canities, iam turba procax noctisque recedit
 Ambitus et raro pulsatur ianua tactu
 Seque reformidat speculo damnante senectus;
 Stat tamen atque alias succingit lena ministras 95
 Dilectumque diu quamvis longaeva lupanar
 Circuit et retinent mores, quod perdidit aetas.

Hinc honor Eutropio; cumque omnibus unica virtus

Esset in eunuchis thalamos servare pudicos,
 Solus adulteriis crevit. Nec verbera tergo 100
 Cessavere tamen, quotiens decepta libido
 Irati caluisset eri, frustra que rogantem
 Iactantemque suos tot iam per lustra labores
 Dotalem genero nutritoremque puellae
 Tradidit. Eous rector consulque futurus 105
 Pectebat dominae crines et saepe lavanti
 Nudus in argento lympham gestabat alumnae.
 Et cum se rapido fessam proiecerat aestu,
 Patricius roseis pavonum ventilat alis.
 Iamque aevo laxata cutis, sulcisque genarum 110
 Corruerat passa facies rugosior uva:
 Flava minus presso finduntur vomere rura,
 Nec vento sic vela tremunt. Miserabile turpes
 Exedere caput tineae; deserta patebant
 Intervalla comae: qualis sitientibus arvis 115
 Arida ieiunae seges interlucet aristae
 Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
 Arboris inmoritur trunco brumalis hirundo.
 Scilicet ut trabeis iniuria cresceret olim,
 Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris 120
 Luxuriae Fortuna suae, cum pallida nudis
 Ossibus horrorem dominis praeberet imago
 Decolor et macies occurso laederet omnes,
 Aut pueris latura metus aut taedia mensis
 Aut crimen famulis aut procedentibus omen, 125
 Et nihil exhausto caperent in stipite lucri.
 Sternere quippe toros vel caedere ligna culinae
 Membra negant; aurum, vestes, arcana tueri
 Mens infida vetat; quis enim committere vellet
 Lenoni thalamum? Tandem ceu funus acerbum 130
 Infaustamque suis trusere penatibus umbram.
 Contemptu iam liber erat: sic pastor obesum
 Lacte canem ferroque ligat pascitque revinctum,
 Dum validus servare gregem vigilique rapaces
 Latratu terrere lupos; cum tardior idem 135

Iam scabie laceras deiecit sordidus aures,
Solvit et exuto lucratur vincula collo.

Est ubi despectus nimius iuvat. Vndique pulso
Per cunctas licuit fraudes impune vagari
Et fatis aperire viam. Pro quisquis Olympi 140
Summa tenes, tanto libuit mortalia risu
Vertere? Qui servi non est admissus in usum,
Suscipitur regnis, et quem privata ministrum
Dedignata domus, moderantem sustinet aula.
Vt primum vetulam texere palatia vulpem, 145
Quis non ingemuit? quis non inrepere sacris
Obsequiis doluit totiens venale cadaver?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est inlustrior ordo
Servitii, sociumque diu sprevere superbi. 150

Cernite, quem Latiis poscant adnectere fastis:
Cuius et eunuchos puduit! Sed vilior ante
Obscurae latuit pars ignotissima turbae,
Donec Abundanti furiis — qui rebus Eois
Exitium primumque sibi produxit — ab imis 155
Evectus thalamis summos invasit honores.
Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet.
Sic multos fluvio vates arente per annos
Hospite qui caeso monuit placare Tonantem, 160
Inventas primus Busiridis imbuit aras
Et cecidit saevi, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat aera dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno 165
Sensit opus docuitque suum mugire iuvenum.
Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
Direptas possedit opes nullumque priorem
Perculit exilio solumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum.

Postquam obsitus aevo 170
Semivir excelsam rerum sublatus in arcem,

Quod nec vota pati nec fingere somnia possunt,
 Vidit sub pedibus leges subiectaque colla
 Nobilium tantumque sibi permittere fata,
 Qui nihil optasset plus libertate mereri. 175
 Iamiam dissimulat dominos alteque tumescunt
 Serviles animi. Procerum squalore repletus
 Carcer et exulibus Meroe campique gemescunt
 Aethiopum; poenis hominum plaga personat ardens;
 Marmaricus claris violatur caedibus Hammon. 180

Asperius nihil est humili cum surgit in altum:
 Cuncta ferit dum cuncta timet, desaevit in omnes
 Vt se posse putent, nec belua taetrior ulla
 Quam servi rabies in libera terga furentis;
 Agnoscit gemitus et poenae parcere nescit, 185
 Quam subiit, dominique memor, quem verberat, odit.
 Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur
 Nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
 In similes, animosque ligant consortia damni;
 Iste nec eunuchis placidus.

Sed peius in aurum 190
 Aestuat; hoc uno fruitur succisa libido.
 Quid nervos secuisse iuvat? Vis nulla cruentam
 Castrat avaritiam. Parvis exercita furtis
 Quae vastare penum neglectaque sueverat arcae
 Claustra remoliri, nunc uberiore rapina 195
 Peccat in orbe manus. Quidquid se Tigris ab Haemo
 Dividit, hoc certa proponit merce locandum
 Institor imperii, caupo famosus honorum.
 Hic Asiam villa pactus regit; ille redemit
 Coniugis ornatu Syriam; dolet ille paterna 200
 Bithynos mutasse domo. Subfixa patenti
 Vestibulo pretiis distinguit regula gentes:
 Tot Galatae, tot Pontus eat, tot Lydia nummis;
 Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas,
 Si Phrygas, adde; parum! Propriae solacia sorti 205
 Communes vult esse notas et venditus ipse
 Vendere cuncta cupit. Certantum saepe duorum

Diversum suspendit onus; cum pondere iudex
Vergit, et in geminas nutat provincia lances.

Non pudet heu, superi, populos venire sub hasta?
Vendentis certe pudeat. Quo iure sepultum 211

Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes?
Pollentem solio Croesum victoria Cyri

Fregit, ut eunucho flueret Pactolus et Hermus?
Attalus heredem voluit te, Roma, relinqui, 215

Restitit Antiochus praescripto margine Tauri,
Indomitos curru Servilius egit Isauros

Et Pharos Augusto iacuit vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quaestus numerosior esset?

In mercem veniunt Cilices, Iudaea, Sophene 220
Romanusque labor Pompeianique triumphi.

Quo struis hos auri cumulos? quae pignora tantis
Succedent opibus? Nubas ducasve licebit:

Numquam mater eris, numquam pater; hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. Te grandibus India gemmis, 225

Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres:
Nullus inops adeo, nullum sic urget egestas,

Vt velit Eutropii fortunam et membra pacisci.
Iamque oblita sui nec sobria divitiis mens

In miseris leges hominumque negotia ludit. 230
Indicat eunuchus; quid iam de consule miror?

Prodigium, quodcumque gerit. Quae pagina lites
Sic actas meminit? quibus umquam saecula terris

Eunuchi videre forum? Sed ne qua vacaret
Pars ignominia neu quid restaret inausum, 235

Arma etiam violare parat portentaque monstris
Aggerat et secum petulans amentia certat.

Erubuit Mavors aversaque risit Enyo
Dedecus Eoum, quotiens intenta sagittis

Et pharetra fulgens anus exercetur Amazon 240
Arbiter aut quotiens belli pacisque recurrit

Adloquiturque Getas. Gaudet cum viderit hostis
Et sentit iam deesse viros. Incendia fumant,

Muris nulla fides, squalent populatibus agri

Et medio spes sola mari. Trans Phasin aguntur 245
 Cappadocum matres, stabulisque abducta paternis
 Caucasias captiva bibunt armenta pruinas
 Et Scythicis mutant Argaei pabula silvis.
 Extra Cimmerias, Taurorum claustra, paludes
 Flos Syriae servit. Spoliis nec sufficit atrox 250
 Barbarus: in caedem vertunt fastidia praedae.

Ille tamen (quid enim servum mollemque pudebit?
 Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?)

Pro victore redit: peditum vexilla sequuntur
 Et turmae similes eunuchorumque manipuli, 255
 Hellespontiaticis legio dignissima signis.

Obvius ire cliens defensoremque reversum
 Complecti. Placet ipse sibi laxasque laborat
 Distendisse genas fictumque inflatus anhelat,
 Pulvere respersus tineas et solibus ora 260

Pallidior, verbisque sonat plorabile quiddam
 Ultra nequitiam fractis et proelia narrat
 Perque suam tremula testatur voce sororem:
 Defecisse vagas ad publica commoda vires;
 Cedere livori nec sustentare procellas 265

Invidiae; mergique fretis spumantibus orat.
 Exoretque utinam! Dum talia fatur ineptus,
 Deterget lacrimas atque inter singula dicta
 Flebile suspirat: qualis venit arida socrus
 Longinquam visura nurum; vix lassa resedit 270
 Et iam vina petit.

Quid te, turpissime, bellis
 Ineris aut saevi pertemptas Pallada campi?
 Tu potes alterius studiis haerere Minervae
 Et telas, non tela pati, tu stamina nosse,
 Tu segnes operum sollers urgere puellas 275

Et niveam dominae pensis involvere lanam.
 Vel, si sacra placent, habeas pro Marte Cybeben;
 Rauca Celaenaeos ad tympana disce furores.
 Cymbala ferre licet pectusque inlidere pinu
 Inguinis et reliquum Phrygiis abscidere cultris. 280

Arma relinque viris. Geminam quin dividis aulam
 Conarisque pios odiis committere fratres!
 Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
 Conciliare decet.

Gestis pro talibus annum
 Flagitet Eutropius, ne quid non polluat unus, 285
 Dux acies, iudex praetoria, tempora consul!

Nil adeo foedum, quod non exacta vetustas
 Ediderit longique labor commiserit aevi.
 Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes
 Cantatur, peperit fratres Iocasta marito 290
 Et Pelopea sibi. Thebas ac funera Troiae
 Tristis Erechthei deplorat scaena theatri.

In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem.
 Scylla novos mirata canes. Hunc arbore figit,
 Elevat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit, 295
 Hunc solvit fluvio. Numquam spado consul in orbe
 Nec iudex ductorve fuit! Quodcumque virorum
 Est decus, eunuchi scelus est. Exempla creantur
 Quae socci superent risus luctusque cothurni.

Quam pulcher conspectus erat, cum tenderet artus
 Exanguis onerante toga cinctuque gravatus 301
 Indutoque senex obscaenior iret in auro:

Humani qualis simulator simius oris,
 Quem puer adridens pretioso stamine Serum
 Velavit nudasque nates ac terga reliquit, 305

Ludibrium mensis; erecto pectore dives
 Ambulat et claro sese deformat amictu.
 Candida pollutos comitatur curia fasces,

Forsitan et dominus. Praebet miracula lictor
 Consule nobilior libertatemque daturus, 310
 Quam necdum meruit. Scandit sublime tribunal

Atque inter proprias laudes Aegyptia iactat
 Somnia prostratosque canit se vate tyrannos.
 Scilicet in dubio vindex Bellona pendit,

Dum spado Tiresias enervatusque Melampus 315
Reptat ab extremo referens oracula Nilo.

Obstrepuere avium voces, exhorruit annus
Nomen, et insanum gemino proclamat ab ore
Eunuchumque vetat fastis accedere Ianus.
Sumeret illicitos etenim si femina fascēs, 320

Esset turpe minus. Medis levibusque Sabaeis
Imperat hic sexus, reginarumque sub armis
Barbariae pars magna iacet: gens nulla probatur,
Eunuchi quae sceptrā ferat. Tritonia, Phoebe,
Terra, Ceres, Cybele, Iuno, Latona coluntur: 325

Eunuchi quae templa dei, quas vidimus aras?
Inde sacerdotes; haec intrat pectora Phoebus;
Inde canunt Delphi; Troianam sola Minervam
Virginitas Vestalis adit flammasque tuetur:
Hi nullas meriti vittas semperque profani. 330

Nascitur ad fructum mulier prolemque futuram:
Hoc genus inventum est ut serviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte; Danaï fugere bipennem,
Penthesilea, tuam; claras Carthaginis arces
Creditur et centum portis Babylona superbam 335
Femineus struxisse labor. Quid nobile gessit
Eunuchus? quae bella tulit? quas condidit urbes?

Illas praeterea rerum natura creavit,
Hos fecere manus: seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutae 340

Mollities levesve genae se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes; seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram
Servatoque diu puerili flore coegit

Arte retardatam Veneri servire iuventam. 345

Fama prius falso similis vanoque videri
Ficta ioco; levior volitare per oppida rumor
Riderique nefas: veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante ligustris.
Atque aliquis gravior morum: 'si talibus, inquit, 350
Creditur et nimiis turgent mendacia monstria,

Iam testudo volat, profert iam cornua vultur;
 Prona petunt retro fluvii iuga; Gadibus ortum
 Carmani texere diem; iam frugibus aptum
 Aequor et adsuetum silvis delphina videbo; 355
 Iam cochleis homines iunctos et quidquid inane
 Nutrit Iudaicis quae pingitur India velis'.

Subicit et mixtis salibus lascivior alter:
 'Miraris? nihil est, quod non in pectore magnum
 Concipit Eutropius. Semper nova, grandia semper
 Diligit et celeri degustat singula sensu. 361
 Nil timet a tergo; vigilantibus undique curis
 Nocte dieque patet; lenis facilisque moveri
 Supplicibus mediaque tamen mollissimus ira
 Nil negat et sese vel non poscentibus offert; 365
 Quod libet ingenio, subigit traditque fruendum;
 Quidquid amas, dabit illa manus; communiter omni
 Fungitur officio gaudetque potentia flecti.
 Hoc quoque conciliis peperit meritoque laborum,
 Accipit et trabeas argutae praemia dextrae'. 370

Postquam vera fides facinus vulgavit Eoum
 Gentibus et Romae iam certius impulit aures,
 'Eutropiumne etiam nostra dignabimur ira?
 Hic quoque Romani meruit pars esse doloris?'
 Sic effata rapit caeli per inania cursum 375
 Diva potens unoque Padum translapsa volatu
 Castra sui rectoris adit. Tum forte decorus
 Cum Stilichone gener pacem implorantibus ultro
 Germanis responsa dabat, legesque Caucis
 Arduus et flavis signabat iura Suebis. 380
 His tribuit reges, his obside foedera sancit
 Indicto; bellorum alios transcribit in usus,
 Militet ut nostris detonsa Sygambria signis.
 Laeta subit Romam pietas et gaudia paene
 Moverunt lacrimas tantoque exultat alumno: 385
 Sic armenta suo iam defensante iuvenco

354 Carmani] *Heinsius*; Carmenii, Armenii, Germani.

Celsius adsurgunt erectae cornua matri,
 Sic iam terribilem stabulis dominumque ferarum
 Crescere miratur genetrix Massyla leonem.
 Dimovit nebulam iuvenique adparuit ingens. 390
 Tum sic orsa loqui:

Quantum te principe possim,
 Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
 Mitior aut fracto secura Britannia Picto;
 Ante pedes humili Franco tristisque Suebo
 Perfruor et nostrum video, Germanice, Rhenum. 395
 Sed quid agam? Discors Oriens felicibus actis
 Invidet atque alio Phoebi de cardine surgunt
 Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
 Gildonis taceo magna cum laude receptam
 Perfidiam et fretos Eoo robore Mauros. 400
 Quae suscepta fames, quantum discriminis urbi,
 Ni tua vel soceri numquam non provida virtus
 Australem Arctois pensasset frugibus annum.
 Invectae Rhodani Tiberina per ostia classes
 Cinyphiisque ferax Araris successit aristis. 405
 Teutonicus vomer Pyrenaeique iuveni
 Sudavere mihi; segetes mirantur Hiberas
 Horrea; nec Libyae senserunt damna rebellis
 Iam transalpina contenti messe Quirites.
 Ille quidem solvit meritas (scit Tabraca) poenas, 410
 Vt pereat quicumque tuis conflixerit armis.

Ecce repens isdem clades a partibus exit
 Terrorisque minus, sed plus habitura pudoris
 Eutropius consul. Pridem tolerare fatemur
 Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu 415
 Sustulit et nostros corrumpit Parthia mores.
 Praefecti sed adhuc gemmis vestique dabantur
 Custodes sacroque adhibere silentia somno;
 Militia eunuchi numquam progressa cubili,
 Non vita spondente fidem; sed inertia tutum 420
 Mentis pignus erat. Secreta monilia servent,
 Ornatus curent Tyrios: a fronte recedant

Imperii. Tenero tractari pectore nescit
 Publica maiestas. Numquam vel in aequore puppim
 Vidimus eunuchi clavo parere magistri. 425
 Nos adeo sperni faciles? orbisque carina
 Vilior? Auroram sane, quae talia ferre
 Gaudet, et adsuetas sceptris muliebribus urbes
 Possideant; quid belliferam communibus urunt
 Italiam maculis nocituraque probra severis 430
 Ammiscent populis? Peregrina piacula forti
 Pellantur longe Latio nec transeat Alpes
 Dedecus; in solis, quibus extitit, haereat arvis.
 Scribat Halys, scribat famae contemptor Orontes:
 Per te perque tuos obtestor Roma triumphos, 435
 Nesciat hoc Thybris, numquam poscentibus olim
 Qui dare Dentatis annos Fabiisque solebat.
 Martius eunuchi repetet suffragia campus?
 Aemilios inter servatoresque Camillos
 Eutropius? Iam Chrysogonis tua, Brute, potestas 440
 Narcissisque datur? Natos hoc dedere poenae
 Profuit et misero civem praeponere patri?
 Hoc mihi Ianiculo positis Etruria castris
 Quaesiit et tantum fluvio Porsenna remotus?
 Hoc meruit vel ponte Cocles vel Mucius igne? 445
 Visceribus frustra castum Lucretia ferrum
 Mersit et attonitum tranavit Cloelia Thybrim?
 Eutropio fascēs adservabantur adempti
 Tarquiniis? Quemcumque meae vexere curules,
 Laxato veniat socium aversatus Averno. 450
 Impensi sacris Decii prorumpite bustis
 Torquatique truces animosaque pauperis umbra
 Fabricii tuque o, si forte inferna piorum
 Iugera et Elysias scindis, Serrane, novales.
 Poeno Scipiadae, Poeno praeclare Lutati, 455
 Sicania Marcelle ferox, gens Claudia surgas
 Et Curii veteres; et, qui sub iure negasti

456 surgas] *Birtius*; surgat.

Vivere Caesareo, parvo procede sepulcro
 Eutropium passure Cato; remeate tenebris,
 Agmina Brutorum Corvinorumque catervae. 460
 Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
 Ambigui Romana mares; rapuere tremendas
 Hannibali Pyrrhoque togas; flabella perosi
 Adspirant trabeis; iam non umbracula gestant
 Virginibus, Latias ausi vibrare secures! 465

Linquite femineas infelix turba latebras,
 Alter quos pepulit sexus nec suscipit alter,
 Execti Veneris stimulos et vulnere casti
 (Mixta duplex aetas; inter puerumque senemque
 Nil medium): falsi complete sedilia patres, 470
 Ite novi proceres infecundoque senatu
 Eutropium stipate ducem; celebrate tribunal
 Pro thalamis, verso iam discite more curules,
 Non matrum pilenta sequi.

Ne prisca revolvam
 Neu numerem, quantis iniuria mille per annos 475
 Sit retro ducibus, quanti foedabitur aevi
 Canities, unam subeant quot saecula culpam:
 Inter Arinthaei fastos et nomen erile
 Servus erit dominoque suos aequalis honores
 Inset! Heu semper Ptolomaei noxia mundo 480
 Mancipia! En alio laedor graviore Pothino
 Et patior maius Phario scelus. Ille cruorem
 Consulis unius Pellaeis ensibus hausit;
 Inquinat hic omnes.

Si nil privata movebunt,
 At tu principibus, vestrae tu prospice causae 485
 Regalesque averte notas. Hunc accipit unum
 Aula magistratum: vobis patribusque recurrit
 Hic alternus honos. In crimen euntibus annis
 Parce, quater consul! Contagia fascibus, oro,
 Defendas ignava tuis neu tradita libris 490
 Omina vestitusque meos, quibus omne, quod ambit
 Oceanus, domui, tanta caligine mergi

Calcarique sinas. Nam quae iam bella geramus.
 Mollibus auspiciis? quae iam conubia prolem
 Vel frugem latura seges? quid fertile terris, 495
 Quid plenum sterili possit sub consule nasci?
 Eunuchi si iura dabunt legesque tenebunt,
 Ducant pensa viri mutatoque ordine rerum
 Vivat Amazonio confusa licentia ritu.

‘Quid trahor ulterius? Stilicho, quid vincere differs,
 Dum certare pudet? nescis quod turpior hostis 501
 Laetitia maiore cadit? Piratica Magnum
 Erigit, inlustrat servilis laurea Crassum.
 Adnais. Agnosco fremitum, quo palluit Euris,
 Quo Mauri Gildoque ruit. Quid Martia signa 505
 Sollicitas? Non est iaculis hastisque petendus:
 Conscia succumbent audito verberere terga,
 Vt Scythia post multos rediens exercitus annos,
 Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes
 Iret et arceret dominos tellure reversos, 510
 Armatam ostensis aciem fudere flagellis:
 Notus ab inceptis ignobile reppulit horror
 Vulgus et addictus sub verberere torpuit ensis’.

IN EVTROPIVM

LIBER SECVNDVS. PRAEFATIO.

(XIX.)

Qui modo sublimes rerum flectebat habenas
 Patricius, rursum verbera nota timet
 Et solitos tardae passurus compedis orbis
 In dominos vanas luget abisse minas.
 Culmine deiectum vitae Fortuna priori 5
 Reddidit, insano iam satiata ioco.
 Scindere nunc alia meditatur ligna securi
 Fascibus et tandem vapulat ipse suis.

Ille citas consul poenas se consule solvit:
 Annus qui trabeas hic dedit exilium. 10
 Infaustum populis in se quoque vertitur omen;
 Saevit in auctorem prodigiosus honos.
 Abluto penitus respirant nomine fasti
 Maturamque luem sanior aula vomit.
 Dissimulant socii coniuratique recedunt, 15
 Procumbit pariter cum duce tota cohors;
 Non acie victi, non seditione coacti;
 Nec pereunt ritu, quo periere, viri.
 Concidit exiguae dementia vulnere chartae;
 Confecit saevum littera Martis opus. 20

Mollis feminea detruditur arce tyrannus
 Et thalamo pulsus perdidit imperium:
 Sic iuvenis nutante fide veterique reducta
 Paelice defletam linquit amica domum.
 Canitiem raram largo iam pulvere turpat 25
 Et lacrimis rugas implet anile gemens
 Suppliciterque pius humilis prostratus ad aras
 Mitigat iratas voce tremente nurus.
 Innumeri glomerantur eri sibi quisque petentes
 Mancipium solis utile supplicii. 30
 Quamvis foedus enim mentemque obscaenior ore,
 Ira facit pretium; poena meretur emi. *Inconsistent*

Quas, spado, nunc terras aut quem transibis in axem?
 Cingeris hinc odiis, inde recessit amor.
 Vtraque te gemino sub sidere regia damnat: 35
 Hesperius numquam, iam nec Eous eris.
 Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
 Ad propriam cladem caeca Sibylla taces.
 Iam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus;
 Pervigilant vates iam, miserande, tui. 40

9 Ille citas] *Birtius*; *Inlicitas*, *Illicitas*. 32 facit] *scripsi*;
 dabit, dabat.

- Quid soror? audebit tecum conscendere puppim
 Et veniet longum per mare fida comes?
 An fortasse toros eunuchi pauperis odit
 Et te nunc inopem dives amare negat?
 Eunuchi iugulum primus secuisse fateris. 45
 Sed tamen exemplo non feriere tuo.
 Vive pudor fatis. En quem tremuere tot urbes,
 En cuius populi sustinuere iugum!
 Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
 Non aliter poteris principis esse pater. 50
 Improbe, quid pulsas muliebribus astra querellis,
 Quod tibi sub Cypri litore parta quies?
 Omnia barbarico per te concussa tumultu.
 Crede mihi, terra tutius aequor erit.
- Iam non Armenios iaculis terrebis et arcu, 55
 Per campos volucrum non agitabis equum;
 Dilecto caruit Byzantius ore senatus;
 Curia consiliis aestuat orba tuis:
 Emeritam suspende togam, suspende pharetram;
 Ad Veneris partes ingeniumque redi. 60
 Non bene Gradivo lenonia dextera servit.
 Suscipiet famulum te Cytherea libens.
 Insula laeta choris, blandorum mater Amorum,
 Nulla pudicitiae cura: placere potest.
 Prospectant Paphiae celsa de rupe puellae 65
 Sollicitae; salvam dum ferat unda ratem.
 Sed vereor, teneant ne te Tritones in alto
 Lascivas doctum fallere Nereidas,
 Aut idem cupiant pelago te mergere venti,
 Gildonis nuper qui tenuere fugam. 70
 Inclita captivo memoratur Tabraca Mauro,
 Naufragio Cyprus sit memoranda tuo.
 Vecturum moriens frustra delphina vocabis;
 Ad terram solos devehit ille viros.
 Quisquis adhuc similis eunuchus tendit in actus, 75
 Respiciens Cyprum desinat esse ferox.

IN EVTROPIVM

LIBER SECVNDVS.

(XX.)

Mygdonii cineres et si quid restat Eoi,
 Quod pereat, regni: certe non augure falso
 Prodigii patuere minae, frustra que peracto
 Vulnere monstriferi praesagia discitis anni. 5
 Cautior ante tamen violentum navita Caurum
 Prospicit et tumidae subducit vela procellae.
 Quid iuvat errorem mersa iam puppe fateri?
 Quid lacrimae delicta levant? Stant omina vestri
 Consulis: inmotis haesere piacula fatis.
 Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes 10
 Detersum maculas. Veteri post obruta morbo
 Corpora Paeonias nequiquam admoveris herbas.
 Ulcera possessis alte suffusa medullis
 Non levio manu, ferro sanantur et igni,
 Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix. 15
 Ad vivum penetrant flammae, quo funditus umor
 Defluit et vacuis corrupto sanguine venis
 Arescat fons ipse mali; truncatur et artus,
 Vt liceat reliquis securum degere membris.
 At vos egregie purgatam creditis aulam, 20
 Eutropium si Cyprus habet vindictaque mundi
 Semivir exul erit. Qui vos lustrare valebit
 Oceanus? tantum facinus quae diluet aetas?
 Induerat necdum trabeas: mugitus ab axe
 Redditus inferno, rabies arcana cavernas 25
 Vibrat et alterno configunt culmina lapsu.
 Bacchatus per operta tremor Calchedona movit
 Pronus et in geminas nutavit Bosphorus urbes.
 Concurrere freti fauces, radice revulsa
 Vitant instabilem rursus Symplegada nautae. 30
 Scilicet haec Stygiae praemittunt signa sorores
 Et sibi iam tradi populos hoc consule gaudent.

Mox oritur diversa lues: hinc Mulciber ignes
 Sparserat, hinc victa proruperat obice Nereus;
 Haec flagrant, haec tecta natant. Quam, numina, poenam
 Servatis sceleri, cuius tot cladibus omen 36
 Constitit? Incumbas utinam, Neptune, tridenti
 Pollutumque solum toto cum crimine mergas.
 Vnam pro mundo Furiis concedimus urbem.

Vtque semel patuit monstris iter, omnia tempus 40
 Nacta suum properant: nasci tum decolor imber
 Infantumque novi vultus et dissona partu
 Semina, tum lapidum fletus armentaque vulgo
 Ausa loqui mediisque ferae se credere muris;
 Tum vates sine more rapi lymphataque passim 45
 Pectora terrifici stimulis ignescere Phoebi.
 Fac nullos cecinisse deos: adeone retusi
 Quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
 Adfore fatalem castrati consulis annum?
 Sed quam caecus inest vitiis amor! Omne futurum 50
 Despicitur suadentque brevem praesentia fructum
 Et ruit in vetitum damni secura libido,
 Dum mora supplicii lucro serumque quod instat
 Creditur. Haud equidem contra tot signa Camillo
 Detulerim fascēs, nedum (pro sexus!) inertī 55
 Mancipio, cui, cuncta licet responsa iuberent
 Hortantesque licet sponderent prospera divi,
 Turpe fuit cessisse viros.

Exquirete retro

Crimina continui lectis annalibus aevi,
 Prisca recensitis evolvite saecula fastis: 60
 Quid senis infandi Capreae, quid scaena Neronis
 Tale ferat? Spado Romuleo succinctus amictu
 Sedit in Augustis laribus. Vulgata patebat
 Aula salutantum studiis; huc plebe senatus
 Permixa trepidique duces omnisque potestas 65
 Confluit. Advolvi genibus, contingere dextram
 Ambitus et votum deformibus oscula rugis
 Figere. Praesidium legum genitorque vocatur

Principis et famulum dignatur regia patrem.
 Posteritas, admitte fidem: monumenta petuntur 70
 Dedecoris multisque gemunt incudibus aera
 Formatura nefas. Haec iudicis, illa togati,
 Haec nitet armati species; numerosus ubique
 Fulget eques: praefert eunuchi curia vultus.
 Ac veluti caveant ne quo consistere virtus 75
 Possit pura loco, cunctas hoc ore laborant
 Incestare vias. Maneant inmota precamur
 Certaue perpetui sint argumenta pudoris.
 Subter adulantes tituli nimiaeque leguntur
 Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu 80
 (Cum vivant domini!), quod maxima proelia solus
 Impleat (et patitur miles!), quod tertius urbis
 Conditor (hoc Byzas Constantinusque videbant!).
 Inter quae tumidus leno producere cenas
 In lucem, foetere mero, dispergere plausum 85
 Empturas in vulgus opes, totosque theatris
 Indulgere dies, alieni prodigus auri.
 At soror et, si quid portentis creditur, uxor
 Mulcebat matres epulis et more pudicae
 Coniugis eunuchi celebrabat vota mariti. 90
 Hanc amat, hanc summa de re vel pace vel armis
 Consulit, huic curas et clausa palatia mandat
 Ceu stabulum vacuumque domum. Sic magna tueri
 Regna nihil patiensque iugi deluditur orbis?
 Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem 95
 Senserat et primi laxabant germina flores,
 Iamque iter in gremio pacis sollemne parabant
 Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
 Eutropio, pelagi ne taedia longa subirent,
 Sed vaga lascivis flueret discursibus aestas: 100
 Vnde tamen tanta sublimes mole redibant,
 Ceu vinctos traherent Medos Indumque bibissent.
 Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
 Arva cruentato repetebat Thracia curru:
 Subsidunt Pangaea rotis altaeque sonoro 105

Stridunt axe nives. Ut vertice constitit Haemi
 Femineasque togas pressis conspexit habenis,
 Subrisit crudele pater cristisque micantem
 Quassavit galeam; tunc implacabile numen
 Bellonam adloquitur, quae sanguine sordida vestem 110
 Illyricis pingues pectebat stragibus hydros:

‘Necdum mollitiae, necdum, germana, mederi
 Possumus Eoae? numquam corrupta rigescent
 Saecula? Cappadocum tepidis Argaeus acervis
 Aestuat; infelix etiamnum pallet Orontes. 115
 Dum pereunt, meminere mali; si corda parumper
 Respirare sinas, nullo tot funera sensu
 Praetereunt: antiqua levis iactura cruoris!

‘Adspicis obscaenum facinus? quid crinibus ora
 Protegis? en quales sese diffudit in actus 120

Parva quies, quantum nocuerunt otia ferri!
 Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
 Actum de trabeis esset, si partibus una
 Mens foret Hesperii; rueret derisa vetustas
 Nullaque calcati starent vestigia iuris, 125

Ni memor imperii Stilicho morumque priorum
 Turpe relegasset defenso Thybride nomen
 Intactamque novo servasset crimine Romam.
 Ille dedit portum, quo se pulsata referret
 Maiestas Latii deformataeque secures; 130
 Ille dedit fastos, ad quos Oriente relicto
 Confugeret sparsum maculis servilibus aevum.

‘Quam similes haec aula viros! Ad moenia visus
 Dirige: num saltem tacita formidine mussant?

Num damnant animo? Plaudentem cerne senatum 135
 Et Byzantinos proceres Graiosque Quirites.

O patribus plebes, o digni consule patres!
 Quid? quod et armati cessant et nulla virilis
 Inter tot gladios sexum reminiscitur ira?
 Hucine nostrorum cinctus abiere nepotum? 140
 Sic Bruti despectus honos?

‘Ignosce parenti,

Romule, quod serus temeratis fascibus ultor
 Advenio: iam iam largis haec gaudia faxo
 Compensent lacrimis. Quid dudum inflare moraris
 Tartaream, Bellona, tubam, quid stringere falcem, 145
 Qua populos a stirpe metis? Molire tumultus,
 Excute delicias. Thracum Macetumque ruinae
 Taedet et in gentes iterum saevire sepultas.

Damna minus consueta move; trans aequora saevas
 Verte faces; aliis exordia sume rapinis. 150

Non tibi Riphaeis hostis quaerendus ab oris,
 Non per Caucasias accito turbine valles
 Est opus. Ostrogothis colitur mixtisque Gruthungis
 Phryx ager: hos parvae poterunt impellere causae
 In scelus; ad mores facilis natura reverti. 155

Sic eat: in nostro quando iam milite robur
 Torpuit et molli didicit parere magistro,
 Vindicet Arctous violatas advena leges.

Barbara Romano succurrant arma pudori?

Sic fatus clipeo, quantum vix ipse deorum 160
 Arbiter infesto cum percutit aegida nimbo,
 Intonuit. Responsat Athos Haemusque remugit;
 Ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem.

Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
 Hebrus et exanguem glacie timor adligat Histrum. 165

Tunc adamante gravem nodisque rigentibus hastam,
 Telum ingens nullique deo iaculabile, torsit.

Fit late ruptis via nubibus; illa per auras
 Tot freta, tot montes uno contenta volatu
 Transilit et Phrygiae mediis adfigitur arvis. 170

Sensit humus; gemuit Nysaeo palmite felix

Hermus et aurata Pactolus inhorruit urna

Totaque summissis fleverunt Dindyma silvis.

Nec dea praemissae stridorem segnius hastae
 Consequitur, centumque vias meditata nocendi 175
 Tandem Tarbigilum (Geticae dux improbus alae

149 move] *scripsi Birtium secutus*; movent.

176 alae] *Rubenus*; aulae.

Hic erat) adgreditur. Viso tum forte redibat
 Eutropio vacuus donis, feritasque dolore
 Creverat et, teneris etiam quae crimina suadet
 Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egestas. 180
 Huic sese vultu simulatae coniugis offert
 Mentitoque ferox incedit barbara gressu,
 Carbaseos induta sinus: post terga reductas
 Vberibus propior mordebat fibula vestes
 Inque orbem tereti mitra redeunte capillum 185
 Strinxerat et virides flavescere iusserat angues.
 Advolat ac niveis reducem complectitur ulnis
 Infunditque animo furiale per oscula virus.
 Principe quam largo veniat, quas inde reportet
 Divitias, astu rabiem motura requirit. 190
 Ille iter ingratum, vanos deflere labores,
 Quos super eunuchi fastus, quae probra tulisset.
 Continuo secat ungue genas et tempore pandit
 Adrepto gemitus:

‘I nunc, devotus aratris

Scinde solum positoque tuos mucrone sodales 195
 Ad rastros sudare doce. Bene rura Gruthungus
 Exolet et certo disponet sidere vites.
 Felices aliae, quas debellata maritis
 Oppida, quas magnis quaesitae viribus ornant
 Exuviae, quibus Argivae pulchraeque ministrant 200
 Thessalides, famulas et quae meruere Lacaenas.
 Me nimium timido, nimium iunxere remisso
 Fata viro, totum qui degener exuit Histrum,
 Qui refugit patriae ritus, quem detinet aequi
 Gloria concessoque cupit vixisse colonus 205
 Quam dominus raptō. Quid pulchra vocabula pigris
 Praetentas vitiis? Probitatis inertia nomen,
 Iustitiae formido subit. Tolerabis iniquam
 Pauperiem, cum tela geras? et flebis inultus,
 Cum pateant tantae nullis custodibus urbes? 210

‘Quippe metus poenae. Pridem mos ille vigebat,
 Vt meritos colerent impacatisque rebelles

weel
 f

Vrgerent odiis; at nunc, qui foedera rumpit,
 Ditatur; qui servat, eget. Vastator Achivae
 Gentis et Epirum nuper populatus inultam 215
 Praesidet Illyrico; iam, quos obsedit, amicos
 Ingredditur muros illis responsa daturus,
 Quorum coniugibus potitur natosque peremit.
 Sic hostes punire solent, haec praemia solvunt
 Excidiis. Cunctaris adhuc numerumque tuorum 220
 Respicias exiguamque manum? Tu rumpe quietem;
 Bella dabunt socios. Nec te tam prona monerem,
 Si contra paterere viros: nunc alter in armis
 Sexus et eunuchis se defensoribus orbis
 Credidit; hos aquilae Romanaeque signa sequuntur. 225
 Incipe barbaricae tandem te reddere vitae,
 Te quoque iam timeant admirenturque nocentem,
 Quem sprevere pium. Spoliis praedaeque repletus
 Cum libeat Romanus eris?

Sic fata repente

In diram se vertit avem rostroque recurvo 230
 Turpis et infernis tenebris obscurior alas
 Auspicium veteri sedit ferale sepulcro.
 Ille, pavor postquam resoluta corde quievit
 Et rigidae sedere comae, non distulit atrox
 Iussa deae; sociis, quae viderat, ordine pandit 235
 Inritatque sequi. Coniurat barbara pubes
 Nacta ducem Latiisque palam descivit ab armis.

Pars Phrygiae, Scythicis quaecumque Trionibus alget
 Proxima, Bithynos, solem quae condit, Ionas,
 Quae levat, attingit Galatas. Utrimque propinqui 240
 Finibus obliquis Lydi Pisidaeque feroces
 Continuant australe latus. Gens una fuere
 Tot quondam populi, priscum cognomen et unum
 Appellata Phryges; sed (quid non longa valebit
 Permutare dies?) dicti post Maeona regem 245
 Maeones. Aegaeos insedit Graecia portus;
 Thyni Thraces arant, quae nunc Bithynia fertur;
 Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens

Illis ante vagus tandem regionibus haesit
 Gaesaeque deposuit, Graio iam mitis amictu, 250
 Pro Rheno poturus Halyn. Dat cuncta vetustas
 Principium Phrygibus; nec rex Aegyptius ultra
 Restitit, humani postquam puer uberis expers
 In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.

Hic cecidit Libycis iactata paludibus olim 255
 Tibia, foedatam cum reddidit umbra Minervam,
 Hic et Apollinea victus testudine pastor
 Suspensa memores inlustrat pelle Celaenas.

Quattuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
 Auriferi; nec miror aquas radiare metallo, 260
 Quae totiens lavere Midan. Diversus ad Austrum
 Cursus et Arctoum fluviis mare. Dindyma fundunt
 Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
 Auctus Amazonii defertur ad ostia Ponti.

Icarium pelagus Mycalaeaque litora iuncti 265
 Marsya Maeanderque petunt; sed Marsya velox,
 Dum suus est, flexuque carens iam flumine mixtus
 Mollitur, Maeandre, tuo contraria passus,
 Quam Rhodano stimulatus Arar: quos inter aprica
 Planities Cererique favet densisque ligatur 270
 Vitibus et glaucae fructus attollit olivae,
 Dives equis, felix pecori pretiosaque picto
 Marmore purpureis, caedit quod Synnada, venis.

Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
 Permisere dei. Securas barbarus urbes 275
 Inrupit facilesque capi. Spes nulla salutis,
 Nulla fugae: putribus iam propugnacula saxis
 Longo corruerant aevo pacisque senecta.

Interea gelidae secretis rupibus Idae
 Dum sedet et thiasos spectat de more Cybebe 280
 Curetumque alacres ad tympana suscitatur enses,
 Aurea sanctarum decus immortale comarum
 Defluxit capiti turris summoque volutus
 Vertice crinalis violatur pulvere murus.
 Obstipuerunt truces omen Corybantes et uno 285

Fixa metu tacitas presserunt orgia buxos.

Indoluit genetrix, tum sic commota profatur:

‘Hoc mihi iam pridem Lachesis grandaeva canebat

Augurium: Phrygiae casus venisse supremos

Delapsus testatur apex. Heu sanguine qualis 290

Ibit Sangarius quantasque cadavera lenti

Maeandri passura moras! Immobiles haeret

Terminus, haec dudum nato placuere Tonanti.

Par et finitimis luctus, frustra Lyaei

Non defensuros implorat Lydia thyrsos. 295

Iamque vale Phrygiae tellus perituraque flammis

Moenia, conspicuas quae nunc attollitis arces,

Mox campi nudumque solum! dilecta valete

Flumina! Non vestris ultra bacchabor in antris

Nec iuga sulcabit noster Berecynthia currus? 300

Dixit et ad tristes convertit tympana planctus.

Labentem patriam sacris ululatibus Attis

Personat et torvi lacrimis maduere leones.

Eutropius, nequeat quamvis metuenda taceri

Clades et trepidus vulgaverit omnia rumor, 305

Ignorare tamen fingit regnique ruinas

Dissimulat: parvam latronum errare catervam,

Ad sontes tormenta magis quam tela parari

Nec duce frangendas iactat, sed iudice vires:

Vasta velut Libyae venantum vocibus ales 310

Cum premitur calidas cursu transmittit harenas

Inque modum veli sinuatis flamine pennis

Pulverulenta volat; si iam vestigia retro

Clara sonent, oblita fugae stat lumine clauso

(Ridendum!) revoluta caput creditque latere, 315

Quem non ipsa videt. Furtim tamen ardua mittit

Cum donis promissa novis, si forte rogatus

Desinat. Ille semel nota dulcedine praedae

Se famulo servire negat, nec grata timentum

Munera; militiam nullam nec prima superbus 320

Cingula dignari; nam quis non consule tali

Vilis honos?

Postquam precibus mitescere nullis,
 Non auro cessisse videt creberque recurrit
 Nuntius incassum nec spes iam foederis extat:
 Tandem consilium belli confessus agendi 325
 Ad sua tecta vocat. Iuvenes venere protervi
 Lascivique senes, quibus est insignis edendi
 Gloria corruptasque dapes variasse decorum,
 Qui ventrem invitant pretio traduntque palato
 Sidereas Iunonis aves et si qua loquendi 330
 Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
 Quaesitos trans regna cibos, quorumque profundam
 Ingluviem non Aegaeus, non alta Propontis,
 Non freta longinquis Maeotia piscibus explent.
 Vestis odoratae studium; laus maxima risum 335
 Per vanos movisse sales minimeque viriles
 Munditiae; compti vultus; onerique vel ipsa
 Serica. Si Chunus feriat, si Sarmata portas,
 Solliciti scaenae; Romam contemnere sueti
 Mirarique suas, (quas Bosphorus obruat!), aedes;
 Saltandi dociles aurigarumque periti. 341
 Pars humili de plebe duces; pars compede suras
 Cruraque signati nigro liventia ferro
 Iura regunt, facies quamvis inscripta repugnet
 Seque suo prodat titulo. Sed prima potestas 345
 Eutropium praefert Hosio subnixa secundo.
 Dulcior hic sane cunctis prudensque movendi
 Iuris et admoto qui temperet omnia fumo,
 Fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
 Considunt apices gemini dicionis Eoae, 350
 Hic cocus, hic leno, defossi verberere terga,
 Servitio, non arte pares, hic saepius emptus,
 Alter ad Hispanos nutritus verna penates.
 Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in artis
 Consulerent tantisque darent solacia morbis, 355
 Obliti subito Phrygiae bellisque relictis

340 obruat] *Birtius*; obruit; horruit.

Ad solitos coepere iocos et iurgia circi
 Tendere. Nequiquam magna confligitur ira,
 Quis melius vibrata puer vertigine molli
 Membra rotet, verrat quis marmora crine supino? 360
 Quis magis enodes laterum detorqueat artus,
 Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet?
 Hi tragicos meminere modos; his fabula Tereus,
 His necdum commissa choro cantatur Agaue.
 Increpat Eutropius: non haec spectacula tempus 365
 Poscere; nunc alias armorum incumbere curas;
 Se satis Armenio fessum pro limite cingi
 Nec tantis unum subsistere posse periclis;
 Ignoscant senio, iuvenes ad proelia mittant —:
 Qualis pauperibus nutrix invisita puellis 370
 Adsidet et tela communem quaerere victum
 Rauca monet; festis illae lusisse diebus
 Orant et positis aequaevas visere pensis,
 Irataeque operi iam lasso pollice fila
 Turbant et teneros detergent stamine fletus. 375
 Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
 Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
 Aequatura fames, quem non ieiuna Celaeno
 Vinceret; hinc nomen fertur meruisse Leonis.
 Acer in absentes linguae iactator, abundans 380
 Corporis exiguusque animi, doctissimus artis
 Quondam lanificae, moderator pectinis unci.
 Non alius lanam purgatis sordibus aequae
 Praebuerit calathis, similis nec pinguia quisquam
 Vellera per tenues ferri producere rimas. 385
 Tunc Ajax erat Eutropii lateque fremebat,
 Non septem vasto quatiens umbone iuencos,
 Sed, quam perpetuis dapibus pigroque sedili
 Inter anus interque colos oneraverat, alvum.
 Adurgit tandem vocemque expromit anhelam: 390
 'Quis novus hic torpor, socii? quonam usque sedemus
 Femineis clausi thalamis patimurque periculum
 Gliscere desidia? Graviorum turba malorum

Textitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
 Me petit hic sudor. Numquam mea dextera segnis
 Ad ferrum. Faveat tantum Tritonia coeptis, 396
 Inceptum peragetur opus. Iam cuncta furorem
 Qui gravat, efficiam leviolem pondere lanae;
 Tarbigilum timidum desultoresque Gruthungos
 Vt miseras populabor oves et pace relata 400
 Pristina restituam Phrygias ad stamina matres.⁷
 His dictis iterum sedit; fit plausus et ingens
 Concilii clamor, qualis resonantibus olim
 Exoritur caveis, quotiens crinitus ephebus
 Aut rigidam Nioben aut flentem Troada fingit. 405
 Protinus excitis iter inremeabile signis
 Adripit infaustoque iubet bubone moveri
 Agmina Mygdonias mox impletura volucres.
 Pulcher et urbanae cupiens exercitus umbrae,
 Adsiduus ludis, avidus splendere lavacris 410
 Nec soles imbresve pati multumque priori
 Dispar, sub clipeo Thracum qui ferre pruinas,
 Dum Stilicho regeret, nudoque hiemare sub axe
 Sueverat et duris haurire bipennibus Hebrum.
 Cum duce mutatae vires. Byzantia robur 415
 Fregit luxuries Ancyranique triumphi.
 Non peditem praecedat eques; non commoda castris
 Eligitur regio; vicibus custodia nullis
 Advigilat vallo; non explorantur eundae
 Vitandaeque viae; nullo se cornua flectunt 420
 Ordine: confusi passim per opaca vagantur
 Lustra, per ignotas angusto tramite valles.
 Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
 Fertur in abruptum casu, non sidere puppis;
 Sic ruit in rupes amisso pisce sodali 425
 Belua, sulcandas qui praevis edocet undas
 Immensumque pecus parvae moderamine caudae
 Temperat et tanto coniungit foedera monstro;
 Illa natat rationis inops et caeca profundi;
 Iam brevibus deprensa vadis ignara reverti 430

Palpitat et vanos scopulis inlidit hiatus.

Tarbigilus simulare fugam flatuque Leonis
 Spe nutrire leves improvisusque repente,
 Dum gravibus marcent epulis hostique catenas
 Inter vina crepant, largo sopita Lyaeo 435
 Castra subit. Pereunt alii, dum membra cubili
 Tarda levant; alii leto iunxere soporem;
 Ast alios vicina palus sine more ruentes
 Excipit et cumulis inmanibus aggerat undas.
 Ipse Leo damma cervoque fugacior ibat 440
 Sudanti tremebundus equo: qui pondere postquam
 Decidit, implicitus limo cunctantia pronus
 Per vada reptabat. Caeno subnixa tenaci
 Mergitur et pingui suspirat corpore moles
 More suis, dapibus quae iam devota futuris 445
 Turpe gemit, quotiens Hosius mucrone corusco
 Armatur cingitque sinus secumque volutat,
 Quas figat verubus partes, quae frustra calenti
 Mandet aquae quantoque cutem distendat echino:
 Flagrat opus; crebro pulsatus perstrepat ictu; 450
 Contextit varius penetrans Calchedona nidor.

Ecce levis frondes a tergo concutit aura:
 Credit tela Leo; valuit pro vulnere terror
 Implevitque vicem iaculi, vitamque nocentem
 Integer et sola formidine saucius efflat. 455
 Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enses,
 Quis solio campum praeponere suasit avito?
 Quam bene texentum laudabas carmina tutus
 Et matutinis pellebas frigora mensis!
 Hic miserande iaces; hic, dum tua vellera vitas, 460
 Tandem fila tibi neverunt ultima Parcae.

Iam vaga pallentem densis terroribus aulam
 Fama quatit; stratas acies, deleta canebat
 Agmina, Maeonios foedari caedibus agros,
 Pamphylos Pisidasque rapi. Metuendus ab omni 465
 Tarbigilus regione tonat; modo tendere cursum
 In Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.

Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
 Sunt qui correptis ratibus terraque marique
 Adventare ferant; geminantur vera pavoris 470
 Ingenio: longe spectari puppibus urbes
 Accensas, lucere fretum ventoque citatas
 Omnibus in pelago velis haerere favillas.

Hos inter strepitus funestior advolat alter
 Nuntius: armatam rursus Babylona minari 475
 Rege novo; resides Parthos ignava perosos
 Otia Romanae finem iam quaerere paci.

Rarus apud Medos regum cruor; unaque cuncto
 Poena manet generi: quamvis crudelibus aequae
 Paretur dominis. Sed quid non audeat annus 480
 Eutropii? socium nobis fidumque Saporem
 Perculit et Persas in regia vulnera movit
 Rupturasque fidem, leto pars ne qua vacaret,
 Eumenidum taedas trans flumina Tigridis egit.

Tum vero cecidere animi tantisque procellis 485
 Deficiunt. Saepti latrantibus undique bellis
 Infensos tandem superos et consulis omen
 Agnovere sui, nec iam revocabile damnum
 Eventu stolido serum didicere magistro.

Namque ferunt geminos uno de semine fratres 490
 Iapetionidas generis primordia nostri

Dissimili finxisse manu: quoscumque Prometheus
 Excoluit multumque innexuit aethera limo,
 Hi longe ventura notant dubiisque parati
 Casibus occurrunt fabro meliore politi. 495

Deteriore luto pravus quos edidit auctor,
 Quem merito Grai perhibent Epimethea vates,
 Et nihil aetherii sparsit per membra vigoris,
 Hi pecudum ritu non impendentia vitant
 Nec res ante vident, accepta clade queruntur 500
 Et seri transacta gemunt.

Iam sola renidet

489 serum] *Birtius*; rerum.

In Stilichone salus, et cuius semper acerbum
 Ingratumque sibi factorum conscius horror
 Credidit adventum, quem si procedere tantum
 Alpibus audissent, mortem poenasque tremebant, 505
 Iam cuncti venisse volunt, scelerumque priorum
 Paenitet; hoc tantis bellorum sidus in undis
 Sperant, hoc pariter iusti sontesque precantur:
 Ceu pueri, quibus alta pater trans aequora merces
 Devenit, intenti ludo studiisque soluti 510
 Latius amoto passim custode vagantur;
 Si gravis auxilio vacuas invaserit aedes
 Vicinus laribusque suis proturbet inultos,
 Tum demum patrem implorant et nomen inani
 Voce cient frustra que oculos ad litora tendunt. 515

Omnes supplicio dignos letoque fatentur,
 Qui se tradiderint famulis Stilichone relicto.
 Mutati stupuere diu sensuque reducto
 Paulatim proprii mirantur monstra furoris
 Avertuntque oculos (proiectis fascibus horret 520
 Lictor et infames labuntur sponte secures):

Quales Aonio Thebas de monte reversae
 Maenades infectis Pentheo sanguine thyrsis,
 Cum patuit venatus atrox matricum rotatum
 Conspexere caput, gressus caligine figunt 525

Et rabiem desisse dolent. Quin protinus ipsa
 Tendit ad Italiam supplex Aurora potentem
 Non radiis redimita comam, non flammea vultu
 Nec croceum vestita diem; stat livida luctu,
 Qualis erat, Phrygio tegetet cum Memnona busto.
 Quam simul agnovit Stilicho nec causa latebat, 531
 Restitit; illa manum victricem amplexa moratur
 Altaque vix lacrimans inter suspiria fatur:

‘Tantane te nostri ceperunt taedia mundi?
 Sic me ludibrium famulis risumque relinquis 535
 Dux quondam rectorque meus? solamque tueris
 Hesperiam? domiti nec te post bella tyranni
 Cernere iam licuit? Sic te victoria nobis

Eripuit Gallisque dedit? Rufinus origo
 Prima mali: geminas inter discordia partes 540
 Hoc auctore fuit. Sed iam maiora moventi
 Occurrit iusta rediens exercitus ira,
 Fortis adhuc ferrique memor. Brevis inde reluxit
 Falsaque libertas; rursum Stilichonis habenis
 Sperabam me posse regi. Pro caeca futuri 545
 Gaudia! Fraternali coniungi coeperat orbis
 Imperio (quis enim tanto terrore recentis
 Exempli paribus sese committeret ausis?),
 Cum subito (monstrosa mihi turpisque relatu
 Fabula) Rufini castratus prosilit heres, 550
 Et similes iterum luctus Fortuna reduxit,
 Vt solum domini sexum mutasse viderer.

'Hic primum thalami claustris delicta tegebat
 Clam timideque iubens; erat invidiosa potestas,
 Sed tamen eunuchi, necdum sibi publica iura 555
 Sumere nec totas audebat vertere leges.
 At postquam pulsisque bonis et faece retenta
 Peiores legit socios dignusque satelles
 Hinc Hosius stetit, inde Leo, fiducia crevit
 Regnandique palam flagravat aperta libido. 560
 Patricius, consul maculat quos vendit honores,
 Plus maculat quos ipse gerit. Iam signa tubaeque
 Mollescunt, ipsos ignavia fluxit in enses.
 Exultant merito gentes facilisque volenti
 Praeda sumus. Iam Bistoniis Haemoque nivali 565
 Vastior expulsis Oriens squalescit aratris.
 Ei mihi, quas urbes et quanto tempore Martis
 Ignaras uno rapuerunt proelia cursu!
 Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
 Terruit Antiochi muros, ipsumque decorae 570
 Paene caput Syriae flammis hostilibus arsit.
 Vtque gravis spoliis nulloque obstante profunda
 Laetus caede redit, sequitur mucrone secundo
 Continuum vulnus; nec iam mihi Caucasus hostes
 Nec mittit gelidus Phasis; nascuntur in ipso 575

Bella sinu. Legio pridem Romana Gruthungi,
 Iura quibus victis dedimus, quibus arva domusque
 Praebuimus, Lydos Asiaeque uberrima vastant
 Ignibus et si quid tempestas prima reliquit.
 Nec vi nec numero freti; sed inertia nutrit 580
 Proditioque ducum, quorum per crimina miles
 Captivis dat terga suis, quos teste subegit
 Danuvio, partemque timet qui reppulit omnes.
 'Aula choris epulisque vacat nec perdita curat,
 Dum superest aliquid. Ne quid tamen orbe reciso
 Venditor amittat, provincia quaeque superstes 586
 Dividitur geminumque duplex passura tribunal
 Cogitur alterius pretium sarcire peremptae.
 Sic mihi restituunt populos; hac arte reperta
 Rectorum numerum terris pereuntibus augent. 590
 'In te iam spes una mihi. Pro fronde Minervae
 Has, Stilicho, tendo lacrimas: succurre ruenti,
 Eripe me tandem, servilibus eripe regnis.
 Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes
 Nec nova tot meritis offensa prioribus obstet. 595
 Iamiam flecte animum. Suprema pericula semper
 Dant veniam culpa. Quamvis iratus et exul
 Pro patriae flammis non distulit arma Camillus.
 Nec te subtrahimus Latio; defensor utrique
 Sufficis. Armorum liceat splendore tuorum 600
 In commune frui; clipeus nos protegat idem
 Vnaque pro gemino desudet cardine virtus.'

592 Stilicho, tendo] *Birtius*; tibi protendo.

FESCENNINA
DE NVPTIIS HONORII AVGVSTI.

I. (XI.)

Princeps corusco sidere pulchrior,
Parthis sagittas tendere doctior,
Eques Gelonis imperiosior,
Quae digna mentis laus erit arduae?
Quae digna formae laus erit igneae? 5
Te Leda mallet quam dare Castorem;
Praefert Achilli te proprio Thetis;
Victum fatetur Delos Apollinem;
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu cum per altas impiger ilices 10
Freno citatum cornipedem reges
Ludentque ventis instabiles comae,
Telis iacebunt sponte tuis ferae
Gaudensque sacris vulneribus leo
Admittet hastam morte superbior. 15
Venus reversum spernit Adonidem,
Damnata reductum Cynthia Virbium.
Cum post labores sub platani voles
Virentis umbra vel gelido specu
Torrentiorem fallere Sirium 20
Et membra somno fessa resolveris:
O quantus uret tum Dryadas calor!
Quot aestuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oscula Naides!

11 Freno] *Heinsius*; praedo, praeda.

Quis vero acerbis horridior Scythis,	25
Quis beluarum corde furentior,	
Qui, cum micantem te prope viderit,	
Non optet ultro servitium pati,	
Qui non catenas adripiat libens	
Colloque poscat vincula libero?	30
Tu si nivalis per iuga Caucasi	
Saevas petisses pulcher Amazonas,	
Peltata pugnans desereret cohors	
Sexu recepto; patris et inmemor	
Inter frementes Hippolyte tubas	35
Strictam securim languida poneret	
Et seminudo pectore cingulum	
Forti negatum solveret Herculi,	
Bellumque solus conficeret decor.	
Beata, quae te mox faciet virum	40
Primisque sese iunget amoribus.	

 II. (XII.)

Age cuncta nuptiali	
Redimita vere tellus	
Celebra toros eriles;	
Omne nemus cum fluviis,	
Omne canat profundum.	5
Ligures favete campi,	
Veneti favete montes,	
Subitisque se rosetis	
Vestiat Alpinus apex	
Et rubeant pruinae.	10
Athesis strepat choreis	
Calamisque flexuosus	
Leve Mincius susurret	
Et Padus electriferis	
Admoduletur alnis;	15
Epulisque iam repleto	

Resonet Quirite Thybris Dominique laeta votis Aurea septemgeminas Roma coronet arces.	20
Procul audiant Hiberi, Fluit unde semen aulae, Vbi plena laurearum Imperio feta domus Vix numerat triumphos.	25
Habet hinc patrem maritus, Habet hinc puella matrem Geminaque parte ductum Caesareum flumineo Stemma recurrit ortu.	30
Decorent virecta Baetim, Tagus intumescat auro Generisque procreator Sub vitreis Oceanus Luxurietur antris.	35
Oriensque regna fratrum Simul Occidensque plaudat; Placide iocentur urbes, Quaeque novo quaeque nitent Deficiente Phoebō.	40
Aquiloniae procellae, Rabidi tacetē Cauri, Taceat sonorus Auster. Solutem ovantem Zephyrus Perdominetur annum.	45

III. (XIII.)

Solitas galea fulgere comas,
Stilicho, molli necte corona.
Cessent litui saevumque procul
Martem felix taeda releget.

Tractus ab aula rursus in aulam 5
 Redeat sanguis. Patris officii
 Iunge potenti pignora dextra.
 Gener Augusti pridem fueras,
 Nunc rursus eris socer Augusti.
 Quae iam rabies livoris erit? 10
 Vel quis dabitur color invidiae?
 Stilicho socer est, pater est Stilicho.

 IV. (XIV.)

Attollens thalamis Idalium iubar
 Dilectus Veneri nascitur Hesperus.
 Iam nuptae trepidat sollicitus pudor,
 Iam produnt lacrimas flammea simplices.
 Ne cessa, iuvenis, comminus adgredi, 5
 Impacata licet saeviat unguibus.
 Non quisquam fruitur veris odoribus
 Hyblaeos latebris nec spoliat favos,
 Si fronti caveat, si timeat rubos;
 Armat spina rosas, mella tegunt apes. 10
 Crescunt difficili gaudia iurgio
 Accenditque magis, quae refugit, Venus.
 Quod flenti tuleris, plus sapit osculum.
 Dices 'o!' quotiens, 'hoc mihi dulcius
 Quam flavos deciens vincere Sarmatas!' 15
 Adspirate novam pectoribus fidem
 Mansuramque facem tradite sensibus.
 Tam iunctis manibus nectite vincula,
 Quam frondens hедера stringitur aesculus,
 Quam lento premitur palmite populus, 20
 Et murmur querula blandius alite
 Linguis adsiduo reddite mutuis.
 Et labris animum conciliantibus
 Alternum rapiat somnus anhelitum.
 Amplexu caleat purpura regio 25

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
 Alter virgineus nobilitet cruor.
 Tum victor madido prosilias toro
 Nocturni referens vulnera proelii.

Ducant pervigiles carmina tibiae 30
 Permissisque iocis turba licentior
 Exultet tetricis libera legibus.

Passim cum ducibus ludite milites,
 Passim cum pueris ludite virgines.
 Haec vox aetheriis insonet axibus, 35
 Haec vox per populos, per mare transeat:
 'Formosus Mariam ducit Honorius'.

EPITHALAMIVM
DE NVPTIIS HONORII AVGVSTI.

PRAEFATIO.

(IX.)

Surgeret in thalamum ducto cum Pelion arcu
Nec caperet tantos hospita terra deos,
Cum socer aequoreus numerosaque turba sororum
Certarent epulis continuare dies
Praeberetque Iovi communia pocula Chiron, 5
Molliter obliqua parte refusus equi,
Peneus gelidos mutaret nectare fontes,
Oetaeis fluerent spumea vina iugis:
Terpsichore facilem lascivo pollice movit
Barbiton et molles duxit in antra choros. 10
Carmina nec superis nec displicuere Tonanti,
Cum teneris nossent congrua vota modis.
Centauri Faunique negant. Quae flectere Rhoeton,
Quae rigidum poterant plectra movere Pholum?

Septima lux aderat caelo totiensque renato 15
Viderat exactos Hesperus igne choros:
Tum Phoebus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine temptavit nobiliore lyram
Venturumque sacris fidibus iam spondet Achillem,
Iam Phrygias caedes, iam Simoenta canit. 20
Fronroso strepuit felix Hymenaeus Olympo;
Reginam resonant Othrys et Ossa Thetim.

EPITHALAMIVM.

(X.)

Hauserat insolitos promissae virginis ignes
 Augustus primoque rudis flagraverat aestu;
 Nec novus unde calor nec quid suspiria vellent,
 Noverat incipiens et adhuc ignarus amandi.
 Non illi venator equus, non spicula curae, 5
 Non iaculum torquere libet; mens omnis aberrat
 In vulnus, quod fixit Amor. Quam saepe medullis
 Erupit gemitus! quotiens incanduit ore
 Confessus secreta rubor nomenque beatum
 Iniussae scripsere manus! Iam munera nuptae 10
 Praeparat et pulchros, Mariae sed luce minores
 Eligit ornatus, quidquid venerabilis olim
 Livia divorumque nurus gessere superbae.
 Incusat spes aegra moras longique videntur
 Stare dies segnemque rotam non flectere Phoebe. 15
 Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem
 Fraudis adhuc experts bellatricesque docebat
 Ducere fila manus et, mox quos horruit Ide,
 Thessalicos roseo nectebat pollice crines.
 Haec etiam queritur secum: 'Quonam usque verendus
 Cunctatur mea vota socer? quid iungere differt, 21
 Quam pepigit, castasque preces implere recusat?
 Non ego luxuriam regum moremque secutus
 Quaesivi vultum thalamis, ut nuntia formae
 Lena per innumeros iret pictura penates, 25
 Nec variis dubium thalamis laturus amorem
 Ardua commisi falsae conubia cerae.
 Non rapio praeceps alienae foedera taedae,
 Sed quae sponsa mihi pridem patrisque relicta
 Mandatis uno materni sanguinis ortu 30
 Communem partitur avum. Fastidia supplex
 Deposui gessique procum; de limine sacro
 Oratum misi proceres, qui proxima nobis

Iura tenent. Fateor, Stilicho, non parva poposci,
 Sed certe mereor princeps hoc principe natus, 35
 Qui sibi te generum fraterna prole revinxit,
 Cui Mariam debes. Faenus mihi solve paternum,
 Redde suos aulae. Mater fortasse rogari
 Mollior. O patruī germen, cui nominis heres
 Successi, sublime decus torrentis Hiberi, 40
 Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans
 Inque tuo crevi gremio, partuque remoto
 Tu potius Flaccilla mihi. Quid dividis ergo
 Pignora? quid iuveni natam non reddis alumno?
 Optatusne dies aderit? dabiturne iugalis 45
 Nox umquam?

Tali solatur vulnera questu.

Risit Amor placidaeque volat trans aequora matri
 Nuntius et totas iactantior explicat alas.

Mons latus Ionium Cypri praeruptus obumbrat,
 Inuius humano gressu, Phariumque cubile 50
 Proteos et septem despectat cornua Nili.
 Hunc venti pulsare timent, hunc laedere nimbi, 53
 Hunc neque candentes audent vestire pruinae. 52
 Luxuriae Venerique vacat. Pars acrior anni
 Exulat; aeterni patet indulgentia veris. 55
 In campum se fundit apex; hunc aurea saepes
 Circuit et fulvo defendit prata metallo.
 Mulciber, ut perhibent, his oscula coniugis emit
 Moenibus et tales uxorius obtulit arces.
 Intus rura micant, manibus quae subdita nullis 60
 Perpetuum florent, Zephyro contenta colono,
 Vmbrosumque nemus, quo non admittitur ales,
 Ni probet ante suos diva sub iudice cantus:
 Quae placuit, fruitur ramis; quae victa, recedit.
 Vivunt in Venerem frondes omnisque vicissim 65
 Felix arbor amat; nutant ad mutua palmae
 Foedera, populeo suspirat populus ictu

Et platani platanis alnoque adsibilat alnus.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter, et infusis corrumpunt mella venenis, 70

Vnde Cupidineas armari fama sagittas.

Mille pharetrati ludunt in margine fratres,

Ore pares, aevo similes, gens mollis Amorum.

Hos Nymphae pariunt, illum Venus aurea solum

Edidit. Ille deos caelumque et sidera cornu 75

Temperat et summos dignatur figere reges;

Hi plebem feriunt. Nec cetera numina desunt:

Hic habitat nullo constricta Licentia nodo

Et flecti faciles Irae vinoque madentes

Excubiae Lacrimaeque rudes et gratus amantum 80

Pallor et in primis titubans Audacia furtis

Iucundique Metus et non segura Voluptas;

Et lasciva volant levibus Periuria ventis.

Quos inter petulans alta cervice Iuventas

Excludit Senium luco. 85

Procul atria divae

Permutant radios silvae obstante virescunt.

Lemnius haec etiam gemmis extruxit et auro

Admiscens artem pretio trabibusque smaragdi

Supposuit caesas hyacinthi rupe columnas.

Beryllo paries et iaspide lubrica surgunt 90

Limina despectusque solo calcatur achates.

In medio glaebis redolentibus area dives

Praebet odoratas messes; hic mitis amomi,

Hic casiae matura seges, Panchaeaque turgent

Cinnama, nec sicco frondescunt vimina costo 95

Tardaue sudanti prorepunt balsama rivo.

Quo postquam delapsus Amor longasque peregit

Penna vias, alacer passuque superbius intrat.

Caesariem tunc forte Venus subnixta corusco

Fingebat solio. Dextra laevaue sorores 100

Stabant Idaliae: largos haec nectaris imbres

Inrigat, haec morsu numerosi dentis eburno

Multifidum discrimen arat; sed tertia retro

Dat varios nexus et iusto dividit orbes
 Ordine, neglectam partem studiosa relinquens: 105
 Plus error decuit. Speculi nec vultus egebat
 Iudicio; similis tecto monstratur in omni
 Et rapitur, quocumque videt, dum singula cernit,
 Seque probat. Nati venientis conspicit umbram
 Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem 110
 'Quid tantum gavisus?' ait; 'quae proelia sudas
 Improbe? quis iacuit telis? Iterumne Tonantem
 Inter Sidonias cogis mugire iuencas?
 An Titana domas? an pastoralia Lunam
 Rursus in antra vocas? Durum magnumque videris
 Debellasse deum'. 116

Suspensus in oscula matris
 Ille refert: 'Laetare, parens; inmane tropaeum
 Rettulimus, nostrum iam sensit Honorius arcum.
 Scis Mariam patremque ducem, qui cuspide Gallos
 Italiamque fovet, nec te praeclara Serenae 120
 Fama latet. Propera; regalibus adnue votis:
 Iunge toros.'

Gremio natum Cytherea removit
 Et crines festina ligat peplumque fluentem
 Adlevat et blando spirantem numine ceston
 Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes, 125
 Quo mare, quo ventos irataque fulmina solvit.
 Vt stetit ad litus, parvos adfatur alumnos:

'Heus! quis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas
 Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
 Deferar? Haud unquam tanto mihi venerit usu. 130
 Sacri, quos petimus, thalami. Pernicius omnes
 Quaerite, seu concha Libycum circumsonat aequor,
 Aegaeas seu frangit aquas. Quicumque repertum
 Duxerit, aurata donabitur ille pharetra.'

Dixerat et sparsa diversi plebe feruntur 135

135 sparsa diversi] *ex cod. Vat. Livinei*; sparsi diversa,
 sparsi divisa, pars adversi de.

Exploratores pelagi. Sub fluctibus ibat
 Carpathiis Triton obluctantemque petebat
 Cymothoen. Timet illa ferum seseque sequenti
 Subripit et duris elabitur uda lacertis.
 'Heus', inquit speculatus Amor, 'non vestra sub imis
 Furta tegi potuere vadis. Accingere nostram 141
 Vecturus dominam: pretium non vile laboris
 Cymothoen facilem, quae nunc detrectat, habebis.
 Hac mercede veni.'

Prorupit gurgite torvus
 Semifer; undosi verrebant brachia crines; 145
 Hispida tendebant bifido vestigia cornu,
 Qua pistrix commissa viro. Ter pectora movit;
 Iam quarto Paphias tractu sulcabat harenas.
 Umbratura deam retro sinuatur in arcum
 Belua; tum vivo squalentia murice terga 150
 Purpureis mollita toris: hoc navigat antro
 Fulta Venus; niveae delibant aequora plantae.
 Prosequitur volucer late comitatus Amorum
 Tranquillumque choris quatitur mare. Serta per omnem
 Neptuni dispersa domum Cadmeia ludit 155
 Leucothoe, frenatque rosis delphina Palaemon;
 Alternas violis Nereus interserit algas;
 Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
 Nec non et variis vectae Nereides ibant
 Audito rumore feris (hanc pisce voluto 160
 Sublevat Oceani monstrum Tartesia tigris;
 Hanc timor Aegaei rupturus fronte carinas
 Trux aries; haec caeruleae suspensa leaenae
 Innatat; haec viridem trahitur complexa iuvenum)
 Certatimque novis onerant conubia donis. 165
 Cingula Cymothoe, rarum Galatea monile
 Et gravibus Psamathe bacis diadema ferebat
 Intextum, Rubro quas legerat ipsa profundo.
 Mergit se subito vellitque corallia Doto:

167 Psamathe] *Birtius*; spatale, pigmea.

Vimen erat dum stagna subit; processerat undis: 170
Gemma fuit.

Nudae Venerem cinxere catervae
Plaudentesque simul tali cum voce sequuntur:
'Hos Mariae cultus, haec munera nostra precamur
Reginae regina feras. Dic talia numquam
Promeruisse Thetim nec cum soror Amphitrite 175
Nostro nupta Iovi. Devotum sentiat aequor,
Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.
Victrices nos saepe rates classemque paternam
Veximus, attritis cum tenderet ultor Achivis.'

Iam Ligurum terris spumantia pectora Triton 180
Adpulerat lassosque fretis extenderat orbis.
Continuo sublime volans ad moenia Gallis
Condita, lanigeri suis ostentantia pellem,
Pervenit. Adventu Veneris pulsata recedunt
Nubila, clarescunt puris Aquilonibus Alpes. 185
Laetitiae causas ignorat dicere miles
Laetaturque tamen; Mavortia signa rubescunt
Floribus et subitis animantur frondibus hastae.
Illa suum dictis adfatur talibus agmen:

'Gradivum, nostri comites, arcete parumper, 190
Vt soli vacet aula mihi. Procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces.
Stent bellatrices aquilae saevique dracones;
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
Tibia pro lituis et pro clangore tubarum 195
Molle lyrae festumque canant. Epulentur ad ipsas
Excubias; mediis spirent crateres in armis.
Laxet terribiles maiestas regia fastus
Et sociam plebem non indignata potestas
Confundat turbae proceres. Solvantur habenis 200
Gaudia nec leges pudeat ridere severas.

'Tu festas, Hymenaeae, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.
Vos, pennata cohors, quocumque vocaverit usus,
Divisa properate manu, neu marceat ulla 205

Segnities: alii funalibus ordine ductis
 Plurima venturae suspendite lumina nocti;
 Hi nostra nitidos postes obducere myrto
 Contendant; pars nectareis adspergite tecta
 Fontibus et flamma lucos adolete Sabaeos; 210
 Pars infecta croco velamina lutea Serum
 Pandite Sidoniasque solo prosternite vestes.
 Ast alii thalamum docto componite textu;
 Stamine gemmato picturatisque columnis
 Aedificetur apex, qualem non Lydia dives 215
 Erexit Pelopi nec quem struxere Lyaeo
 Indorum spoliis et opaco palmite Bacchae.
 Illic exuvias omnes cumulate parentum:
 Quidquid avus senior Mauro vel Saxone victis,
 Quidquid ab innumeris socio Stilichone tremendus 220
 Quaesivit genitor bellis, quodcumque Gelonus
 Armeniusve dedit; quantum crinita sagittis
 Attulit extremo Meroe circumflua Nilo;
 Misit Achaemenio quidquid de Tigride Medus,
 Cum supplex emeret Romanam Parthia pacem. 225
 Nobilibus gazis opibusque cubilia surgant
 Barbaricis; omnes thalamo conferte triumphos.⁷
 Sic ait et sponsae petit improvisa penates.
 Illa autem secura tori taedasque parari
 Nescia divinae fruitur sermone parentis 230
 Maternosque bibit mores exemplaue discit
 Prisca pudicitiae Latios nec volvere libros
 Desinit aut Graios, ipsa genetrice magistra,
 Maeonius quaecumque senex aut Thracius Orpheus
 Aut Mytilenaeo modulatur pectine Sappho 235
 (Sic Triviam Latona monet; sic mitis in antro
 Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae):
 Cum procul augeri nitor et iucundior aer
 Attonitam lustrare domum fundique comarum
 Gratus odor. Mox vera fides numenque refulsit. 240
 Cunctatur stupefacta Venus; nunc ora puellae,
 Nunc flavam niveo miratur vertice matrem.

Haec modo crescenti, plenae par altera lunae:
 Adsurgit ceu forte minor sub matre virenti
 Laurus et ingentes ramos olimque futuras 245
 Promittit iam parva comas; vel flore sub uno
 Ceu geminae Paestana rosae per iugera regnant:
 Haec largo matura die saturataque vernis
 Roribus indulget spatio; latet altera nodo
 Nec teneris audet foliis admittere soles. 250

Adstitit et blande Mariam Cytherea salutat:
 'Salve sidereae proles augusta Serenae,
 Magnorum suboles regum parituraque reges.
 Te propter Paphias sedes Cyprumque reliqui,
 Te propter libuit tantos explere labores 255
 Et tantum transnare maris, ne vilior ultra
 Privatos paterere lares neu tempore longo
 Dilatos iuvenis nutriret Honorius ignes.

Accipe fortunam generis, diadema resume,
 Quod tribuas natis, et in haec penetralia rursus, 260
 Vnde parens progressa, redi. Fac nulla subesse
 Vincula cognatae: quamvis aliena fuisses
 Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.
 Quae propior sceptris facies? qui dignior aula 264
 Vultus erit? Non labra rosae, non colla pruinae,
 Non crines aequant violae, non lumina flammae.

Quam iuncti leviter sese discrimine confert
 Vmbra supercilii! miscet quam iusta pudorem
 Temperies nimio nec sanguine candor abundat!
 Aurorae vincis digitos umerosque Dianae; 270

Ipsam iam superas matrem. Si Bacchus amator
 Dotali potuit caelum signare corona,
 Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?
 Iam tibi molitur stellantia sarta Bootes
 Inque decus Mariae iam sidera parturit aether. 275

O digno nectenda viro tantique per orbem
 Consors imperii! iam te venerabitur Hister;
 Nomen adorabunt populi; iam Rhenus et Albis
 Serviet; in medios tibi regina Sygambros.

Quid numerem gentes Atlanteosque recessus 280
 Oceani? toto pariter donabere mundo.'

Dixit et ornatus, dederant quos nuper ovantes
 Nereides, collo membrisque micantibus aptat.
 Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus;
 Flammea virgineis accommodat ipsa capillis. 285

Ante fores iam pompa sonat, pilentaque sacra
 Praeradiant ductura nurum. Calet obvius ire
 Iam princeps tardumque cupit discedere solem:
 Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
 Sollicitavit odor, tumidus quatiensque decoras 290
 Curvata cervice iubas Pharsalia rura

Pervolat et notos hinnitu flagitat amnes
 Naribus accensis; mulcet fecunda magistros
 Spes gregis et pulchro gaudent armenta marito.

Candidus interea positis exercitus armis 295
 Exultat socerum circa; nec signifer ullus
 Nec miles pluviae flores dispergere ritu
 Cessat purpureoque ducem perfundere nimbo.
 Haec quoque velati lauro myrtoque canebant:

'Dive parens, seu te complectitur axis Olympi,
 Seu premis Elysias animarum praemia valles, 301
 En promissa tibi Stilicho iam vota peregit;
 Iam gratae rediere vices; cunabula pensat;
 Acceptum reddit thalamum natoque reponit,
 Quod dederat genitor. Numquam te, sancte, pigebit
 Iudicii nec te pietas suprema fefellit. 306

Dignus cui leges, dignus cui pignora tanti
 Principis et rerum commendarentur habenae.
 Dicere possemus, quae proelia gesta sub Haemo
 Quaeque cruentarint fumantem Strymona pugnae, 310
 Quam notus clipeo, quanta vi fulminet hostem,
 Ni prohiberet Hymen. Quae tempestiva relatu,
 Nunc canimus. Quis consilio, quis iuris et aequi
 Nosse modum melior? Quod semper dissilit, in te
 Convenit, ingenio robur, prudentia forti. 315
 Fronte quis aequali? quem sic Romana decerent

Culmina? sufficerent tantis quae pectora curis?
 Stes licet in populo, clamet quicumque videbit:
 Hic est, hic Stilicho! Sic se testatur et offert
 Celsa potestatis species, non voce feroci, 320
 Non alto simulata gradu, non improba gestu.
 Adfectant alii quidquid fingique laborant,
 Hoc donat natura tibi. Pudor emicat una
 Formosusque rigor vultusque auctura verendos-
 Canities festina venit. Cum sorte remota 325
 Contingat senio gravitas viresque iuventae,
 Vtraque te cingit propriis insignibus aetas.
 Ornatur Fortuna viro. Non ulla nocendi
 Tela nec infecti iugulis civilibus enses.
 Non odium terrore moves nec frena resolvit 330
 Gratia; diligimus pariter pariterque timemus.
 Ipse metus te noster amat, iustissime legum
 Arbiter, egregiae pacis fidissime custos,
 Optime ductorum, fortunatissime patrum.
 Plus iam, plus domino cuncti debere fatemur, 335
 Quod gener est, invicte, tuus. Vincire corona;
 Insere te nostris contempto iure choreis.
 Sic puer Eucherius superet virtute parentem;
 Aurea sic videat similes Thermantia taedas;
 Sic uterus crescat Mariae; sic natus in ostro 340
 Parvus Honoriades genibus considat avitis.'

PANEGYRICVS
DE TERTIO CONSVLATV HONORII AVGVSTI.

PRAEFATIO.

(VI.)

Parvos non aquilis fas est educere fetus
Ante fidem solis iudiciumque poli.
Nam pater, e scisso saluit cum tegmine proles
Ovaque maternus rupit hiulca tepor,
Protinus implumes convertit ad aethera nidos 5
Et recto flammam imperat ore pati.
Consultit ardentem radios et luce magistra
Natorum vires ingeniumque probat.
Degenerem refugo torsit qui lumine visum,
Vnguibus hunc saevis ira paterna ferit. 10
Exploratores oculis qui pertulit ignes
Sustinuitque acie nobiliore diem,
Nutritur volucrumque potens et fulminis heres,
Gesturus summo tela trisulca Iovi.
Me quoque Pieriis temptatum saepius antris 15
Audet magna suo mittere Roma deo.
Iam dominas aures, iam regia tecta meremur
Et chelys Augusto iudice nostra sonat.

3 e scisso] *scripsi*; excusso.

PANEGYRICVS.

(VII.)

Tertia Romulei sumant exordia fascēs
 Terque tuas ducat bellatrix pompa curules;
 Festior annus eat cinctusque imitata Gabinos
 Dives Hydaspeis augetur purpura gemmis;
 Succedant armis trabeae, tentoria lictor 5
 Ambiat et Latiae redeant ad signa secures,
 Tuque o qui patrium curis aequalibus orbem
 Eoo cum fratre regis, procede secundis
 Alitibus Phoebique novos ordire meatus,
 Spes votumque poli, quem primo a limine vitae 10
 Nutrix aula fovet, strictis quem fulgida telis
 Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
 Ardua privatos nescit Fortuna penates
 Et regnum cum luce dedit. Cognata potestas
 Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro 15
 Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
 Miles et in mediis cunabula praebuit hastis.
 Te nascente ferox toto Germania Rheno
 Intremuit movitque suas formidine silvas
 Caucasus et positis numen confessa pharetris 20
 Ignavas Meroe traxit de crine sagittas.
 Reptasti per scuta puer, regumque recentes
 Exuviae tibi ludus erant, primusque solebas
 Aspera complecti torvum post proelia patrem,
 Signa triumphato quotiens flexisset ab Histro 25
 Arctoa de strage calens, et poscere partem
 De spoliis, Scythicos arcus aut rapta Gelonis
 Cingula vel iaculum Daci vel frena Suebi.
 Ille coruscanti clipeo te saepe volentem
 Sustulit adridens et pectore pressit anhelō 30
 Intrepidum ferri galeae nec triste timentem
 Fulgur et ad summas tendentem brachia cristas.
 Tum sic laetus ait: 'Rex o stellantis Olympi,

Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
 Hyrcanas populatus opes aut caede superbus 35
 Assyria, sic ense rubens, sic flamine crebro
 Turbidus et grato respersus pulvere belli,
 Armaque gavisio referat captiva parenti.'

Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,
 Non tibi desidias molles nec marcida luxu 40
 Otia nec somnos genitor permisit inertes,
 Sed nova per duros instruxit membra labores
 Et cruda teneras exercuit indole vires:

Frigora saeva pati, gravibus non cedere nimbis,
 Aestivum tolerare iubar, transnare sonoras 45

Torrentum furias, ascensu vincere montes,
 Planitiem cursu, valles et concava saltu,
 Nec non in clipeo vigiles producere noctes,
 In galea potare nives, nunc spicula cornu
 Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda. 50

Quoque magis nimium pugnae inflammaret amorem,
 Facta tui numerabat avi, quem litus adustae
 Horrescit Libyae ratibusque impervia Thyle:
 Ille leves Mauros nec falso nomine Pictos
 Edomuit Scottumque vago mucrone secutus 55

Fregit Hyperboreas remis audacibus undas
 Et geminis fulgens utroque sub axe tropaeis
 Tethyos alternae refluas calcavit harenas.

Hos tibi virtutum stimulos, haec semina laudum,
 Haec exempla dabat. Non ocius hausit Achilles 60
 Semiferi praecepta senis, seu cupidis artes
 Sive lyrae cantus medicas seu disceret herbas.

Interea turbata fides. Civilia rursus
 Bella tonant dubiumque quatit discordia mundum.
 Pro crimen superum, longi pro dedecus aevi: 65
 Barbarus Hesperias exul possederat urbes
 Sceptraque deiecto dederat Romana clienti.

Iam princeps molitur iter gentesque remotas
 Colligit Aurorae, tumidus quascumque pererrat 69
 Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes;

Turiferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.

Quae tibi tum Martis rabies quantusque sequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto
Optatas audire tubas campique cruenta 75
Tempestate frui truncisque inmergere plantas?
Vt leo, quem fulvae matris spelunca tegebat
Vberibus solitum pasci, cum crescere sensit
Vngue pedes et terga iubis et dentibus ora,
Iam negat imbelles epulas et rupe relicta 80
Gaetulo comes ire patri stabulisque minari
Aestuat et celsi tabo sordere iuveni.
Ille vetat rerumque tibi commendat habenas
Et sacro meritos ornat diademate crines.
Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis, 85
Sic aetas animo cessit, quererentur ut omnes
Imperium tibi sero datum.

Victoria velox

Auspiciis effecta tuis. Pugnastis uterque:
Tu fatis genitorque manu. Te propter et Alpes
Invadi faciles cauto nec profuit hosti 90
Munitis haesisse locis: spes inrita valli
Concidit et scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies revolutaque tela
Vertit in auctores et turbine reppulit hastas. 95
O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti.
Alpinae rubuere nives, et Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis turbaque cadentum 100
Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.

At ferus inventor scelerum traiecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Esis, et ultrices in se converterat iras
Tandem iusta manus. Iam libertate reducta, 105
Quamvis emeritum peteret natura reverti

Numen et auratas astrorum panderet arces
 Nutaretque oneris venturi conscius Atlas,
 Distulit Augustus cupido se credere caelo,
 Dum tibi pacatum praesenti traderet orbem. 110
 Nec mora: Bistoniis alacer consurgis ab oris,
 Inter barbaricas ausus transire cohortes
 Impavido vultu; linqvis Rhodopeia saxa
 Orpheis animata modis; iuga deseris Oetes
 Herculeo damnata rogo; post Pelion intras 115
 Nereis inlustre toris; te pulcher Enipeus
 Celsaque Dodone stupuit rursusque locutae
 In te Chaoniae moverunt carmina quercus.
 Illyrici legitur plaga litoris; arva teruntur
 Dalmatiae; Phrygii numerantur stagna Timavi. 120
 Gaudent Italiae sublimibus oppida muris
 Adventu sacrata tuo, summissus adorat
 Eridanus blandosque iubet mitescere fluctus
 Et Phaethontes solitae deflere ruinas
 Roscida frondosae revocant electra sorores. 125
 Quanti tum iuvenes, quantaespreverepudorem
 Spectandi studio matres, puerisque severi
 Certavere senes, cum tu genitoris amico
 Exceptus gremio mediam veherere per urbem
 Velaretque pios communis laurea currus! 130
 Quis non Luciferum roseo cum Sole videri
 Credidit aut iunctum Bromio radiare Tonantem?
 Floret cristatis exercitus undique turmis,
 Quisque sua te voce canens. Praestringit aena
 Lux oculos, nudique seges Mavortia ferri 135
 Ingeminat splendore diem. Pars nobilis arcu,
 Pars longe iaculis, pars comminus horrida contis;
 Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
 Colla levant, multusque tumet per nubila serpens
 Iratus stimulante Noto vivitque receptis 140
 Flatibus et vario mentitur sibila tractu.
 Vt ventum ad sedes, cunctos discedere tectis
 Dux iubet et generum compellat talibus ultro:

'Bellipotens Stilicho, cuius mihi robur in armis,
 Pace probata fides: quid enim per proelia gessi 145
 Te sine? quem merui te non sudante triumphum?
 Odrysium pariter Getico foedavimus Hebrum
 Sanguine, Sarmaticas pariter prostravimus alas
 Riphæaeque simul fessos porreximus artus
 In glacie stantemque rota sulcavimus Histrum: 150
 Ergo age, me quoniam caelestis regia poscit,
 Tu curis succede meis, tu pignora solus
 Nostra fove: geminos dextra tu protege fratres.
 Per consanguineos thalamos noctemque beatam,
 Per taedas, quas ipsa tuo regina levavit 155
 Coniugio socrusque nurum produxit ab aula,
 Indue mente patrem, crescentes dilige fetus
 Vt ducis, ut soceri. Iamiam securus ad astra
 Te custode ferar; rupta si mole Typhoeus
 Prosiliat, vinclis Tityos si membra resolvat, 160
 Si furor Enceladi proiecta mugiat Aetna,
 Opposito Stilichone cadent.'

Nec plura locutus,

Sicut erat, liquido signavit tramite nubes
 Ingrediturque globum Lunae limenque relinquit
 Arcados et Veneris clementes advolat auras. 165
 Hinc Phoebi permensus iter flammamque nocentem
 Gradivi placidumque Iovem; stetit arce suprema,
 Argenti qua zona riget Saturnia tractu.
 Machina laxatur caeli rutilaeque patescunt
 Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes, 170
 Australes reserat portas succinctus Orion
 Invitantque novum sidus pendentque vicissim,
 Quas partes velit ipse sequi, quibus esse sodalis
 Dignetur stellis aut qua regione morari.
 O decus aetherium, terrarum gloria quondam, 175
 Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
 Excipit et notis Hispania proluit undis.

Fortunate parens, primos cum detegis ortus,
 Adspicis Arcadium; cum te proclivior urges,
 Occiduum visus remoratur Honorius ignem; 180
 Et quocumque vagos flectas sub cardine cursus,
 Natorum per regna venis, qui mente serena
 Maturoque regunt iunctas moderamine gentes,
 Saecula qui rursus formant meliore metallo.
 Luget Avarities Stygiis innexa catenis 185
 Cumque suo demens expellitur Ambitus auro.
 Non dominantur opes nec corrumpentia sensus
 Dona valent: emitur sola virtute potestas.
 Vnanimi fratres, quorum mare terraque fatis
 Debetur, quodcumque manus evasit avitas, 190
 Quod superest patri: vobis iam Mulciber arma
 Praeparat et Sicula Cyclops incude laborat,
 Brontes innumeris exasperat aegida signis,
 Altum fulminea crispare in casside conum
 Festinat Steropes, nectit thoraca Pyragmon 195
 Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.
 Vobis Ionia virides Neptunus in alga
 Nutrit equos, qui summa freti per caerula possint
 Ferre viam segetemque levi percurrere motu,
 Nesciat ut spumas nec proterat ungula culmos. 200
 Iam video Babylona rapi Parthumque coactum
 Non ficta trepidare fuga, iam Bactra teneri
 Legibus et famulis Gangen pallescere ripis
 Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus.
 Ite per extremum Tanaim pigrosque Triones, 205
 Ite per ardentem Libyam, superate vapores
 Solis et arcanos Nili deprendite fontes,
 Herculeum finem, Bacchi transcurrите metas:
 Vestri iuris erit, quidquid complectitur axis.
 Vobis Rubra dabunt pretiosas aequora conchas, 210
 Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

PANEGYRICVS

DE QVARTO CONSVLATV HONORII AVGVSTI.

(VIII.)

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit et nota fruitur iactantior aula,
Limina nec passi circum privata morari
Exultant reduces Augusto consule fasces.
Cernis ut armorum proceres legumque potentes 5
Patricios sumunt habitus et more Gabino
Discolor incedit legio positisque parumper
Bellorum signis sequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilae ridetque togatus
Miles et in mediis effulget curia castris. 10
Ipsa Palatino circumvallata senatu
Iam trabeam Bellona gerit parmamque removit
Et galeam sacras umeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures
Pacata gestare manu Latiaque micantem 15
Loricam mutare toga, dum ferreus haeret
Currus et Eridani ludunt per prata iugales.
Haud indigna coli nec nuper cognita Marti
Vl pia progenies et quae diademata mundo
Sparsit Hibera domus. Nec tantam vilior unda 20
Promeruit gentis seriem: cunabula fovit
Oceanus; terrae dominos pelagique futuros
Inmenso decuit rerum de principe nasci.
Hinc processit avus, cui post Arctoa frementi
Classica Massylas adnexuit Africa laurus, 25
Ille, Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medios Libyae sub casside pertulit aestus,

Terribilis Mauro debellatorque Britanni
 Litoris ac pariter Boreae vastator et Austri.
 Quid rigor aeternus, caeli quid frigora prosunt 30
 Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso
 Orcades; incaluit Pictorum sanguine Thyle;
 Scottorum cumulos flevit glacialis Hiverne.
 Quid calor obsistit forti? per vasta cucurrit
 Aethiopum cinxitque novis Atlanta maniplis, 35
 Virgineum Tritona bibit sparsosque venenis
 Gorgoneos vidit thalamos et vile virentes
 Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
 Arx incensa Iubae, rabies Maurusia ferro
 Cessit et antiqui penetralia diruta Bocchi. 40
 Sed laudes genitor longe transgressus avitas
 Subdidit Oceanum sceptris et margine caeli
 Clausit opes, quantum distant a Tigride Gades,
 Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt:
 Haec tamen, innumeris per se quaesita tropaeis, 45
 Non generis dono, non ambitione potitus.
 Digna legi virtus. Ultro se purpura supplex
 Obtulit et solus meruit regnare rogatus.
 Nam cum barbaries penitus commota gementem
 Inrueret Rhodopen et mixto turbine gentes 50
 Iam deserta suas in nos transfunderet Arctos,
 Danuvii totae vomerent cum proelia ripae,
 Cum Geticis ingens premeretur Mysia plaustis
 Flavaque Bistonios operirent agmina campos,
 Omnibus adfflictis et vel labentibus ictu 55
 Vel prope casuris: unus tot funera contra
 Restitit extinxitque faces agrisque colonos
 Reddidit et leti rapuit de faucibus urbes.
 Nulla relictata foret Romani nominis umbra,
 Ni pater ille tuus iamiam ruitura subisset 60
 Pondera turbatamque ratem certaue levasset
 Naufragium commune manu: velut ordine rupto
 Cum procul insanae traherent Phaethonta quadrigae
 Saeviretque dies terramque et stagna propinqui

Haurirent radii, solito cum murmure torvis 65
 Sol occurrit equis; qui postquam rursus eriles
 Agnovere sonos, rediit meliore magistro
 Machina concentusque poli, currusque recepit
 Imperium flammaeque modum.
 Sic traditus illi
 Servatusque Oriens. At non pars altera rerum 70
 Tradita: bis possessa manu, bis parta periclis.
 Per varium gemini scelus erupere tyranni
 Tractibus occiduis: hunc saeva Britannia fudit;
 Hunc sibi Germanus famulum delegerat exul:
 Ausus uterque nefas, domini respersus uterque 75
 Insontis iugulo. Novitas audere priori
 Suadebat cautumque dabant exempla sequentem.
 Hic nova moliri praeceps, hic quaerere tuta
 Providus; hic fuis, collectis viribus ille;
 Hic vagus excurrens, hic intra claustra reductus. 80
 Dissimiles, sed morte pares. Evadere neutri
 Dedecus aut mixtis licuit procumbere telis.
 Amissa specie, raptis insignibus ambo
 In vultus rediere suos manibusque revinctis
 Oblati gladiis summittunt colla paratis 85
 Et vitam veniamque rogant. Pro damna pudoris!
 Qui modo tam densas nutu movere cohortes,
 In quos iam dubius sese libraverat orbis,
 Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes;
 Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos. 90
 Amborum periere duces: hic sponte carina
 Decidit in fluctus, illum suus abstulit ensis;
 Hunc Alpes, hunc pontus habet. Solacia caesis
 Fratribus haec ultor tribuit: necis auctor uterque
 Labitur; Augustas par victima mitigat umbras. 95
 Has dedit inferias tumulis, iuvenumque duorum
 Purpureos merito placavit sanguine manes.
 Illi iustitiam confirmavere triumpho,
 Praesentes docuere deos. Hinc saecula discant
 Indomitum nihil esse pio tutumve nocenti: 100

Nuntius ipse sui longas incognitus egit
 Praevento rumore vias, inopinus utrumque
 Perculit et clausos montes, ut plana, reliquit.
 Extruite inmanes scopulos, attollite turres,
 Cingite vos fluviis, vastas opponite silvas, 105
 Garganum Alpini Appenninumque nivalem
 Permixtis sociate iugis et rupibus Haemum
 Addite Caucasiis, involvite Pelion Ossae:
 Non dabitur murum sceleri. Qui vindicet, ibit.
 Omnia subsident meliori pervia causae. 110

Nec tamen oblitus civem cedentibus atrox
 Partibus infremuit; non insultare iacenti
 Malebat: mitis precibus, pietatis abundans,
 Poenae parcus erat; paci non intulit iram;
 Post acies odiis idem qui terminus armis. 115
 Profuit hoc vincente capi, multosque subactos
 Aspera laturae commendavere catenae.
 Magnarum largitor opum, largitor honorum
 Pronus et in melius gaudens convertere fata.
 Hinc amor, hinc validum devoto milite robur. 120
 Hinc natis mansura fides.

Hoc nobilis ortu

Nasceris aequaeva cum maiestate creatus
 Nullaque privatae passus contagia sortis.
 Omnibus acceptis ultro te regia solum
 Protulit et patrio felix adolescens in ostro, 125
 Membraque vestitu numquam violata profano
 In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
 Auriferis eduxit aquis, te gaudet alumno
 Bosphorus. Hesperio de limine surgit origo,
 Sed nutrix Aurora tibi; pro pignore tanto 130
 Certatur, geminus civem te vindicat axis.
 Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas,
 Haesit Apollineo Delos Latonia partu
 Cretaque se iactat tenero reptata Tonanti;
 Sed melior Delo, Dictaeis clarior oris 135
 Quae dedit hoc numen regio; non litora nostro

Sufficerent angusta deo. Nec inhospita Cynthi
 Saxa tuos artus duro laesere cubili:
 Adclinis genetrix auro, circumflua gemmis
 In Tyrios enixa toros; ululata verendis 140
 Aula puerperiis. Quae tunc documenta futuri?
 Quae voces avium? quanti per inane volatus?
 Qui vatum discursus erat? Tibi corniger Hammon
 Et dudum taciti rupere silentia Delphi,
 Te Persae cecinere magi, te sensit Etruscus 145
 Augur et inspectis Babylonius horruit astris,
 Chaldaei stupuere senes Cumanaque rursus
 Intonuit rupes, rabidae delubra Sibyllae.
 Nec te progenitum Cybeleius aere sonoro
 Lustravit Corybas: exercitus undique fulgens 150
 Adstitit; ambitur signis augustior infans,
 Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
 Vagitum lituus.

Vitam tibi contulit idem
 Imperiumque dies; inter cunabula consul
 Proveheris, signas posito modo nomine fastos 155
 Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.
 Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu
 Mater et ad primas docuit reptare curules.
 Vberibus sanctis immortalique dearum
 Crescis adoratus gremio: tibi saepe Diana 160
 Maenaliis arcus venatricesque pharetras
 Suspendit, puerile decus; tu saepe Minervae
 Lusisti clipeo fulvamque impune pererrans
 Aegida tractasti blandos interritus angues;
 Saepe tuas etiam iam tum gaudente marito 165
 Velavit regina comas festinaque voti
 Praesumptum diadema dedit, tum lenibus ulnis
 Sustulit et magno porrexit ad oscula patri.
 Nec dilatus honos: mutatur principe Caesar;
 Protinus aequaris fratri. 170

Non certius umquam
 Hortati superi, nullis praesentior aether

Adfuit ominibus. Tenebris involverat atra
 Lumen hiems densosque Notus collegerat imbres.
 Sed mox, cum solita miles te voce levasset,
 Nubila dissolvit Phoebus pariterque dabantur 175
 Sceptra tibi mundoque dies: caligine liber
 Bosphorus adversam patitur Calchedona cerni.
 Nec tantum vicina nitent, sed tota repulsis
 Nubibus exiit Thrace, Pangaea reident
 Insuetosque palus radios Maeotia vibrat. 180
 Nec Boreas nimbos aut sol ardentior egit:
 Imperii lux illa fuit; praesagus obibat
 Cuncta nitor risitque tuo natura sereno.
 Visa etiam medio populis mirantibus audax
 Stella die, dubitanda nihil nec crine retuso 185
 Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes,
 Emicuitque plagis alieni temporis hospes
 Ignis et agnosci potuit, cum luna lateret:
 Sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit
 Divi sidus avi, seu te properantibus Arctis 190
 Cernere sol patiens caelum commune remisit.
 Adparet quid signa ferant. Ventura potestas
 Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
 Innocuus flagraret apex Phrygioque volutus
 Vertice fatalis redimiret tempora candor. 195
 At tua caelestes inlustrant omina flammae.
 Talis ab Idaeis primaevus Iuppiter antris
 Possessi stetit arce poli famulosque recepit
 Natura tradente deos; lanugine nondum
 Vernabant vultus nec adhuc per colla fluebant 200
 Moturae convexa comae; tum scindere nubes
 Discebat fulmenque rudi torquere lacerto.
 Laetior augurio genitor natisque superbus
 Iam paribus duplici fultus consorte redibat
 Splendebatque pio complexus pignora curru. 205
 Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,

190 Arctis] *ego*; astris.

Progenies Ledaea, sedent: in utroque relucet
 Frater, utroque soror; simili chlamys effluit auro;
 Stellati pariter crines. Iuvat ipse Tonantem
 Error et ambiguae placet ignorantia matri; 210
 Eurotas proprios discernere nescit alumnos.

Vt domus excepit reduces, ibi talia tecum
 Pro rerum stabili fertur dicione locutus:

‘Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset,
 Care puer, terrisque procul venerandus Eois 215
 Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras:
 Sufficeret sublime genus luxuque fluentem
 Deside nobilitas posset te sola tueri.

Altera Romanae longe rectoribus aulae
 Conditio. Virtute decet, non sanguine niti. 220
 Maior et utilior fato coniuncta potenti,
 Vile latens virtus. Quid enim? submersa tenebris
 Proderit obscuro veluti sine remige puppis
 Vel lyra quae reticet vel qui non tenditur arcus.

‘Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
 Semet et incertos animi placaverit aestus, 226
 Inveniet; longis illuc ambagibus itur.
 Disce orbi, quod quisque sibi:

‘Cum conderet artus

Nostros, aetheriis miscens terrena, Prometheus,
 Sinceram patri mentem furatus Olympo 230

Continuit claustris indignantemque revinxit
 Et, cum non aliter possent mortalia fingi,
 Adiunxit geminas. Illae cum corpore lapsae
 Intereunt, haec sola manet bustoque superstes
 Evolat. Hanc alta capitis fundavit in arce 235

Mandatricem operum prospecturamque labori;
 Illas inferius collo praeceptaque summae
 Passuras dominae digna statione locavit.
 Quippe opifex veritus confundere sacra profanis
 Distribuit partes animae sedesque removit. 240

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
 Protegit imbutam flammis avidamque nocendi

Praecipitemque sui. Rabie succensa tumescit,
 Contrahitur tepefacta metu. Cumque omnia secum
 Duceret et requiem membris vesana negaret, 245
 Invenit pulmonis opem madidumque furenti
 Praebuit, ut tumidae ruerent in mollia fibrae.
 At sibi cuncta petens, nil conlatura cupido
 In iecur et tractus imos compulsa recessit,
 Quae, velut inmanis reserat dum belua rictus, 250
 Expleri pascique nequit: nunc verbere curas
 Torquet avaritiae, stimulis nunc flagrat amorum,
 Nunc gaudet, nunc maesta dolet satiataque rursus
 Exoritur caesaque redit pollentius hydra.

'Hos igitur potuit si quis sedare tumultus, 255
 Inconcussa dabit purae sacraria menti.
 Tu licet extremos late dominere per Indos,
 Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
 Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
 Servitii patiere iugum; tolerabis iniquas 260
 Interius leges. Tunc omnia iure tenebis,
 Cum poteris rex esse tui. Proclivior usus
 In peiora datur suadetque licentia luxum
 Inlecebrisque effrena favet. Tum vivere caste
 Asperius, cum prompta Venus; tum durius irae 265
 Consulitur, cum poena patet. Sed comprime motus
 Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
 Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

'Hoc te praeterea crebro sermone monebo,
 Vt te totius medio telluris in ore 270
 Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
 Facta palam nec posse dari regalibus usquam
 Secretum vitiis; nam lux altissima fati
 Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
 Intrat et abstrusos explorat fama recessus. 275

'Sis pius in primis; nam cum vincamur in omni
 Munere, sola deos aequat clementia nobis.
 Neu dubie suspectus agas neu falsus amicis
 Rumorumve avidus: qui talia curat, inanes

Horrebit strepitus nulla non anxius hora. 280
 Non sic excubiae, non circumstantia pila
 Quam tutatur amor. Non extorquebis amari;
 Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
 Nonne vides, operum quod se pulcherrimus ipse
 Mundus amore liget, nec vi conexa per aevum 285
 Conspirent elementa sibi? quod limite Phoebus
 Contentus medio, contentus litore pontus
 Et, qui perpetuo terras ambitque vehitque,
 Nec premat incumbens oneri nec cesserit aer?
 Qui terret, plus ipse timet; sors ista tyrannis 290
 Convenit; invideant claris fortesque trucidant,
 Muniti gladiis vivant saeptique venenis,
 Ancipites habeant arces trepidique minentur:
 Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
 Non tibi, nec tua te moveant, sed publica vota. 295
 'In commune iubes si quid censesque tenendum,
 Primus iussa subi: tunc observantior aequi
 Fit populus nec ferre negat, cum viderit ipsum
 Auctorem parere sibi. Componitur orbis
 Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus 300
 Humanos edicta valent quam vita regentis.
 Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
 'His tamen effectis neu fastidire minores
 Neu pete praescriptos homini transcendere fines.
 Inquinat egregios adiuncta superbia mores. 305
 Non tibi tradidimus dociles servire Sabaeos,
 Armeniae dominum non te praefecimus orae,
 Nec damus Assyriam, tenuit quam femina, gentem.
 Romani, qui cuncta diu rexere, regendi,
 Qui nec Tarquinii fastus nec iura tulere 310
 Caesaris. Annales veterum delicta loquuntur:
 Haerebunt maculae. Quis non per saecula damnat
 Caesarëae portenta domus? quem dira Neronis
 Funera, quem rupes Caprearum taetra latebit
 Incesto possessa seni? Victura feretur 315
 Gloria Traiani, non tam quod Tigride victo

Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
 Alta quod invectus fractis Capitolia Dacis,
 Quam patriae quod mitis erat. Ne desine tales,
 Nate, sequi. 320

‘Si bella canant, prius agmina duris
 Exerce studiis et saevo praestruere Marti.
 Non brumae requies, non hibernacula segnes
 Enervent torpore manus. Ponenda salubri
 Castra loco; praebenda vigil custodia vallo.
 Disce, ubi denseri cuneos, ubi cornua tendi 325

Aequius aut iterum flecti; quae montibus aptae,
 Quae campis acies, quae fraudi commoda vallis,
 Quae via difficilis. Fidit si moenibus hostis,
 Tum tibi murali libretur machina pulsu;
 Saxa rota; praiceps aries protectaque portas 330

Testudo feriat; ruat emersura iuventus
 Effossi per aperta soli. Si longa moretur
 Obsidio, tum vota cave secura remittas
 Inclusumve putes; multis damnosa fuere
 Gaudia; dispersi pereunt somnove soluti; 335

Saepius incautae nocuit victoria turbae.
 Neu tibi regificis tentoria larga redundant
 Deliciis, neve imbelles ad signa ministros
 Luxuries armata trahat. Neu flantibus Austris
 Neu pluviis cedas, neu defensura calorem 340

Aurea summoveant rapidos umbracula soles.
 Inventis utere cibus. Solabere partes
 Aequali sudore tuas: si collis iniquus,
 Primus ini; silvam si caedere provocat usus,
 Sumpta ne pudeat quercum stravisse bipenni. 345

Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
 Pertemptet sonipes. Fluvios tu protere cursu
 Haerentes glacie, liquidos tu scinde natatu.
 Nunc eques in medias equitum te consere turmas;
 Nunc pedes adsistas pediti. Tum promptius ibunt
 Te socio, tum conspicuus gratusque geretur 351
 Sub te teste labor.’

Dicturum plura parentem

Voce subis: 'Equidem, faveant modo numina coeptis,
 Haec effecta dabo, nec me fratrique tibi que
 Dissimilem populi commissaque regna videbunt. 355
 Sed cur non potius, verbis quae disseris, usu
 Experior? Gelidas certe nunc tendis in Alpes.
 Duc tecum comitem; figant, sine, nostra tyrannum
 Spicula; pallescat nostro, sine, barbarus arcu.
 Italiane feram furiis praedonis acerbi 360
 Subiectam? patiar Romam servire clienti?
 Vsque adeone puer? nec me polluta potestas
 Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?
 Per strages equitare libet. Da protinus arma.
 Cur annos obicis? pugnae cur arguor impar? 365
 Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
 Verteret et patri non degeneraret Achilli.
 Denique si princeps castris haerere nequibo,
 Vel miles veniam.'

Delibat dulcia nati

Oscula miratusque refert: 'Laudanda petisti; 370
 Sed festinus amor. Veniet robustior aetas;
 Ne propera. Necdum decimas emensus aristas
 Adgrederis metuenda viris: vestigia magnae
 Indolis agnosco. Fertur Pellaeus, Eoum
 Qui domuit Porum, cum prospera saepe Philippi 375
 Audiret, laetos inter flevisse sodales
 Nil sibi vincendum patris virtute relinqui.
 Hos video motus. Fas sit promittere patri:
 Tantus eris. Nostro nec debes regna favori,
 Quae tibi iam natura dedit. Sic mollibus olim 380
 Stridula ducturum pratis examina regem
 Nascentem venerantur apes et publica mellis
 Iura petunt traduntque favos; sic pascua parvus
 Vindicat et necdum firmatis cornibus audax
 Iam regit armentum vitulus. Sed proelia differ 385
 In iuvenem patiensque meum cum fratre tuere
 Me bellante locum. Vos impacatus Araxes,

Vos celer Euphrates timeat, sit Nilus ubique
 Vester et emisso quidquid sol imbuit ortu.
 Si pateant Alpes, habeat si causa secundos 390
 Iustior eventus, aderis partesque receptas
 Suscipies, animosa tuas ut Gallia leges
 Audiatur et nostros aequus modereris Hiberos.
 Tunc ego securus fati laetusque laborum
 Discedam, vobis utrumque regentibus axem. 395

‘Interea Musis animus, dum mollior, instet
 Et quae mox imitere legat; nec desinat unquam
 Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
 Antiquos evolve duces, adsuesce futurae
 Militiae, Latium retro te confer in aevum. 400
 Libertas quaesita placet? mirabere Brutum.
 Perfidiam damnas? Metti satiabere poenis.
 Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
 Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
 Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto 405
 Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit;
 Quid mora perfringat, Fabius; quid rebus in artis
 Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.
 Discitur hinc nullos meritis obsistere casus:
 Prorogat aeternam feritas tibi Punica famam, 410
 Regule; successus superant adversa Catonis.
 Discitur hinc quantum paupertas sobria possit:
 Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis,
 Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum;
 Sordida dictator flexit Serranus aratra: 415
 Lustratae lictore casae fascesque salignis
 Postibus adfixi; collectae consule messes
 Et sulcata diu trabeato rura colono.’

Haec genitor praecepta dabat: velut ille carinae
 Longaevus rector, variis quem saepe procellis 420
 Exploravit hiems, ponto iam fessus et annis
 Aequoreas alni nato commendat habenas
 Et casus artesque docet: quo dextra regatur
 Sidere; quo fluctus possit moderamine falli;

Quae nota nimborum; quae fraus infida sereni; 425
 Quid sol occiduus prodat; quo saucia vento
 Decolor iratos attollat Cynthia vultus.

Adspice nunc, quacumque micas, seu circulus Austri,
 Magne parens, gelidi seu te meruere Triones,
 Adspice: completur votum. Iam natus adaequat 430
 Te meritis et, quod magis est optabile, vincit
 Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse
 Discedens clipeum defensoremque dedisti.
 Pro nobis nihil ille pati nullumque recusat
 Discrimen temptare sui, non dura viarum, 435
 Non incerta maris, Libyae squalentis harenas
 Audebit superare pedes madidaque cadente
 Pleiade Gaetulas intrabit navita Syrtes.

Hunc tamen in primis populos lenire feroces
 Et Rhenum pacare iubes. Volat ille citatis 440
 Vectus equis nullaque latus stipante caterva,
 Aspera nubiferas qua Raetia porrigit Alpes,
 Pergit et hostiles (tanta est fiducia) ripas
 Incomitatus adit. Totum properare per amnem
 Attonitos reges humili cervice videres. 445

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sygambri
 Caesariem pavidoque orantes murmure Franci
 Procubuere solo: iuratur Honorius absens
 Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.

Bastarnae venere truces, venit accola silvae 450
 Bructerus Hercyniae latisque paludibus exit
 Cimber et ingentes Albim liquere Cherusci.

Accipit ille preces varias tardeque rogatus
 Adnuit et magno pacem pro munere donat.

Nobilitant veteres Germanica foedera Drusus, 455
 Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.
 Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
 Quod longis alii bellis potuere mereri,
 Hoc tibi dat Stilichonis iter.

Post otia Galli
 Limitis hortaris Graias fulcire ruinas. 460

Ionium tegitur velis ventique laborant
 Tot curvare sinus servaturasque Corinthum
 Prosequitur facili Neptunus gurgite classes,
 Et puer, Isthmiaci iam pridem litoris exul,
 Secura repetit portus cum matre Palaemon. 465
 Plaustra cruore natant: metitur pellita iuventus:
 Pars morbo, pars ense perit. Non lustra Lycaei,
 Non Erymantheae iam copia sufficit umbrae
 Innumeris exusta rogis, nudataque ferro
 Sic flagrasse suas laetantur Maenala silvas. 470
 Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones 474
 Incoluit, cui parvus Athos angustaque Thrace, 475
 Cum transiret, erat, per te viresque tuorum
 Fracta ducum lugetque sibi iam rara superstes,
 Et, quorum turbae spatium vix praebuit orbis,
 Vno colle latent. Sitiens inclusaque vallo
 Ereptas quaesivit aquas, quas hostibus ante 480
 Contiguas alio Stilicho deflexerat arcu
 Mirantemque novas ignota per avia valles
 Iusserat averso fluvium migrare meatu. 483
 Executiat cineres Ephyre, Spartanus et Arcas 471
 Tutior exanguis pedibus proculcet acervos
 Fessaque pensatis respiret Graecia poenis! 473
 Obvia quid mirum vinci, cum barbarus ultro 484
 Iam cupiat servire tibi? Tua Sarmata discors 485
 Sacramenta petit; proiecta pelle Gelonus
 Militat; in Latios ritus transistis Alani.
 Vt fortes in Marte viros animisque paratos,
 Sic iustos in pace legis longumque tueris
 Electos crebris nec succedentibus urges. 490
 Iudicibus notis regimur, fruimurque quietis
 Militiaeque bonis, ceu bellatore Quirino,
 Ceu placido moderante Numa. Non inminet ensis,
 Nullae nobilium caedes; non crimina vulgo
 Texuntur; patria maestus non truditur exul; 495

Impia continui cessant augmenta tributi;
 Non infelices tabulae; non hasta refixas
 Vendit opes; avida sector non voce citatur,
 Nec tua privatis crescunt aeraria damnis.
 Munificus largi, sed non et prodigus, auri. 500
 Perdurat non empta fides nec pectora merces
 Adligat; ipsa suo pro pignore castra laborant;
 Te miles nutritor amat.

Quae denique Romae
 Cura tibi? quam fixa manet reverentia patrum?
 Firmatur senium iuris priscamque resumunt 505
 Canitiem leges emendanturque vetustae
 Acceduntque novae. Talem sensere Solonem
 Res Pandioniae; sic armipotens Lacedaemon
 Despexit muros rigido munita Lycurgo.
 Quae sub te vel causa brevis vel iudicis error 510
 Neglegitur? dubiis quis litibus addere finem
 Iustior et mersum latebris educere verum?
 Quae pietas quantusque rigor tranquillaque magni
 Vis animi nulloque levis terrore moveri
 Nec nova mirari facilis! quam docta facultas 515
 Ingenii linguaeque modus! Responsa verentur
 Legati, gravibusque latet sub moribus aetas.

Quantus in ore pater radiat! quam torva voluptas
 Frontis et augusti maiestas grata pudoris!
 Iam patrias imples galeas; iam cornus avita 520
 Temptatur vibranda tibi; promittitur ingens
 Dextra rudimentis Romanaque vota moratur.
 Quis decor, incedis quotiens clipeatus et auro
 Squameus et rutilus cristis et casside maior!
 Sic, cum Threicia primum sudaret in hasta, 525
 Flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.
 Quae vires iaculis vel, cum Gortynia tendis
 Spicula, quam felix arcus certique petitor
 Vulneris et iussum mentiri nescius ictum!
 Seis, quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas 530
 Armenius, refugo quae sit fiducia Partho:

Sic Amphioniae pulcher sudore palaestrae
 Alcides pharetras Dircaeaque tela solebat
 Praetemptare feris olim domitura Gigantes
 Et pacem latura polo, semperque cruentus 535
 Ibat et Alcmenae praedam referebat ovanti;
 Caeruleus tali prostratus Apolline Python
 Implicuit fractis moritura volumina silvis.

Cum vectaris equo simulacraque Martia ludis,
 Quis mollis sinuare fugas, quis tendere contum 540
 Acrior aut subitos melior flexisse recursus?
 Non te Massagetae, non gens exercita campo
 Thessala, non ipsi poterunt aequare bimbres;
 Vix comites alae, vix te suspensa sequuntur
 Agmina ferventesque tument post terga dracones. 545
 Vtque tuis primum sonipes calcaribus arsit,
 Ignescunt patulae nares, non sentit harenas
 Vngula discussaeque iubae sparguntur in armos;
 Turbantur phalerae, spumosis morsibus aurum
 Fumat, anhelantes exundant sanguine gemmae. 550
 Ipse labor pulvisque decet confusaque motu
 Caesaries; vestis radiato murice solem
 Combibit, ingesto crispatur purpura vento.
 Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
 Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion 555
 Serviretque tuis contempto Castore frenis
 Cyllarus et flavum Xanthus sprevisset Achillem.
 Ipse tibi famulas praeberet Pegasus alas
 Portaretque libens melioraque pondera passus
 Bellerophontean indignaretur habenas. 560
 Quin etiam velox Aurorae nuntius Aethon,
 Qui fugat hinnitu stellas roseoque domatur
 Lucifero, quotiens equitem te cernit ab astris,
 Invidet inque tuis mavult spumare lupatis.

Nunc quoque quos habitus, quantae miracula pompae
 Vidimus, Ausonio cum iam succinctus amictu 566
 Per Ligurum populos solito conspectior ires
 Atque inter niveas alte veherere cohortes,

Obnixisque simul pubes electa lacertis
 Sidereum gestaret onus. Sic numina Memphis 570
 In vulgus proferre solet; penetralibus exit
 Effigies, brevis illa quidem: sed plurimus infra
 Liniger imposito suspirat vecte sacerdos
 Testatus sudore deum; Nilotica sistris
 Ripa sonat Phariosque modos Aegyptia ducit 575
 Tibia; summissis admugit cornibus Apis.
 Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentat
 Thybridis et Latii suboles; convenit in unum
 Quidquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris
 Vel tu vel genitor. Numeroso consule consul 580
 Cingeris et socios gaudes admittere patres.
 Inlustri te prole Tagus, te Gallia doctis
 Civibus et toto stipavit Roma senatu.
 Portatur iuvenum cervicibus aurea sedes
 Ornatuque novo gravior deus. Asperat Indus 585
 Velamenta lapis pretiosaque fila smaragdis
 Ducta virent; amethystus inest et fulgor Hiberus
 Temperat arcanis hyacinthi caerulea flammis.
 Nec rudis in tali suffecit gratia textu;
 Auget acus meritum picturatumque metallis 590
 Vivit opus: multa remorantur iaspide vultus
 Et variis spirat Nereia baca figuris.
 Quae tantum potuit digitis mollire rigorem
 Ambitiosa colus? vel cuius pectinis arte
 Traxerunt solidae gemmarum stamina telae? 595
 Invia quis calidi scrutatus stagna profundi
 Tethyos invasit gremium? quis divitis algae
 Germina flagrant inter quaesivit harenas?
 Quis iunxit lapides ostro? quis miscuit ignes
 Sidonii Rubrique maris? Tribuere colorem 600
 Phoenices, Seres subtegmina, pondus Hydaspes.
 Hoc si Maeonias cinctu graderere per urbes,
 In te pampineos transferret Lydia thyrsos,
 In te Nysa choros; dubitassent orgia Bacchi,
 Cui furerent; irent blandae sub vincula tigres. 605

Talis Erythraeis intextus nebrida gemmis
 Liber agit currus et Caspia flectit eburnis
 Colla iugis: Satyri circum crinemque solutae
 Maenades adstringunt hederis victricibus Indos;
 Ebrius hostili velatur palmite Ganges. 610

Auspice mox laetum sonuit clamore tribunal
 Te fastos ineunte quater. Sollemnia ludit
 Omina libertas; deductum Vindice morem
 Lex celebrat, famulusque iugo laxatus erili
 Ducitur et grato remeat securior ictu. 615
 Tristis condicio pulsata fronte recedit;
 In civem rubuere genae, tergoque removit
 Verbera permissi felix iniuria voti.

Prospera Romuleis sperantur tempora rebus
 In nomen ventura tuum. Praemissa futuris 620
 Dant exempla fidem: quotiens te cursibus aevi
 Praefecit, totiens accessit laurea patri.
 Ausi Danuvium quondam transnare Gruthungi
 In lyntres fregere nemus; ter mille ruebant
 Per fluvium plenae cuneis inmanibus alni. 625
 Dux Odothaeus erat. Tanta conamina classis
 Incipiens aetas et primus contudit annus:
 Summersae sedere rates; fluitantia numquam
 Largius Arctos pavere cadavera pisces;
 Corporibus premitur Peuce; per quinque recurrens 630
 Ostia barbaricos vix egerit unda cruores,
 Confessusque parens Odothaei regis opima
 Rettulit exuviasque tibi. Civile secundis
 Conficis auspiciis bellum. Tibi debeat orbis
 Fata Gruthungorum debellatumque tyrannum: 635
 Hister sanguineos egit te consule fluctus;
 Alpinos genitor rupit te consule montes.

Sed patriis olim fueras successibus auctor,
 Nunc eris ipse tuis. Semper venere triumphi
 Cum trabeis sequiturque tuos victoria fasces. 640
 Sis, precor, adsiduus consul Mariique relinquis
 Et senis Augusti numerum. Quae gaudia mundo,

Per tua lanugo cum serpere coeperit ora,
 Cum tibi protulerit festas nox pronuba taedas!
 Quae tali devota toro, quae murice fulgens 645
 Ibit in amplexus tanti regina mariti?
 Quaenam tot divis veniet nurus, omnibus arvis
 Et toto donanda mari? quantusque feretur
 Idem per Zephyri metas Hymenaeus et Euri!
 O mihi si liceat thalamis intendere carmen 650
 Conubiale tuis, si te iam dicere patrem!
 Tempus erit, cum tu trans Rheni cornua victor,
 Arcadius captae spoliis Babylonis onustus
 Communem maiore toga signabitis annum;
 Crinitusque tuo sudabit fasce Suebus, 655
 Vltima fraternas horrebunt Bactra secures.

PANEGYRICVS

DICTVS MANLIO THEODORO CONSVLI.

PRAEFATIO.

(XVI.)

Audebisne, precor, tantae subiecta catervae,
Inter tot proceres, nostra Thalia, loqui?
Nec te fama vetat, vero quam celsius auctam
Vel servasse labor vel minuisse pudor?
An tibi continuis crevit fiducia castris 5
Totaque iam vatis pectora miles habet?

Culmina Romani maiestatemque senatus
Et, quibus exultat Gallia, cerne viros.
Omnibus audimur terris mundique per aures
Ibimus. Ah nimius consulis urget amor! 10

Iuppiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet
Naturae regni nescius ipse sui,
Armigeros utrimque duos aequalibus alis
Misit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnasus geminos fertur iunxisse volatus; 15
Contulit alternas Pythius axis aves.

Princeps non aquilis terras cognoscere curat;
Certius in vobis aestimat imperium.
Hoc ego concilio collectum metior orbem;
Hoc video coetu quidquid ubique micat. 20

PANEGYRICVS.

(XVII.)

Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque late
 Fortunae secura nitet nec fascibus ullis
 Erigitur plausuve petit clarescere vulgi.
 Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
 Divitiis animosa suis inmotaque cunctis 5
 Casibus ex alta mortalia despicit arce.
 Attamen invitam blande vestigat et ultro
 Ambit Honor: docuit totiens ad rura profectus
 Lictor et in mediis consul quaesitus aratris.
 Te quoque naturae sacris mundique vacantem, 10
 Emeritum pridem desudatisque remotum
 Iudiciis eadem rursus complexa potestas
 Evehit et reducem notis imponit habenis.
 Accedunt trabeae: nil iam, Theodore, relictum,
 Quo virtus animo crescat vel splendor honori. 15
 Culmen utrumque tenes.

Talem te protinus anni
 Formavere rudes, et dignum vita curuli
 Struxit iter primaeque senes cessere iuventae.
 Iam tum canities animi, iam dulce loquendi
 Pondus et attonitas sermo qui duceret aures. 20
 Mox undare foro victrix opulentia linguae
 Tutarique reos. Ipsa haec amplissima sedes
 Orantem stupuit, bis laudatura regentem.
 Hinc te pars Libyae moderantem iura probavit,
 Quae nunc tota probat; longi sed pignus amoris 25
 Exiguae peperere morae populumque clientem
 Publica mansuris testantur vocibus aera.
 Inde tibi Macetum tellus et credita Pellae
 Moenia, quae famulus quondam ditavit Hydaspes;
 Tantaque commissae revocasti gaudia genti 30

8 ad rura] a rure. 15 honori] *Birtius*; honore.
 18 Struxit] *ego*; traxit.

Mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
Floruit aut nigri cecidit cum regia Pori.

Sed non ulterius te praebuit urbibus aula:

Maluit esse suum; terris edicta daturus,
Supplicibus responsa venis. Oracula regis 35
Eloquio crevere tuo, nec dignius umquam
Maiestas meminit sese Romana locutam.
Hinc sacrae mandantur opes orbisque tributa
Possessi, quidquid fluviis evolvitur auri,
Quidquid luce procul venas rimata sequaces 40
Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.

Ac velut exertus lentandis navita tonsis
Praeficitur lateri custos; hinc ardua prorae
Temperat et fluctus tempestatesque futuras
Edocet; adsiduo cum Dorida vicerit usu, 45
Iam clavum totamque subit torquere carinam:
Sic cum clara diu mentis documenta dedisses,
Non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium cunctaque dedit tellure regendos
Rectores. Hispana tibi Germanaque Tethys 50
Paruit et nostro diducta Britannia mundo,
Diversoque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar Rhodanusque ferox et dives Hiberus.
O quotiens doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur iudice ripis! 55
Vnius fit cura viri, quodcumque rubescit
Occasu, quodcumque dies devexior ambit.

Tam celer adsiduos explevit cursus honores;
Vna potestatum spatiis interfuit aetas
Totque gradus fati iuvenilibus intulit annis. 60
Postquam parta quies et summum nacta cacumen
Iam segura petit privatum gloria portum,
Ingenii redeunt fructus aliique labores,
Et vitae pars nulla perit: quodcumque recedit
Litibus, incumbit studiis, animusque vicissim 65
Aut curam imponit populis aut otia Musis.
Omnia Cecropiae relegis secreta senectae

Discutiens, quid quisque novum mandaverit aevo
Quantaque diversae producant agmina sectae.

Namque aliis princeps rerum disponitur aer; 76

Hic confidit aquis; hic procreat omnia flammis.

Alter in Aetnaeas casurus sponte favillas

Dispergit revocatque deum rursusque receptis

Nectit amicitiiis quidquid discordia solvit.

Corporis hic damnat sensus verumque videri 75

Pernegat. Hic semper lapsurae pondera terrae

Conatur rapido caeli fulcire rotatu

Accenditque diem praerupti turbine saxi.

Ille ferox unoque tegi non passus Olympo

Inmensum per inane volat finemque perosus 80

Parturit innumeros angusto pectore mundos.

Hi vaga collidunt caecis primordia plagis.

Numina constituunt alii casusque relegant.

Graiorum obscuras Romanis floribus artes

Inradius, vicibus gratis formare loquentes 85

Suetus et alterno verum contexere nodo.

Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid

Docta Cleanthae sonuerunt atria turbae,

Inventum quodcumque tuo, Chrysisse, recessu,

Quidquid Democritus risit dixitque tacendo 90

Pythagoras, uno se pectore cuncta vetustas

Condedit et maior collectis viribus exit.

Ornantur veteres et nobiliore magistro

In Latium spretis Academia migrat Athenis,

Vt tandem propius discat, quo fine beatum 95

Dirigitur, quae norma boni, qui limes honesti;

Quaenam membra sui virtus divisa domandis

Obiectet vitiis; quae pars iniusta recidat,

Quae vincat ratione metus, quae frenet amores;

Aut quotiens elementa doces semperque fluentis 100

Materiae causas: quae vis animaverit astra

Impuleritque choros; quo vivat machina motu;

Sidera cur septem retro nitantur in ortus

Obluctata polo; variisne meatibus idem

Arbiter an geminae convertant aethera mentes; 105
 Sitne color proprius rerum, lucisne repulsu
 Eludant aciem; tumidos quae luna recursus
 Nutriat Oceani; quo fracta tonitrua vento,
 Quis trahat imbriferas nubes, quo saxa creentur 109
 Grandinis; unde rigor nivibus; quae flamma per auras
 Excutiat rutilos tractus aut fulmina velox
 Torqueat aut tristem figat crinita cometem.

Iam tibi compositam fundaverat ancora puppim,
 Telluris iam certus eras; fecunda placebant
 Otia; nascentes ibant in saecula libri: 115
 Cum subito liquida cessantem vidit ab aethra
 Iustitia et tanto viduatas iudice leges.
 Continuo frontem limbo velata pudicam
 Deserit Autumni portas, qua vergit in Austrum
 Signifer et noctis reparant dispendia Chelae. 120
 Pax avibus, quacumque volat, rabiemque frementes
 Deposuere ferae; laetatur terra reverso
 Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.
 Illa per occultum Ligurum se moenibus infert
 Et castos levibus plantis ingressa penates 125
 Invenit aetherios signantem pulvere cursus,
 Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis:
 Quae moveant momenta polum, quam certus in astris
 Error, quis tenebras solis causisque meantem
 Defectum indicat numerus, quae linea Phoeben 130
 Damnet et excluso pallentem fratre relinquat.
 Vt procul adspexit fulgentia Virginis ora
 Cognovitque deam, vultus veneratus amicos
 Occurrit scriptaeque notas confundit harenae.

Tum sic diva prior: 'Manli, sincera bonorum 135
 Congeries, in quo veteris vestigia recti
 Et ductos video mores meliore metallo:
 Iam satis indultum studiis, Musaeque tot annos
 Eripuere mihi. Pridem te iura reposcunt:
 Adgredere et nostro rursus te redde labori 140
 Nec tibi sufficiat transmissae gloria vitae.

Humanum curare genus quis terminus umquam
 Praescipsit? nullas recipit prudentia metas.
 Adde quod haec multis potuit contingere sedes, 145
 Sed meriti tantum redeunt actusque priores
 Commendat repetitus honos virtusque reducit,
 Quos fortuna regit. Melius magnoque petendum
 Credis in abstrusa rerum ratione morari?
 Scilicet illa tui patriam praecepta Platonis
 Erexere magis, quam qui responsa secutus 150
 Obruit Eoas classes urbemque carinis
 Vexit et arsuras Medo subduxit Athenas?
 Spartanis potuit robur praestare Lycurgus
 Matribus et sexum leges vicere severae
 Civibus et vetitis ignavo credere muro 155
 Tutius obiecit nudam Lacedaemona bellis:
 At non Pythagorae monitus annique silentes
 Famosum Oebalii luxum pressere Tarenti.
 'Quis vero insignem tanto sub principe curam
 Respuat? aut quando meritis maiora patebunt 160
 Praemia? Quis demens adeo qui iungere sensus
 Cum Stilichone neget? Similem quae protulit aetas
 Consilio vel Marte virum? Nunc Brutus amaret
 Vivere sub regno, tali succumberet aulae
 Fabricius, cuperent ipsi servire Catones. 165
 Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes
 Obtundat gladios fratresque amplexa serenos
 Adsurgat Pietas, fractis ut lugeat armis
 Perfidia et laceris morientes crinibus hydri
 Lambant invalido Furiarum vincla veneno? 170
 Exultat cum Pace Fides. Iam sidera cunctae
 Liquimus et placidas inter discurremus urbes.
 Nobiscum, Theodore, redi.'

Subit ille loquentem

Talibus: 'Agrestem dudum me, diva, reverti
 Cogis et infectum longe rubigine ruris 175
 Ad tua signa vocas. Nam quae mihi cura tot annis
 Altera quam duras sulcis mollire novalis,

Nosse soli vires, nemori quae commoda rupes,
 Quis felix oleae tractus, quae glaeba faveret
 Frugibus et quales tegetet vindemia colles? 180
 Terribiles rursus lituos veteranus adibo
 Et desueta vetus temptabo caerulea vector?
 Collectamque diu et certis utcumque locatam
 Sedibus in dubium patiar deponere famam?
 Nec me, quid valeat natura fortior usus, 185
 Praeterit aut quantum neglectae defluat arti.
 Desidis aurigae non audit verbera currus,
 Nec manus agnoscit quem non exercuit arcum.
 Esse sed iniustum fateor quodcumque negatur
 Iustitiae. Tu prima hominem silvestribus antris 190
 Elicis et foedo deterges saecula victu.
 Te propter colimus leges animosque ferarum
 Exuimus. Nitidis quisquis te sensibus hausit,
 Inruet intrepidus flammis, hiberna secabit
 Aequora, confertos hostes superabit inermis. 195
 Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestus;
 Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer'.
 Sic fatus tradente dea suscepit habenas
 Quattuor ingenti iuris temone refusas.
 Prima Padum Thybrimque ligat crebrisque micantem 200
 Urbibus Italiam; Libyas Poenosque secunda
 Temperat; Illyrico se tertia porrigit orbi;
 Vltima Sardiniam, Cynnum trifidamque retentat
 Sicaniam et quidquid Tyrrhena tunditur unda
 Vel gemit Ionia. Nec te tot lumina rerum 205
 Aut tantum turbavit onus; sed ut altus Olympi
 Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
 Perpetuum nulla temeratus nube serenum
 Celsior exurgit pluviis auditque ruentes
 Sub pedibus nimbos et rauca tonitrua calcat: 210
 Sic patiens animus per tanta negotia liber
 Emergit similisque sui, iustique tenorem

Flectere non odium cogit, non gratia suadet.
 Nam spretas quis opes intactaque pectora lucro
 Commemoret? Fuerint aliis haec forte decori: 215

Nulla potest laus esse tibi, quae crimina purget.
 Servat inoffensam divina modestia vocem:
 Temperiem servant oculi; nec lumina fervor
 Asperat aut rabidas suffundit sanguine venas
 Nullaque mutati tempestas proditur oris. 220

Quin etiam sontes expulsa corrigis ira
 Et placidus delicta domas; nec dentibus umquam
 Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

Qui fruitur poena, ferus est legumque videtur
 Vindictam praestare sibi; cum viscera felle 225

Canduerint, ardet stimulis ferturque nocendi
 Prodigus, ignarus causae: dis proximus ille,
 Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
 Consilio punire potest. Mucrone cruento
 Se iactent alii, studeant feritate timeri 230

Addictoque hominum cumulent aeraria censu.
 Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
 Vtilior nullo confessus murmure vires;
 Acrior ac rapidus tacitas praetermeat ingens
 Danuvius ripas; eadem clementia sani 235

Gurgitis immensum deducit in ostia Gangen.
 Torrentes inmane fremant lassisque minentur
 Pontibus et volvant spumoso vertice silvas:
 Pax maiora decet; peragit tranquilla potestas,
 Quod violenta nequit, mandataque fortius urget 240
 Imperiosa quies.

Idem praedurus iniquas
 Accepisse preces, rursus, quae digna petitu,
 Largior et facilis; nec quae comitatur honores,
 Ausa tuam leviter temptare superbia mentem.
 Frons privata manet nec se meruisse fatetur, 245
 Quae crevisse putat; rigidi sed plena pudoris

238 et volvant] *Birtius*; et volvat, involvant.

Elucet gravitas fastu iucunda remoto.
 Quae non seditio, quae non insania vulgi
 Te viso lenita cadat? quae dissona ritu
 Barbaries, medii quam non reverentia frangat? 250

Vel quis non sitiens sermonis mella politi
 Deserat Orpheos blanda testudine cantus?
 Qualem te legimus teneri primordia mundi
 Scribentem aut partes animae, per singula talem
 Cernimus et similes agnoscit pagina mores. 255

Nec dilata tuis Augusto iudice merces
 Officiis, illumque habitum, quo iungitur aulae
 Curia, qui socio proceres cum principe nectit,
 Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno
 Deposuitque suas te succedente curules. 260

Crescant virtutes fecundaque floreat aetas.
 Ingeniis patuit campus certusque merenti
 Stat favor: ornatur propriis industria donis.
 Surgite sopitae, quas obruit ambitus, artes.
 Nil licet invidiae, Stilicho dum prospicit orbi 265

Sidereusque gener. Non hic violata curulis,
 Turpia non Latios incestant nomina fastos;
 Fortibus haec concessa viris solisque gerenda
 Patribus et Romae numquam latura pudorem.

Nuntia votorum celeri iam Fama volatu 270
 Moverat Aonios audito consule lucos.

Concinuit felix Helicon fluxitque Aganippe
 Largior et docti riserunt floribus amnes.
 Vranie redimita comas, qua saepe magistra
 Manlius igniferos radio descriperat axes, 275
 Sic alias hortata deas:

‘Patimurne, sorores,
 Optato procul esse die nec limina nostri
 Consulis et semper dilectas visimus aedes?
 [Notior est Stilichone domus. Gestare curules]
 En fasces subiisse libet. Miracula plebi 280
 Colligite et claris nomen celebrate theatri.

‘Tu Iovis aequorei summersam fluctibus aulam

- Oratum volucres, Erato, iam perge quadrigas,
 A quibus haud umquam palmam rapturus Arion.
 Inlustret circum sonipes, quicumque superbo 285
 Perstrepat hinnitu Baetin, qui splendida potat
 Stagna Tagi madidoque iubas adspergitur auro.
 Calliope, liquidas Alciden posce palaestras:
 Cuncta Palaemoniis manus explorata coronis
 Adsit et Eleo pubes laudata Tonanti. 290
 Tu iuga Taygeti frondosaque Maenala, Clio,
 I Triviae supplex; non aspernata rogantem
 Amphitheatrali faveat Latonia pompae.
 Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
 Arte ligent certoque premant venabula nisu. 295
 Ipsa truces fetus captivaque ducat ab antris
 Prodigia et caedis sitientem differat arcum.
 Conveniant ursi, magna quos mole ruentes
 Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris,
 Perfossique rudant populo pallente leones, 300
 Quales Mygdonio curru frenare Cybebe
 Optet et Herculei mallent fregisse lacerti.
 Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
 Semine permixto geniti, cum forte leaenae
 Nobiliorem uterum viridis corrumpit adulter; 305
 Hi maculis patres referunt et robore matres.
 Quidquid monstriferis nutrit Gaetulia campis,
 Alpina quidquid tegitur nive, Gallica siquid
 Silva tenet, iaceat; largo ditescat harena
 Sanguine; consumant totos spectacula montes. 310
 Nec molles egeant nostra dulcedine ludi:
 Qui laetis risum salibus movisse facetus,
 Qui nutu manibusque loquax, cui tibia flatu,
 Cui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
 Personat aut alte graditur maiore cothurno, 315
 Et qui magna levi detrudens murmura tactu
 Innumeras voces segetis moderatus aenae

Intonet erranti digito penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas,
Vel qui more avium sese iaculentur in auras 320
Corporaque aedificent celeri crescentia nexu,
Quorum compositam puer amentatus in arcem
Emicet et vinctu plantae vel cruribus haerens
Pendula librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma reductis 325
Inque chori speciem spargentes ardua flammās
Scaena rotet uarios et fingat Mulciber orbis
Per tabulas impune vagus pictaeque citato
Ludant igne trabes et non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres. 330
Lascivi subito configant aequore lembi
Stagnaue remigibus spument inmissa canoris.
 ^c Consul per populos idemque gravissimus auctor
Eloquii, duplici vita subnixus in aevum
Procedat pariter libris fastisque legendus. 335
Accipiat patris exemplum tribuatque nepoti
Filius et coeptis ne desit fascibus heres.
Decurrat trabeata domus tradatque secures
Mutua posteritas servatoque ordine fati
Manlia continuo numeretur consule proles'. 340

DE CONSVLATV STILICHONIS

LIBER PRIMVS.

(XXI.)

Continuant superi pleno Romana favore
Gaudia successusque novis successibus augment:
Conubii necdum festivos regia cantus
Sopierat, cecinit fuso Gildone triumphos,
Et calidis thalami successit laurea sertis, 5
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti
Victorisque decus; Libyae post proelia crimen
Concidit Eoum, rursusque Oriente subacto
Consule defensae surgunt Stilichone secures.
Ordine vota meant. Equidem si carmen in unum 10
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum,
Promptius imponam glaciali Pelion Ossae.
Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam,
Maius erit. Veteres actus primamque iuventam
Prosequar? ad sese mentem praesentia ducunt. 15
Narrem iustitiam? plus splendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis.
Quod floret Latium, Latio quod reddita servit
Africa, vicinum quod nescit Hiberia Maurum,
Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum, 20
Aut gelidam Thracen decertatosque labores
Hebro teste canam? Magnum mihi panditur aequor,
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus
Laudibus innumeris.

Etenim mortalibus ex quo
Tellus coepta coli, numquam sincera bonorum 25

Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat,
 Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat,
 Corpus destituit. Bellis insignior ille,
 Sed pacem foedat vitiis. Hic publica felix,
 Sed privata minus. Partitum; singula quemque 30
 Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis,
 Hunc rigor, hunc pietas, illum sollertia iuris,
 Hunc suboles castique tori. Sparguntur in omnes,
 In te mixta fluunt; et quae divisa beatos
 Efficiunt, collecta tenes. 35

Ne facta revolvam

Militiamque patris, cuius producere famam,
 Si nihil egisset clarum nec fida Valenti
 Dextera duxisset rutilantes crinibus alas,
 Sufficeret natus Stilicho: mens ardua semper
 A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis 40
 Fortunae maioris honos. Erectus et acer
 Nil breve moliri, nullis haerere potentum
 Liminibus fatisque loqui iam digna futuris.
 Iam tum conspicuus, iam tum venerabilis ibas
 Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris 45
 Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
 Semideis. Quacumque alte gradereris in urbe,
 Cedentes spatiis adsurgentesque videbas
 Quamvis miles adhuc. Taciti suffragia vulgi
 Iam tibi detulerant, quidquid mox debuit aula. 50

Vix primaevus eras, pacis cum mitteris auctor
 Assyriae; tanta foedus cum gente ferire
 Commissum iuveni. Tigrim transgressus et altum
 Euphraten Babylona petis. Stupuere severi
 Parthorum proceres, et plebs pharetrata videndi 55
 Flagravit studio, defixaeque hospite pulchro
 Persides arcanum suspiravere calorem.
 Turis odoratae cumulis et messe Sabaea
 Pacem conciliant arae; penetralibus ignem
 Sacratum rapuere adytis rituque iuencos 60
 Chaldaeo stravere magi. Rex ipse micantem

Inclinat dextra pateram secretaque Beli
 Et vaga testatur volventem sidera Mithram.
 Si quando sociis tecum venatibus ibant,
 Quis Stilichone prior ferro penetrare leones 65
 Comminus aut longe virgatas figere tigres?
 Flectenti faciles cessit tibi Medus habenas;
 Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.

Nubilis interea maturae virginis aetas
 Vrgebat patrias suspenso principe curas, 70
 Quem simul imperioque ducem nataeque maritum
 Prospiceret; dubius toto quaerebat ab axe
 Dignum coniugio generum thalamisque Serenae.
 Iudicium virtutis erat; per castra, per urbes,
 Per populos animi cunctantis libra cucurrit. 75
 Tu legeris tantosque viros, quos obtulit orbis,
 Intra consilium vincis sensumque legentis,
 Et gener Augustis olim socer ipse futurus
 Accedis. Radiis auri Tyriaque superbit
 Maiestate torus; comitata parentibus exit 80
 Purpureis virgo. Stābat pater inde tropaeis
 Inclitus; inde pium matris regina gerebat
 Obsequium gravibus subnectens flammea gemmis.
 Tunc et Solis equos, tunc exultasse choreis
 Astra ferunt mellisque lacus et flumina lactis 85
 Erupisse solo, cum floribus aequora vernis
 Bosphorus indueret roseisque evincta coronis
 Certantes Asiae taedas Europa levaret.

Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
 Iudicat et primus censet, quod cernimus omnes. 90
 Talem quippe virum natis adiunxit et aulae,
 Cui neque luxuries bello nec blanda periclis
 Otia nec lucis fructus pretiosior umquam
 Laude fuit. Quis enim Visos in plaustra feroces
 Reppulit aut saeva Promoti caede tumentes 95
 Basternas una potuit delere ruina?

Pallantis iugulum Turno moriente piavit
 Aeneas, tractusque rotis ultricibus Hector
 Irato vindicta fuit vel quaestus Achilli:
 Tu neque vesano raptas venalia curru 100
 Funera nec vanam corpus meditaris in unum
 Saevitiam; turmas equitum peditumque catervas
 Hostilesque globos tumulo prosternis amici;
 Inferiis gens tota datur. Nec Mulciber auctor
 Mendacis clipei fabricataque vatibus arma 105
 Conatus iuvere tuos: tot barbara solus
 Milia iam pridem miseram vastantia Thracen
 Finibus exiguae vallis conclusa tenebas.
 Nec te terrisonus stridor venientis Alani
 Nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus, 110
 Non arcu pepulere Getae, non Sarmata conto.
 Extinctique forent penitus, ni more maligno
 Falleret Augustas occultus proditor aures
 Obstrueretque moras strictumque retunderet ensem,
 Solveret obsessos, praeberet foedera captis. 115

cf. Ruf. I. 32

Adsiduus castris aderat, rarissimus urbi,
 Si quando trepida princeps pietate vocaret;
 Vixque salutatis Laribus, vix coniuge visa,
 Deterso necdum repetebat sanguine campum
 Nec stetit Eucherii dum carperet oscula saltem 120
 Per galeam. Patris stimulos ignisque mariti
 Vicit cura ducis. Quotiens sub pellibus egit
 Edonas hiemes et tardi flabra Bootae
 Sub divo Riphaea tulit! cumque igne propinquo
 Frigora vix ferrent alii, tunc iste rigentem 125
 Danuvium calcabat eques nivibusque profundum
 Scandebat cristatus Athon lateque corusco
 Curvatas glacie silvas umbone ruebat.
 Nunc prope Cimmerici tendebat litora Ponti,
 Nunc dabat hibernum Rhodope nimboſa cubile. 130
 Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis
 Stragibus aequavit Stilicho, vos Thracia testor
 Flumina, quae largo mutastis sanguine fluctus;

Dicite, Bisaltae vel qui Pangaea iuvenis
 Scinditis, offenso quantae sub vomere putres 135
 Dissiliant glaebis galeae vel qualia rastris
 Ossa peremptorum resonent inmania regum.

Singula complecti cuperem; sed densior instat
 Gestorum series laudumque sequentibus undis
 Obruimur. Genitor caesi post bella tyranni 140
 Iam tibi commissis conscenderat aethera terris.

Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
 Aequali cervice subis: sic Hercule quondam
 Sustentante polum melius librata pependit
 Machina nec dubiis titubavit Signifer astris 145
 Perpetuaque senex subductus mole parumper
 Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.

Nulli barbariae motus; nil turbida rupto
 Ordine temptavit novitas, tantoque remoto
 Principe mutatas orbis non sensit habenas. 150

Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
 Ausa manus. Certe nec tantis dissona linguis
 Turba nec armorum cultu diversior umquam
 Confluxit populus: totam pater undique secum
 Moverat Auroram; mixtis hic Colchus Hiberis, 155

Hic mitra velatus Arabs, hic crine decorus
 Armenius; hic picta Saces fucataque Medus,
 Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;
 Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
 Oceani. Ductor Stilicho tot gentibus unus, 160

Quot vel progrediens vel conspicit occiduus sol.
 In quo tam vario vocum generumque tumultu
 Tanta quies iurisque metus servator honesti
 Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis
 Vel seges erepta fraudaret messe colonum, 165

Vt nihil aut saevum rabies aut turpe libido
 Suaderet, placidi servirent legibus enses.
 Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
 Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Denique felices aquilas quocumque moveres, 170

Arebant tantis epoti milibus amnes.
 Illyricum peteres: campi montesque latebant.
 Vexillum navale dares: sub puppibus ibat
 Ionium. Nullum succincta Ceraunia nimbis
 Nec iuga Leucatae feriens spumantia fluctu 175
 Deterrebat hiems. Tu si glaciale iuberis
 Vestigare fretum, securo milite ducti
 Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi;
 Si deserta Noti, fontem si quaerere Nili,
 Aethiopum medios penetrassent vela vapores. 180
 Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycaei,
 Te pastorali modulantur Maenala cantu
 Partheniumque nemus, quod te pugnante resurgens
 Aegra caput mediis erexit Graecia flammis.
 Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon 185
 Haesit et Alpheus Geticis angustus acervis
 Tardior ad Siculos etiamnunc pergit amores.
 Miramur rapidis hostem succumbere bellis,
 Cum solo terrore ruant? Non classica Francis
 Intulimus: iacuere tamen. Non Marte Suebos 190
 Contudimus, quis iura damus. Quis credere possit?
 Ante tubam nobis audax Germania servit.
 Cedant, Druse, tui, cedant, Traiane, labores:
 Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,
 Transcurrens egit Stilicho totidemque diebus 195
 Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis;
 Quem ferro: adloquiis; quem vos cum milite: solus.
 Impiger a primo descendens fluminis ortu
 Ad bifidos tractus et iuncta paludibus ora
 Fulmineum perstrinxit iter; ducis impetus undas 200
 Vincebat celeres, et pax a fonte profecta
 Cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam
 Nomina, crinigero flaventes vertice reges,
 Qui nec principibus donis precibusque vocati
 Paruerant, iussi properant segnique verentur 205
 Offendisse mora; transvecti lyntribus amnem
 Occursant ubicumque velit. Nec fama fefellit

Iustitiae: videre pium, videre fidelem.

Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.

Illi terribiles, quibus otia vendere semper 210

Mos erat et foeda requiem mercede pacisci,

Natis obsidibus pacem tam supplice vultu

Captivoque rogant, quam si post terga revincti

Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.

Omne, quod Oceanum fontesque interiacet Histri, 215

Unius incursu tremuit; sine caede subactus

Servitio Boreas exarmatique Triones.

Tempore tam parvo tot proelia sanguine nullo

Perficis et luna nuper nascente profectus

Ante redis, quam tota fuit, Rhenumque minacem 220

Cornibus infractis adeo mitescere cogis,

Vt Salius iam rura colat flexosque Sygambrus

In falcem curvet gladios, geminasque viator

Cum videat ripas, quae sit Romana, requirat;

Vt iam trans fluvium non indignante Chauco 225

Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim

Gallica Francorum montes armenta pererrent;

Vt procul Hercyniae per vasta silentia silvae

Venari tuto liceat, lucosque vetusta

Religione truces et robur numinis instar 230

Barbarici nostrae feriant impune bipennes.

Vltro quin etiam devota mente tuentur

Victorique favent. Quotiens sociare catervas

Oravit iungique tuis Alamannia signis!

Nec doluit contempta tamen, spretoque recessit 235

Auxilio laudata fides. Provincia missos

Expellet citius fasces quam Francia reges,

Quos dederis. Acie nec iam pulsare rebelles,

Sed vinclis punire licet; sub iudice nostro

Regia Romanus disquirit crimina carcer: 240

Marcomeres Sunnoque docet; quorum alter Etruscum

Pertulit exilium; cum se promitteret alter

Exulis ultorem, iacuit mucrone suorum:

Res avidi concire novas odioque furentes

Pacis et ingenio scelerumque cupidine fratres. 245
 Post domitas Arctos alio prorupit ab axe
 Tempestas et, ne qua tuis intacta tropaeis
 Pars foret, Australis sonuit tuba. Moverat omnes
 Maurorum Gildo populos, quibus inminet Atlas
 Et quos interior nimio plaga sole relegat: 250
 Quos vagus umectat Cinyps et proximus hortis
 Hesperidum Triton et Gir notissimus amnis
 Aethiopum, simili mentitus gurgite Nilum;
 Venerat et parvis redimitus Nuba sagittis
 Et velox Garamas, nec quamvis tristibus Hammon 255
 Responsis alacrem potuit Nasamona morari.
 Stipantur Numidae campi, stant pulvere Syrtes
 Gaetulae, Poenus iaculis obtexitur aer.
 Hi virga moderantur equos; his fulva leones
 Velamenta dabant ignotarumque ferarum 260
 Exuviae, vastis Meroe quas nutrit harenis;
 Serpentum patulos gestant pro casside rictus;
 Pendent viperae squamosa pelle pharetrae.
 Non sic intremuit Simois, cum montibus Idae
 Nigra coloratus produceret agmina Memnon, 265
 Non Ganges, cum tela procul vibrantibus Indis
 Inmanis medium vectaret belua Porum.
 Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli,
 Gildo nempe tibi.
 Nec solum fervidus Austrum,
 Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas. 270
 Quamvis obstreperet pietas, his ille regendae
 Transtulerat nomen Libyae scelerique profano
 Fallax legitimam regni praetenderat umbram.
 Surgebat geminum varia formidine bellum,
 Hoc armis, hoc triste dolis. Hoc Africa saevis 275
 Cinxerat auxiliis, hoc coniuratus alebat
 Insidiis Oriens. Illinc edicta meabant
 Corruptura duces; hinc frugibus atra negatis
 Vrgebat trepidamque fames obsederat urbem.
 Exitiale palam Libycum; civile pudoris 280

Obtentu tacitum.

Tales utrimque procellae
 Cum fremerent lacerumque alternis ictibus anceps
 Imperium pulsaret hiems, nil fessa remisit
 Officii virtus contraque minantia fata
 Pervigil eventusque sibi latura secundos 285
 Maior in adversis micuit: velut arbiter alni,
 Nubilus Aegaeo quam turbine vexat Orion,
 Exiguo clavi flexu declinat aquarum
 Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina
 Callidus, et pelagi caelique obnititur irae. 290
 Quid primum, Stilicho, mirer? quod cautus ad omnes
 Restiteris fraudes, ut te nec noxia furto
 Littera nec pretio manus inflammata lateret?
 Quod nihil in tanto circum terrore locutus
 Indignum Latio? responsa quod ardua semper 295
 Eois dederis, quae mox effecta probasti
 Securus, quamvis et opes et rura tenerent
 Insignesque domos? Levis haec iactura; nec umquam
 Publica privatae cesserunt commoda causae.
 Dividis ingentes curas teque omnibus unum 300
 Obicis, inveniens animo quae mente gerenda,
 Efficiens patranda manu, dictare paratus
 Quae scriptis peragenda forent. Quae brachia centum,
 Quis Briareus aliis numero crescente lacertis
 Tot simul obiectis posset configere rebus: 305
 Evitare dolos; veteres firmare cohortes,
 Explorare novas; duplices disponere classes,
 Quae fruges aut bella ferant; aulaeque tumultum
 Et Romae lenire famem? Quot nube soporis
 Immunes oculi per tot discurrere partes, 310
 Tot loca sufficerent et tam longinqua tueri?
 Argum fama canit centeno lumine cinctum
 Corporis excubiis unam servasse iuvenecam!
 Vnde tot adlatae segetes? quae silva carinas
 Texuit? Vnde rudis tanto tirone iuventus 315
 Emicuit senioque iterum vernante resumpsit

Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
 Non ego dilectu, Tyrii sed vomere Cadmi
 Tam subitas acies concepto dente draconis
 Exiluisse reor: Dircaeis qualis in arvis 320
 Messis cum proprio mox bellatura colono
 Cognatos strinxit gladios, cum semine iacto
 Terrigenae galea matrem nascente ferirent
 Armifer et viridi floreret milite sulcus.
 Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui, 325
 Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
 Ordine quam prisco censeret bella senatus.
 Neglectum Stilicho per tot iam saecula morem
 Rettulit, ut ducibus mandarent proelia patres
 Decretoque togae felix legionibus iret 330
 Tessera. Romuleas leges rediisse fatemur,
 Cum procerum iussis famulantia cernimus arma.
 Tyrrenum poteras cunctis transmitters signis
 Et ratibus Syrtes, Libyam complere manipulis;
 Consilio stetit ira minor, ne territus ille 335
 Te duce suspecto Martis graviore paratu
 Aut in harenosos aestus zonamque rubentem
 Tenderet aut solis fugiens transiret in ortus
 Missurusve sibi certae solacia mortis
 Oppida dirueret flammis. Res mira relatu: 340
 Ne timeare times et, quem vindicta manebat,
 Desperare vetas. Quantum fiducia nobis
 Profuit! hostilis salvae Carthaginis arces;
 Inlaesis Tyrii gaudent cultoribus agri,
 Quos potuit vastare fuga. Spe captus inani 345
 Nec se subripuit poenae nostrisque pepercit
 Demens: qui numero tantum, non robore mensus
 Romanos rapidis ibat ceu protinus omnes
 Calcaturus equis et, quod iactare solebat,
 Solibus effetos mersurus pulvere Gallos. 350
 Sed didicit non Aethiopum geminata venenis
 Vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,
 Non equitum nimbos Latiis obsistere pilis.

Sternitur ignavus Nasamon, nec spicula supplex
Iam torquet Garamas; repetunt deserta fugaces 355
Autololes; pavidus proiecit missile Mazax.

Cornipedem Maurus nequiquam hortatur anhelum;
Praedonem lembo profugum ventisque repulsum
Suscepit merito fatalis Tabraca portu
Expertum, quod nulla tuis elementa paterent 360
Hostibus, et laetae passurum iurgia plebis
Fracturumque reos humili sub iudice vultus.

Nil tribuat Fortuna sibi. Sit prospera semper
Illa quidem; sed non uni certamina pugnae
Credidimus totis nec constitit alea castris 365
Nutatura semel; si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant aliae post terga biremes;
Venturus dux maior erat.

Victoria nulla

Clarius aut hominum votis optatior umquam
Contigit. An quisquam Tigranen armaque Ponti 370
Vel Pyrrhum Antiochique fugam vel vincla Iugurthae
Conferat aut Persen debellatumque Philippum?

Hi propagandi ruerant pro limite regni;
Hic stabat Romana salus. Ibi tempora tuto
Traxerunt dilata moras; hic vincere tarde 375

Vinci paene fuit. Discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit;
Et tantum Libyam fructu maiore recepit
Quam peperit, quantum graviolem amissa dolorem
Quam necdum quaesita movent. Quis Punica gesta, 380

Quis vos, Scipiadae, quis te iam, Regule, nosset,
Quis lentum caneret Fabium, si iure perempto
Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Haec omnis veterum revocavit adorea laurus.
Restituit Stilicho cunctos tibi, Roma, triumphos. 385

384 laurus] *scripsi*; lauros.

DE CONSVLATV STILICHONIS.

LIBER SECVNDVS.

(XXII.)

Hactenus armatae laudes: nunc qualibus orbem
 Moribus et quanto frenet metuendus amore,
 Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
 Induerit fastisque suum concesserit annum,
 Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis. 5

Principio magni custos Clementia mundi,
 Quae Iovis incoluit zonam, quae temperat aethram
 Frigoris et flammae medio; quae maxima natu
 Caelicolum. Nam prima chaos Clementia solvit
 Congeriem miserata rudem vultuque sereno 10
 Discussis tenebris in lucem saecula fudit.

Haec dea pro templis et ture calentibus aris
 Te fruitur posuitque suas hoc pectore sedes.
 Haec docet ut poenis hominum vel sanguine pasci
 Turpe ferumque putes; ut ferrum, Marte cruentum, 15
 Siccum pace feras; ut non infensus alendis
 Materiem praestes odiis; ut sontibus ultro
 Ignovisse velis, deponas ocius iram

Quam moveas, precibus numquam implacabilis obstes,
 Obvia prosternas prostrataque more leonum 20
 Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
 Transiliunt praedas humiles. Hac ipse magistra
 Das veniam victis, hac exorante calores
 Horrificos et quae, numquam nocitura, timentur
 Iurgia contentus solo terrore coerces 25

Aetherii patris exemplo, qui cuncta sonoro
 Concutiens tonitru Cyclosum spicula differt
 In scopulos et monstra maris nostrique cruoris
 Pareus in Oetaeis exercet fulmina silvis.

Huic divae germana Fides eademque sorori 30
 Corde tuo delubra tenens sese omnibus actis

Inserit. Haec docuit nullo livescere fucō,
 Numquam falsa loqui, numquam promissa morari;
 Invisos odisse palam, non virus in alto
 Condere, non laetam speciem praemittere fraudi, 35
 Sed certum mentique parem componere vultum;
 Occulto saevire vetat, prodesse remittit.
 Haec et amicitias longo plus tempore firmat
 Mansuroque adamante ligat; nec mobile mutat
 Ingenium: parvae strepitu nec vincula noxae 40
 Dissolvi patitur nec fastidire priorem
 Illicitur veniente novo. Benefacta tenere,
 Respuere offensas facilis, pariterque minoris
 Officii magnique memor superare laborat
 Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos. 45
 Haec fovet absentes, haec longe sola remotis
 Consulit, haec nullis avidam rumoribus aurem
 Pandit, ut ignarum numquam laesura clientem
 Insidiosa tuos alienent murmura sensus.

Nec vivis adnexus amor meminisse sepultos 50
 Desinit; in prolem transcurrit gratia patrum.
 Hac tu Theodosium, tenuit dum scepra, colebas,
 Hac etiam post fata colis; nec pignora curas
 Plus tua quam natos, dederat quos ille monendos
 Tutandosque tibi. Iustos nimiumque fideles 55
 Fama putat, qui, cum possint commissa negare,
 Maluerint nullo violati reddere quaestu.
 At Stilicho non divitias aurique relictum
 Pondus, sed geminos axes tantumque reservat
 Depositum teneris, quantum sol igneus ambit. 60
 Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
 Creditur?

Hoc clipeo munitus Honorius altum
 Non gemuit patrem vitaeque et lucis in ipso
 Limine, contemptus numquam, dat iura subactis
 Gentibus et secum sentit crevisse triumphos. 65
 Quem tu sic placida formas, sic mente severa,
 Ut neque desidia tradas, dum pronus ad omne

Quod libet obsequeris, nec contra nixus ovantem
Confringas animum; secreto consona regno
Ceu iuvenem doceas, moles quid publica poscat: 70
Ceu sanctum venerere senem patriisque gubernes
Imperium monitis; dominum summissus adores,
Obsequiis moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit ut primos in coniuge disceret ignes
Ordinque virum non luxuriante iuventa, 75
Sed cum lege tori, casto cum foedere vellet.
Principe tu felix genero: felicior ille
Te socero.

Fratrem levior nec cura tuetur
Arcadium; nec, si quid iners atque impia turba
Praetendens proprio nomen regale furori 80
Audeat, adscribis iuveni. Discordia quippe
Cum fremeret, numquam Stilicho sic canduit ira,
Saepe lacessitus probris gladiisque petitus,
Vt bello Furias ultum, quas pertulit, iret
Inlicito causamque daret civilibus armis: 85
Cuius fulta fide mediis dissensibus aulae
Intemeratorum stabat reverentia fratrum.
Quin et Sidonias chlamydes et cingula bacis
Aspera gemmatasque togas viridesque smaragdo
Loricas galeasque redundantes hyacinthis 90
Gestatosque patri capulis radiantibus enses
Et vario lapidum distinctas igne coronas
Dividis ex aequo: ne non augusta supellex
Ornatusque pares geminis heredibus essent.
Mittitur et miles, quamvis certamine partes 95
Iam tumeant. Hostem muniri robore mavis
Quam peccare fidem: permittis iusta petenti
Idque negas solum, cuius mox ipse repulsa
Gaudeat et quidquid fuerat deforme mereri.

Omnes praeterea, puro quae crimina pellunt 100
Ore, deae iunxere choros unoque receptae
Pectore diversos tecum cinguntur in usus.
Iustitia utilibus rectum praeponere suadet

Communesque sequi leges iniustaque numquam
 Largiri sociis. Durum Patientia corpus 105
 Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori;
 Temperies, ut casta petas; Prudentia, ne quid
 Inconsultus agas; Constantia, futtile ne quid
 Infirmumque geras. Procul importuna fugantur
 Numina, monstriferis quae Tartarus edidit antris: 110
 Ac primam scelerum matrem, quae semper habendo
 Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
 Trudis Avaritiam; cuius foedissima nutrix
 Ambitio, quae vestibulis foribusque potentum
 Excubat et pretiis commercia pascit honorum, 115
 Pulsa simul. Nec te gurges corruptior aevi
 Traxit ad exemplum, qui iam firmaverat annis
 Crimen et in legem rapiendi verterat usum.
 Denique non dives sub te pro rure paterno
 Vel laribus pallet; non insidiator oberrat 120
 Facturus quemcumque reum; non obruta virtus
 Paupertate latet. Lectos ex omnibus oris
 Evehis et meritum, non quae cunabula, quaeris
 Et qualis, non unde satus. Sub teste benigno
 Vivitur; egregios invitant praemia mores. 125
 Hinc priscae redeunt artes; felicibus inde
 Ingeniis aperitur iter despectaque Musae
 Colla levant opibusque fluens et pauper eodem
 Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque
 Quod nec inops iaceat probitas nec inertia surgat 130
 Divitiis.

Nec te iucunda fronte fefellit
 Luxuries, praedulce malum, quae dedita semper
 Corporis arbitriis hebetat caligine sensus
 Membraque Circaeis effeminat acrius herbis,
 Blanda quidem vultus, sed qua non taetrius ulla 135
 Interius: fucata genas et amicta dolosis
 Inlecebris torvos auro circumlinit hydros.
 Illa voluptatum multos innexuit hamis:
 Te numquam conata capit. Non prava libido

Stupris advigilat; non tempora somnus agendi 140
 Frustratur; nullo citharae convivia cantu,
 Non pueri lasciva sonant. Quis cernere curis
 Te vacuum potuit? quis tota mente remissum
 Aut indulgentem dapibus, ni causa iuberet
 Laetitiae? Non indecores aeraria lassant 145
 Expensae; parvo non improba littera libro
 Absentum condonat opes. A milite parcus
 Diligeris; neque enim neglectas pace cohortes
 Tunc ditas, cum bella fremunt. Scis nulla placere
 Munera, quae metuens illis, quos spreverat, offert 150
 Serus et incassum servati prodigus auri.
 Antevenis tempus non expectantibus ultro
 Munificus mensaeque adhibes et nomine quemque
 Compellas clari, sub te quod gesserat olim,
 Admonitum facti figendaque sensibus addis 155
 Verba, quibus magni geminatur gratia nodi.
 Nec, si quid tribuas, iactatum saepius idem
 Exprobrare soles nec, quos promoveris, alto
 Turgidus adloqueris fastu nec prospera flatus
 Attollunt nimios. Quin ipsa Superbia longe 160
 Discessit, vitium rebus sollemne secundis
 Virtutumque ingrata comes. Contingere passim
 Adfarique licet. Non inter pocula sermo
 Captatur, pura sed libertate loquendi
 Seria quisque iocis nulla formidine miscet. 165
 Quem videt Augusti socerum regnique parentem,
 Miratur conviva parem, cum tanta potestas
 Civem lenis agat. Te doctus prisca loquentem,
 Te matura senex audit, te fortia miles
 Adpersis salibus, quibus haud Amphiona quisquam 170
 Praeferat Aonios meditantem carmine muros
 Nec velit Orpheo migrantes pectine silvas.
 Hinc amor, hinc veris et non fallacibus omnes
 Pro te solliciti votis; hinc nomen ubique
 Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris. 175
 Quae non incudes streperent, quae flamma vacaret

Fabrilis, quantis fluerent fornacibus aera
 Effigies ductura tuas, quis devius esset
 Angulus aut regio quae non pro numine vultus
 Dilectos coleret, talem ni semper honorem 180
 Respueres? Decus hoc rapiat, quem falsa timentum
 Munera decipiunt, qui se diffidit amari.

Hoc solus sprevisse potest, qui iure meretur.

Vndique legati properant generique sub ore
 In tua centenas optant praeconia voces. 185

Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi

Et metuens hostile nihil nova culmina totis
 Aedificat ripis et saevum gentibus annem
 Thybridis in morem domibus praevelat amoenis.

Hinc Poeni cumulant laudes, quod rura tyranno 190

Libera possideant; hinc obsidione solutus

Pannonius poterque Savi, quod clausa tot annis

Oppida laxatis ausus iam pandere portis

Rursum cote novat nigras rubigine falces

Exesosque situ cogit splendere ligones 195

Agnoscitque casas et collibus oscula notis

Figit et impresso glaebis non credit aratro,

Exsectisque, inculta dabant quas saecula, silvis

Restituit terras et opacum vitibus Histrum

Conserit et patrium vectigal solvere gaudet, 200

Immunis qui clade fuit. Te sospite fas est

Vexatum laceri corpus iuvenescere regni.

Sub tot principibus quaecumque amisimus olim,

Tu reddis. Solo poterit Stilichone medente

Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix; 205

Inque suos tandem fines redeunte colono

Illyricis iterum ditabitur aula tributis.

Nec tamen humano cedit caeleste favori

Iudicium: cingunt superi concordibus unum

Praesidiis hostesque tuos aut litore produnt 210

Aut totum oppositi claudunt fugientibus aequor

Aut in se vertunt furiis aut militis ense
 Bacchati laniant Pentheo corpora ritu;
 Insidias retegunt et in ipsa cubilia fraudum
 Ducunt ceu tenera venantem nare Molossi. 215
 Ominibus ventura notant aut alite monstrant
 Aut monitos certa dignantur imagine somnos.

Pro quibus innumerae trabearum insignia terrae
 Certatim petiere tibi. Poscentibus ipse
 Restiteras et mens, aliorum prona favori, 220
 Iudex dura sui, facibus succensa pudoris
 Tarda verecundis excusat praemia causis.
 Ergo avidae tantosque novi spe consulis annos
 Elusae dominae pergunt ad limina Romae,
 Si minus adnuerit precibus, vel cogere certae 225
 Cunctantem votoque moras auferre paratae.
 Conveniunt ad tecta deae, quae candida lucent
 Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervae
 Nexa comam foliis fulvaeque intexta micantem
 Veste Tagum tales profert Hispania voces: 230

‘Cuncta mihi semper Stilicho, quaecumque poposci,
 Concessit tantumque suos invidit honores.
 Augusti potuit soceri contemnere fasces:
 Iam negat et genero. Si non ut ductor ab orbe
 Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula. 235
 Exiguumne putat, quod sic amplexus Hiberam
 Progeniem nostros inmoto iure nepotes
 Sustinet, ut patrium commendet purpura Baetim?
 Quod pulchro Mariae fecundat germine regnum?
 Quod dominis speratur avus?’ 240

Tum flava repexo
 Gallia crine ferox evinctaque torque decoro
 Binaque gaesa tenens animoso pectore fatur:
 ‘Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
 Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
 Nescit adhuc nomen, quod iam numerare decebat? 245

Vsque adeone levis pacati gloria Rheni?’

Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cuius vestigia verrit
Caerulus Oceanique aestum mentitur amictus:
‘Me quoque vicinis pereuntem gentibus’ inquit 250
‘Munivit Stilicho, totam cum Scottus Hivernen
Movit et infesto spumavit remige Tethys.

Illius effectum curis, ne tela timerem
Scottica, ne Pictum tremere, ne litore toto
Prospererem dubiis venturum Saxona ventis’. 255

Tum spicis et dente comas inlustris eburno
Et calido rubicunda die sic Africa fatur:
‘Sperabam nullas trabeis Gildone perempto
Nasci posse moras. Etiam nunc ille repugnat
Et tanto dubitat fasces praebere triumpho, 260
Qui mihi Maurorum penitus lacrimabile nomen
Ignorare dedit?’

Post has Oenotria lentis
Vitibus intorquens hederas et palmite largo
Vina fluens: ‘Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis’ ait ‘quas sola iuvare 265
Fama potest, quanto me dignius incitat ardor,
Vt praesente fruar conscendentemque tribunal
Prosequar atque anni pandentem claustra salutem?’

Talibus alternant studiis Romamque precantes,
Pro cunctis, hortantur, eat. Nec segnus illa 270
Paruit officio, raptis sed protinus armis
Ocior excusso per nubila sidere tendit,
Transvehitur Tuscos Appenninusque volatu
Stringitur. Eridanus clipei iam fulgurat umbra;
Constitit ante ducem tetrica nec Pallade vultum 275
Deterior nec Marte minor. Tremit orbe corusco
Iam domus et summae tangunt laquearia cristae,
Tum prior attonitum gratis adfata querellis:

‘Servatas, Stilicho, per te, venerande, curules,
Ornatas necdum fateor. Quid profuit anni 280
Servilem pepulisse notam? Defendis honorem,

Quem fugis, et spernis, tota quem mole tueris?
 Respuis oblatum, pro quo labente resistis?
 Quae iam causa morae? quo me cunctabere rursus
 Ingenio? Nullus Boreae metus, omnis et Austri 285
 Ora silet: cecidit Maurus, Germania cessit
 Et Ianum pax alta ligat. Te consule necdum
 Digna feror? Titulumne levem parviq̄ue nitoris
 Credimus, Augusti quo se decorare fatentur,
 Sub iuga quo gentes captivis regibus egi? 290

'Non, si prodigiis casus natura futuros
 Signat, polluimur macula. Quod reris, Eois
 Omen erat. Quamquam nullis mihi cognita rebus
 Fabula; vix tanto risit de crimine rumor.

Opprobrii stat nulla fides nec littera venit 295

Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
 Est tua quod, nostros qui consulis omnia patres,
 De monstris taceas. Pellendi denique nulla
 Dedecoris sanctum violant oracula coetum
 Nec mea funestum versavit curia nomen. 300

Pars sceleris dubitasse fuit: quaecumque profana
 Pagina de primo venisset limine Phoebi,
 Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
 Auribus Italiae fractorum exempla nocerent.

Publicus ille furor, quantum tua cura peregit, 305

Secretum meruit. Laetetur quisquis Eoos
 Scribere desierit fastos: portenta Gabinos
 Ista latent; propriam labem texisse laborent.
 Cur ego, quem numquam didici sensive creatum,
 Gratuler exemptum? Delicti paenitet illos: 310
 Nos nec credidimus.

'Fuerit tamen omnibus unum
 Crimen et ad nostras manaverit usque secures:
 Plus ideo sumenda tibi fastigia vitas,
 Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
 Semper erat. Nullo sarciri consule damnum 315

Excepto Stilichone potest. Bene praescia tempus
 Mens tua distulerat; titulo tunc crescere posses,
 Nunc per te titulus. Consul succurre gravatis
 Consulibus, quicumque fuit, quicumque futurus;
 Annum redde tuum, quem iam segura sequatur 320
 Posteritas nec iam doleat defensa vetustas.
 Sic trabeis ultor Stilicho Brutusque repertor.
 Libertas populi primo tunc consule Bruto
 Reddita per fasces; hic fascibus expulit ipsis
 Servitium. Instituit sublimem Brutus honorem; 325
 Adseruit Stilicho. Plus est servasse repertum,
 Quam quaesisse novum. Quid tardius ore rubenti
 Adnais et solitus frontem circumfluit ignis?
 Tandem vince tuum, vincis qui cuncta, pudorem.
 'Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo 330
 Posse queas, mirare libens ac suscipe cinctus,
 Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
 Pectine: tincta simul repetito murice fila
 Contulimus pensis et eodem nevimus auro,
 Aurea quo Lachesis sub te mihi saecula texit. 335
 Hic ego promissam subolem sperataque mundo
 Pignora praelusi. Veram mox ipse probabis
 Me vatem nostraeque fidem venientia telae
 Fata dabunt.'

Dixit gremioque rigentia profert

Dona, graves auro trabeas. Insigne Minervae 340
 Spirat opus. Rutilis hic pingitur aula columnis
 Et sacri Mariae partus; Lucina dolores
 Solatur; residet fulgente puerpera lecto;
 Sollicitae iuxta pallescunt gaudia matris.
 Susceptum puerum redimitae tempora Nymphae 345
 Auri fonte lavant: teneros de stamine risus
 Vagitusque audire putes. Iam creverat infans
 Ore ferens patrem: Stilicho maturior aevi
 Martia recturo tradit praecepta nepoti.
 Parte alia spumis fucantem Serica frena 350
 Sanguineis primae signatus flore iuventae

Eucherius flectebat equum iaculisque vel arcu
 Aurea purpureos tollentes cornua cervos
 Aureus ipse ferit. Venus hic invecta columbis
 Tertia regali iungit conubia nexu, 355
 Pennatique nurum circumstipantur Amores
 Progenitam Augustis Augustorumque sororem.
 Eucherius trepido iam flammea sublevat ore
 Virginis; adridet retro Thermantia fratri.
 Iam domus haec utroque petit diademata sexu 360
 Reginasque parit reginarumque maritos.

Talibus invitat donis dextraque gerendum
 Diva simul porrexit ebur; sollempnibus urnam
 Commovet auspiciis avibusque incepta secundat.
 Tunc habiles armis umeros iam vestibus ambit 365
 Romuleis; Latii sederunt pectore cultus
 Loricaeque locum decuit toga. Talis ab Histro
 Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe
 Deposito mitis clipeo candentibus urbem
 Ingreditur trabeatus equis; spatiosa Quirinus 370
 Frena regit currumque patris Bellona cruentum
 Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum
 Praecedit, lictorque Metus cum fratre Pavore
 Barbara ferratis innectunt colla catenis
 Velati galeas lauro, propiusque iugales 375
 Formido ingentem vibrat succincta securim.

Vidit ut optato se consule Roma potitam:
 'Nunc' ait 'Elysii lucos inrumpere campi,
 Nunc libet, ut tanti Curiis miracula voti
 Fabriciisque feram, famae qui vulnere nuper 380
 Calcatam flevere togam: iam prata choreis
 Pulsent nec rigidos pudeat luisse Catones.
 Audiat hoc senior Brutus Poenisque tremendi
 Scipiadae, geminis tandem quod libera damnis
 Vnius auxilio fasces Libyamque recepi. 385
 Quod superest unum precibus, fortissime consul,
 Adde meis, urbique tuum largire parumper,
 Quem rogat, adventum: quam tu belloque fameque

Depulsa terris iterum regnare dedisti.
 Splendida suscipiant alium te rostra Camillum, 390
 Vitorem videant servatoremque Quirites
 Et populus quem ductor ames: quibus Africa per te
 Nec prius auditas Rhodanus iam donat aristas,
 Vt mihi vel Massyla Ceres vel Gallica prosit
 Fertilitas messesque vehat nunc umidus Auster, 395
 Nunc Aquilo, cunctis ditescant horrea ventis.

‘Quae tunc Flaminiam stipabunt milia vulgi!
 Fallax o quotiens pulvis deludet amorem
 Suspensum, veniens omni dum crederis hora!
 Spectabunt cupidae matres, spargentur et omnes 400
 Flore viae, superet cum Pincia culmina consul
 Arduus, antiqui species Romana senatus.
 Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus!
 Ad caelum quotiens vallis tibi Murcia ducet
 Nomen Aventino Pallanteoque recussum! 405
 Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis
 Mox et cum genero trabeis visura secundis.’

Haec dum Roma refert, iam Fama loquacibus alis
 Pervolat Oceanum, linguis et mille citatos
 Festinare iubet proceres, nullique senectus, 410
 Non iter hibernis obstant nec flatibus Alpes:
 Vincit amor. Meriti pridem clarique vetustis
 Fascibus ad socii properant et vindicis annum.
 Sic ubi fecunda reparavit morte iuventam
 Et patrios idem cineres collectaque portat 415
 Vnguibus ossa piis Nilique ad litora tendens
 Vnicus extremo Phoenix procedit ab Euro:
 Conveniunt aquilae cunctaeque ex orbe volucres,
 Vt Solis mirentur avem; procul ignea lucet
 Ales, odorati redolent et cinnama busti. 420

Nec minor in caelo chorus est; exultat uterque
 Theodosius divique tui; Sol ipse quadrigis
 Vere coronatis dignum tibi praeparat annum.

Est ignota procul nostraeque impervia genti,

Vix adeunda deis, annorum squalida mater, 425
 Immensi spelunca aevi, quae tempora vasto
 Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,
 Omnia qui placido consumit numine, serpens
 Perpetuumque viret squamis caudamque reductam
 Ore vorat tacito relegens exordia lapsu. 430

Vestibuli custos vultu longaeva decoro
 Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes
 Dependent membris animae. Mansura verendus
 Scribit iura senex, numeros qui dividit astris
 Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt 435
 Ac pereunt fixis cum legibus. Ille recenset,
 Incertum quid Martis iter certumque Tonantis
 Prospiciat mundo; quid velox semita Lunae
 Pigraque Saturni; quantum Cytherea sereno
 Curriculo Phoebique comes Cyllenius erret. 440

Illius ut magno Sol limine constitit antri,
 Occurrit Natura potens seniorque superbis
 Canitiem inclinat radiis. Tum sponte reclusus
 Laxavit postes adamas, penetrare profundum
 Panditur et sedes aevique arcana patescunt. 445
 Hic habitant vario facies distincta metallo
 Saecula certa locis: illic glomerantur aena,
 Hic ferrata rigent, illic argentea candent.
 Eximia regione domus, contingere terris
 Difficilis, rutili stabat grex aureus anni: 450
 Quorum praecipuum pretioso corpore Titan
 Signandum Stilichone legit; tunc imperat omnes
 Pone sequi dictisque simul compellat euntes:

‘En, cui distulimus melioris saecula metalli,
 Consul adest. Ite optati mortalibus anni, 455
 Ducite virtutes; hominum florescite rursus
 Ingeniis hilares Baccho frugumque feraces.
 Non inter geminos Anguis glaciale Triones
 Sibilet, inmodico nec frigore saeviat Vrsa.
 Non toto fremat ore Leo, nec brachia Cancri 460
 Vrat atrox aestas, madidae nec prodigus urnae

Semina praerupto dissolvat Aquarius imbre.
 Phrixeus roseo producat fertile cornu
 Ver Aries, pingues nec grandine tundat olivas
 Scorpius; autumni maturet germina Virgo, 465
 Lenior et gravidis adlatret Sirius uvis.
 Sic fatus croceis rorantes ignibus ortus
 Ingreditur vallemque suam, quam flammeus ambit
 Rivus et inriguis largum iubar ingerit herbis,
 Quas Solis pascuntur equi; flagrantibus inde 470
 Caesariem sertis et lutea lora iubasque
 Subligat alipedum. Gelidas hinc Lucifer ornat,
 Hinc Aurora comas iuxtaque adludit habenis
 Aureus et nomen praetendit consulis Annus:
 Inque novos iterum revoluto cardine cursus 475
 Scribunt aetheriis Stilichonem sidera fastis.

DE CONSVLATV STILICHONIS.

LIBER TERTIVS. PRAEFATIO.

(XXIII.)

Maior Scipiades, Italis qui solus ab oris
 In proprium vertit Punica bella caput,
 Non sine Pieriis exercuit artibus arma:
 Semper erat vatium maxima cura duci.
 Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas; 5
 Carmen amat quisquis carmine digna gerit.
 Ergo seu patriis primaevus manibus ultor
 Subderet Hispanum legibus Oceanum,
 Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires
 Inferret Libyco signa tremenda mari: 10
 Haerebat doctus lateri castrisque solebat
 Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Illi post lituos pedites favere canenti
Laudavitque nova caede cruentus eques.
Cumque triumpharet gemina Carthagine victa 15
(Hanc vindex patri vicerat, hanc patriae),
Cum longi Libyam tandem post funera belli
Ante suas maestam cogeret ire rotas:
Advexit reduces secum Victoria Musas
Et sertum vati Martia laurus erat. 20

Noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter
Hannibal antiquo saevior Hannibale,
Te mihi post quintos annorum, Roma, recursus
Reddidit et votis iussit adesse suis.

LIBER TERTIVS.

(XXIV.)

Quem populi plausu, procerum quem voce petebas,
Adspice, Roma, virum. Iam tempora desine longae
Dinumerare viae visoque adsurgere semper
Pulvere: non dubiis ultra torquebere votis.
Totus adest oculis, aderat qui mentibus olim, 5
Spe maior, fama melior. Venerare curulem,
Quae tibi restituit fasces; complectere dextram,
Sub iuga quae Poenos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur
Imperii, cuius libratur sensibus orbis. 10
Os sacrum, quod in aere colis, miraris in auro, *incompositum*
Cerne libens: hic est felix bellator ubique, *II 1750*
Defensor Libyae, Rheni pacator et Histri.
Ostentare suos prisco si more labores
Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas, 15
Certassent utroque pares a cardine laurus:
Haec Alamannorum spoliis, Australibus illa
Ditior exuviis; illinc flavente Sygambri
Caesarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.

Ipse albis veheretur equis currumque secutus 20
 Laurigerum festo fremisset carmine miles.
 Hi famulos traherent reges; hi facta metallo
 Oppida vel montes captivaeque flumina ferrent.
 Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes;
 Inde catenato gemeret Germania Rheno. 25
 Sed non inmodicus proprii iactator honoris
 Consul, Roma, tuus. Non illum praemia tantum
 Quam labor ipse iuvat; strepitus fastidit inanes
 Inque animis hominum pompa meliore triumphat.
 Non alium certe Romanae clarius arces 30
 Suscepere ducem, nec cum cedente rediret
 Fabricius Pyrrho nec cum Capitolia curru
 Pellaeae domitor Paullus conscenderet aulae.
 Nec similis Latias patefecit gloria portas
 Post Numidas Mario, post classica Martis Eoi 35
 Pompeio. Nulli pars aemula defuit umquam,
 Quae gravis obstreperet laudi, stimulisque malignis
 Facta sequebatur quamvis ingentia livor:
 Solus hic invidiae fines virtute reliquit
 Humanumque modum. Quis enim livescere possit, 40
 Quod numquam pereant stellae? quod Iuppiter olim
 Possideat caelum? quod noverit omnia Phoebus?
 Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis
 Invidiae mensura capit. Ductoribus illis
 Praeterea diversus erat favor: aequior ille 45
 Patribus invisus plebi; popularibus illi
 Munito studiis languebat gratia patrum.
 Omnis in hoc uno variis discordia cessit
 Ordinibus; laetatur eques plauditque senator
 Votaque patricio certant plebeia favori. 50
 O felix servata vocat quem Roma parentem!
 O mundi communis amor, cui militat omnis
 Gallia, quem regum thalamis Hispania nectit
 Cuius et adventum crebris petiere Quirites
 Vocibus et genero meruit praestante senatus! 55
 Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,

Prospera non fessis optantur flamina nautis,
 Vt tuus adspectus populo. Quae numine tanto
 Litora fatidicas attollunt Delia laurus,
 Venturi quotiens adfulsit Apollinis arcus? 60
 Quae sic aurifero Pactoli fonte tumescit
 Lydia, cum domitis adparuit Euhius Indis?
 Nonne vides et plebe vias et tecta latere
 Matribus? His, Stilicho, cunctis inopina reluxit
 Te victore salus! Septem circumspice montes, 65
 Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
 Indutosque arcus spoliis aequataque templa
 Nubibus et quidquid tanti struxere triumphi.
 Quantum profueris, quantam servaveris urbem,
 Attonitis metire oculis. Haec fabula certe 70
 Cuncta forent, si Poenus adhuc incumberet Austro.

Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
 Velaret, validis fuso qui viribus hoste
 Casurum potuit morti subducere civem.
 At tibi quae poterit pro tantis civica reddi 75
 Moenibus? aut quantae pensabunt facta coronae?
 Nec solam populi vitam debere fatetur
 Armis Roma tuis; sed, quo iucundior esset
 Lucis honoratae fructus, venerabile famae
 Pondus et amissas vires et regna recepit. 80
 Iam non praetumidi supplex Orientis ademptam
 Legatis poscit Libyam famulosve precatur
 (Dictu turpe) suos: sed robore freta Gabino
 Te duce Romana tandem se vindicat ira.
 Ipsa iubet signis bellaturoque togatus 85
 Imperat et spectant aquilae decreta senatus.
 Ipsa tibi trabeas ultro dedit, ipsa curulem
 Obtulit ultori fastosque ornare coegit.

Nil perdit decoris prisca nec libera quaerit
 Saecula, cum donet fasces, cum proelia mandet; 90
 Seque etiam crevisse videt. Quis Gallica rura,
 Quis meminit Latio Senonum servisse ligones?
 Aut quibus exemplis fecunda Thybris ab Arcto

Vexit Lingonico sudatas vomere messes?
 Illa seges non auxilium modo praebuit urbi, 95
 Sed fuit indicio, quantum tibi, Roma, liceret:
 Admonuit dominae gentes instarque tropaei
 Rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris.

Hoc quoque maiestas augetur plena Quirini,
 Rectores Libyae populo quod iudice pallent 100
 Et post emeritas moderator quisque secures
 Discrimen letale subit: quid Poenus arator
 Intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.
 Ardua qui late terris responsa dedere,
 Hic trepidant humiles; tremuit quos Africa nuper, 105
 Cernunt rostra reos. Cani virtutibus aevi
 Materiam pandit Stilicho populumque vetusti
 Culminis inmemorem dominandi rursus in usum
 Excitat, ut magnos calcet metuendus honores,
 Pendat iustitia crimen, pietate remittat 110
 Errorem purosque probet damnetque nocentes
 Et patrias iterum clemens exerceat artes.

Fallitur egregio quisquis sub principe credit
 Servitium. Numquam libertas gratior extat 115
 Quam sub rege pio. Quos praeficit ipse regendis
 Rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit
 Conceditque libens, meritis seu praemia poscant
 Seu punire velint. Posito iam purpura fastu
 De se iudicium non indignatur haberi.
 Sic docuit regnare socer, sic cauta iuventae 120
 Frena dedit, teneros sic moribus induit annos
 Verior Augusti genitor, fiducia belli,
 Pacis consilium: per quem squalore remoto
 Pristina Romuleis in floruit artibus aetas,
 Per quem fracta diu translataque paene potestas 125
 Non oblita sui servilibus exulat arvis,
 In proprium sed ducta larem victricia reddit
 Fata solo fruiturque iterum, quibus haeserat olim,
 Auspiciis capitique errantia membra reponit.

Proxime dis consul, tantae qui prospicis urbi, 130

Qua nihil in terris complectitur altius aether,
 Cuius nec spatium visus nec corda decorem
 Nec laudem vox ulla capit; quae luce metalli
 Aemula vicinis fastigia conserit astris;
 Quae septem scopulis zonas imitatur Olympi; 135
 Armorum legumque parens quae fundit in omnes
 Imperium primique dedit cunabula iuris.
 Haec est exiguis quae finibus orta tetendit
 In geminos axes parvaque a sede profecta
 Dispersit cum sole manus. Haec obvia fati 140
 Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
 Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes
 Et Gallum terris prosterneret, aequore Poenum,
 Numquam succubuit damnis et territa nullo
 Vulnere post Cannas maior Trebiamque fremebat 145
 Et, cum iam premerent flammae murumque feriret
 Hostis, in extremos aciem mittebat Hiberos
 Nec stetit Oceano remisque ingressa profundum
 Vincendos alio quaesivit in orbe Britannos.
 Haec est in gremium victos quae sola recepit 150
 Humanumque genus communi nomine fovit
 Matris, non dominae ritu, civesque vocavit
 Quos domuit nexuque pio longinqua revinxit.
 Huius pacificis debemus moribus omnes,
 Quod veluti patriis regionibus utitur hospes; 155
 Quod sedem mutare licet; quod cernere Thylen
 Lusus et horrendos quondam penetrare recessus;
 Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem;
 Quod cuncti gens una sumus. Nec terminus umquam
 Romanae dicionis erit. Nam cetera regna 160
 Luxuries vitiis odiisque superbia vertit:
 Sic male sublimis fregit Spartanus Athenas
 Atque idem Thebis cecidit; sic Medus ademit
 Assyrio Medoque tulit moderamina Perses;
 Subiecit Persen Macedo, cessurus et ipse 165
 Romanis. Haec auguriis firmata Sibyllae,
 Haec sacris animata Numae. Hinc fulmina vibrat

Iuppiter; hanc tota Tritonia Gorgone velat.
 Arcanas huc Vesta faces, huc orgia secum
 Transtulit et Phrygios genetrix turrita leones; 170
 Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
 Reptavit placido tractu, vectumque per undas
 Insula Paeonium texit Tiberina draconem.

Hanc tu cum superis, Stilicho praeclare, tueris,
 Protegis hanc clipeo patriam regumque ducumque 175
 Praecipueque tuam. Dedit haec exordia lucis
 Eucherio puerumque ferens hic regia mater
 Augusto monstravit avo; laetatus at ille
 Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem,
 Romaque venturi gaudebat praescia fati, 180
 Quod te iam tanto meruisset pignore civem.

Nec tamen ingratum nec, qui benefacta referre
 Nesciat, hunc credas populum. Si volvere priscos
 Annales libeat: quotiens hic proelia sumpsit
 Pro sociis! quotiens dono concessit amicis 185
 Regibus Ausonio quaesitas sanguine terras!
 Publica sed numquam tanto se gratia fudit
 Adsensu: quis enim princeps non omnibus egit
 Obsequiis dominum sese patremque vocari,
 Quod tibi continuis resonant convexa diebus? 190
 Macte novis consul titulis! Mavortia plebes
 Te dominum Bruto non indignante fatetur
 Et, quod adhuc nullo potuit terrore coacta
 Libertas Romana pati, Stilichonis amori
 Detulit. Exultant avidi, quocumque decorus 195
 Conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt
 Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu:
 Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,
 Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno
 Cingas iure forum, denso seu turbine vulgi 200
 Circumfusa tuae conscendant rostra secures.

Quae vero procerum voces, quam certa fuere
 Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis
 Ipsa duci sacras Victoria panderet aedes!

O palma viridi gaudens et amica tropaeis 205
 Custos imperii virgo, quae sola mederis
 Vulneribus nullumque doces sentire laborem:
 Seu tibi Dictaeae placuerunt astra Coronae
 Seu magis aestivo sedes vicina Leoni,
 Seu sceptrum sublime Iovis seu Palladis ambis 210
 Aegida, seu fessi mulces suspiria Martis:
 Adsis perpetuum Latio votisque senatus
 Adnue, diva, tui. Stilicho tua saepius ornet
 Limina teque simul rediens in castra reducat.
 Hunc bellis comitare favens, hunc redde togatum 215
 Consiliis. Semper placidis te moribus egit
 Servavitque piam victis nec polluit umquam
 Laurum saevitia. Cives nec fronte superba
 Despicit aut trepidam vexat legionibus urbem;
 Sed verus patriae consul cessantibus armis 220
 Contentus lictore venit nec inutile quaerit
 Ferri praesidium solo munitus amore.

Magnarum nec parcus opum geminare profundas
 Distulit impensas, sed post miracula castris
 Edita vel genero Romae maiora reservat. 225
 Auratos Rhodiis imbres nascente Minerva
 Indulsisse Iovem perhibent, Bacchoque paternum
 Iam pulsante femur mutatus palluit Hermus
 In pretium, votique famem passurus avari
 Ditabat rutilo quidquid Mida tangeret auro 230
 (Fabula seu verum canitur): tua copia vicit
 Fontem Hermi tactumque Midae pluviamque Tonantis.
 Obscurat veteres obscurabitque futuros
 Par donis armisque manus: si solveret ignis
 Quot dedit inmanes vili pro pondere massas 235
 Argenti, potuere lacus et flumina fundi.

Nec tibi, quae pariter silvis dominaris et astris,
 Exiguam Stilicho movit, Latonia, curam:
 Tu quoque nobiles spectacula nostra laboras
 Inlustrare feris summoque in vertice rupis 240
 Alpinae socias arcu cessante pudicas

Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
 Concilium. Veniunt umeros et brachia nude
 Armataeque manus iaculis et terga sagittis,
 Incomptae pulchraeque tamen; sudoribus ora 245
 Pulverulenta rubent, sexum nec cruda fatetur
 Virginitas; sine lege comae; duo cingula vestem
 Crure tenus pendere vetant. Praecedit amicas
 Flava Leontodame, sequitur nutrita Lycae
 Nebrophone telisque domat quae Maenala Thero. 250
 Ignea Cretaea properat Britomartis ab Ida
 Et cursu Zephyris numquam cessura Lycaste.
 Iungunt se geminae metuenda feris Hecaerge
 Et soror, optatum numen venantibus, Opis
 Progenitae Scythia: divas nemorumque potentes 255
 Fecit Hyperboreis Delos praelata pruinis.
 Hae septem venere duces; exercitus alter
 Nympharum incedunt, acies formosa Dianae,
 Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi
 Et totidem casto genuit quas flumine Ladon. 260
 Has ubi collectas vidit, sic Delia coepit:
 'O sociae, mecum thalami quae iura perosae
 Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
 Cernitis ut Latio superi communibus ornet
 Hunc annum studiis? quantos Neptunus equorum 265
 Donet ab orbe greges? laudi quod nulla canendae
 Fratris plectra vacent? Nostram quoque sentiat idem
 Quam meritis debemus opem. Non spicula poscit
 Iste labor; maneant clausis nunc sicca pharetris,
 Omnis et a solitis noster venatibus arcus 270
 Temperet; in solam cruor hic servetur harenam.
 Retibus et clatris dilata morte tenendae
 Ducendaeque ferae. Cupidas arcete sagittas;
 Consulis in plausum casuris parcite monstis.
 Acceleret divisa manus: mihi cursus anhelas 275
 Tenditur ad Syrtes, mecum Dictynna Lycaste
 Et comes Opis eat; steriles iuvat ire per aestus:
 Namque feras aliis tellus Maurusia donum

Praebuit, huic soli debet sed victa tributum.
 Dum nos horribiles Libyae scrutamur alumnos, 280
 Europae vos interea perquirite saltus
 Et scopulos. Posita ludat formidine pastor
 Securisque canat Stilichonem fistula silvis.
 Pacet muneribus montes qui legibus urbes.
 Dixit et extemplo frondosa fertur ab Alpe 285
 Trans pelagus; cervi currum subiere iugales,
 Quos decus esse deae primi sub limine caeli
 Roscida fecundis concepit Luna cavernis:
 Par nitor intactis nivibus; frons discolor auro
 Germinat et spatio summas aequantia fagos 290
 Cornua ramoso surgunt procera metallo.
 Opis frena tenet, fert retia rara Lycaste
 Auratasque plagas, immortalesque Molossi
 Latrantes mediis circum iuga nubibus ibant.
 Quinque aliae paribus (Phoebe sic iusserat) armis 295
 Diversa regione ruunt ducitque cohortem
 Quaeque suam. Varias formis et gente sequuntur
 Ingenioque canes. Illae gravioribus aptae
 Morsibus, hae pedibus celeres, hae nare sagaces,
 Hirsutaeque fremunt Cressae tenuesque Lacaenae 300
 Magnaque taurorum fracturae colla Britannae.
 Dalmatiae lucos abruptaque brachia Pindi
 Sparsa comam Britomartis agit. Tu Gallica cingis
 Lustra, Leontodame, Germanorumque paludes
 Eruis et si quis defensus harundine Rheni 305
 Vastus aper nimio dentes curvaverat aevo.
 Nubiferas Alpes Appenniniquae recessus
 Garganiquae nives Hecaeerge prompta fatigat.
 Speluncas canibus Thero rimatur Hiberas
 Informesque cavis ursos detrudit ab antris, 310
 Quorum saepe Tagus manantes sanguine rictus
 Non satiavit aquis et quos iam frigore segnes
 Pyrenaea tegit latebrosis frondibus ilex.
 Cyrnaeis Siculisque iugis venata virago
 Nebrophone cervos aliasque in vincula cogit 315

Non saevas pecudes, sed luxuriantis harenae
Delicias, pompam nemorum.

Quodcumque tremendum

Dentibus aut insigne iubis aut nobile cornu
Aut rigidum saetis, capitur decus omne timorque
Silvarum. Non cauta latent, non mole resistunt 320
Fortia, non volucris fugiunt pernicia cursu.
Haec laqueis innexa gemunt; haec clausa feruntur
Ilignis domibus. Fabri nec tigna polire
Sufficiunt; rudibus fagis texuntur et ornis
Fruentes caveae. Ratibus pars ibat onustis 325
Per freta vel fluvios: exanguis dextera torpet
Remigis et propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plaustra vias montanis plena triumphis
Et fera sollicitis vehitur captiva iuvenis, 330
Explebat quibus ante famem, quotiensque reflexi
Conspexere boves, pavidi temone recedunt.

Iamque pererratis Libyae flagrantibus oris
Legerat eximios Phoebi germana leones,
Hesperidas qui saepe fugant ventoque citatis 335
Terrificant Atlanta iubis armentaque longe
Vastant Aethiopum quorumque impune fragosa
Murmura pastorum numquam venire per aures.
Non illos taedae ardentes, non strata superne
Lapsuro virgulta solo, non vocibus haedi 340
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit;
Vltro se voluere capi gaudentque videri
Tantae praeda deae. Respirant pascua tandem;
Agricolae reserant iam tuta mapalia Mauri.
Tum virides pardos et cetera colligit Austri 345
Prodigia inmanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas auroque micantes
Inscripti rutilum caelato consule nomen
Per proceres et vulgus eant. Stupor omnibus Indis
Plurimus ereptis elephas inglorius errat 350
Dentibus: insedit nigra cervice gementum

Et fixum dea quassat ebur penitusque cruentis
 Stirpibus avulsis patulos exarmat hiatus.
 Ipsos quin etiam nobis miracula vellet
 Ducere: sed pigra cunctari mole veretur. 355

Tyrrhenas fetus Libycos amplexa per undas
 Classis torva sonat, caudamque in puppe retorquens
 Ad proram iacet usque leo: vix sublevat unum
 Tarda ratis! Fremitus stagnis auditur in imis
 Cunctaque prosiliunt cete terrenaque Nereus 360
 Confert monstra suis et non aequare fatetur.

Aequora sic victor quotiens per rubra Lyaeus
 Navigat, intorquet clavum Silenus et acres
 Adsudant tonsis Satyri taurinaque pulsu
 Baccharum Bromios invitant tympana remos: 365
 Transtra ligant hederæ, malum circumflua vestit
 Pampinus, antennis inlabitur ebria serpens,
 Perque mero madidos currunt saliuntque rudentes
 Lynces et insolitæ mirantur carbasa tigres.

357 torva] *Birtius*; turba.

PANEGYRICVS
DE SEXTO CONSVLATV HONORII AVGVSTI.

PRAEFATIO.

(XXVII.)

Omnia, quae sensuvolvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad silvas et sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigae somnia currus 5
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces
Et vigil elapsas quaerit avarus opes,
Blandaque largitur frustra sitientibus aegris
Inriguus gelido pocula fonte sopor. 10

Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus adsuetis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iovis;
Vtque favet somnus, plaudebant numina dictis 15
Et circumfusi sacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat victusque Typhoeus:
Hic subit Inarimen, hunc gravis Aetna domat.
Quam laetum post bella Iovem susceperat aether
Phlegraeae referens praemia militiae! 20

Additur ecce fides nec me mea lusit imago,
Inrita nec falsum somnia misit ebur.

En princeps, en orbis apex aequatus Olympo!

En quales memini, turba verenda, deos!

Fingere nil maius potuit sopor, altaque vati 25

Conventum caelo praebuit aula parem.

PANEGYRICVS.

(XXVIII.)

Aurea Fortunae Reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Haec dea pro meritis amplas sibi posceret aedes,
Quam sua cum pariter trabeis reparatur et urbi
Maiestas: neque enim campus sollemnis et urna 5

Luditur in morem, species nec dissona coetu
Aut peregrina nitet simulati iuris imago.
Indigenas habitus nativa palatia sumunt,
Et, patriis plebem castris sociante Quirino,
Mars Augusta sui renovat suffragia campi. 10
Qualis erit terris, quem mons Euandrius offert
Romanis avibus, quem Thybris inaugurat, annus?

Quamquam omnes, quicumque tui cognominis, anni
Semper inoffensum dederint successibus omen
Sintque tropaea tuas semper comitata secures, 15
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu,
Vrbis et Augusti geminato numine felix.

Namque velut stellas Babylonia cura salubres-
Optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Caelicolae cum celsa tenent summoque feruntur 20
Cardine nec radios humili statione recondunt:
Haud aliter Latiae sublimis Signifer aulae,
Imperii sidus propria cum sede locavit,
Auget spes Italas; et certius omina surgunt
Victrici concepta solo. 25

Cum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras,

Nil tum Castaliae rivis communibus undae
 Dissimiles, vili nec discrepat arbore laurus,
 Antraque maesta silent inconsultique recessus. 30
 At si Phoebus adest et frenis grypha iugalem
 Riphaeo tripodas repetens detorsit ab axe,
 Tunc silvae, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
 Tunc sacer horror aquis adytisque effunditur Echo
 Clarior et doctae spirant praesagia rupes.
 Ecce Palatino crevit reverentia monti 35
 Exultatque habitante deo potioraque Delphis
 Supplicibus late populis oracula pandit
 Atque suas ad signa iubet revirescere laurus.
 Non alium certe decuit rectoribus orbis
 Esse larem, nulloque magis se colle potestas 40
 Aestimat et summi sentit fastigia iuris.
 Attollens apicem subiectis regia rostris
 Tot circum delubra videt tantisque deorum
 Cingitur excubiis! Iuvat infra tecta Tonantis
 Cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas 45
 Caelatasque fores mediisque volantia signa
 Nubibus et densum stipantibus aethera templis
 Arvaque vestitis numerosa puppe columnis
 Consita subnixasque iugis inmanibus aedes,
 Naturam cumulante manu, spoliisque micantes 50
 Innumeros arcus. Acies stupet igne metalli
 Et circumfuso trepidans obtunditur auro.
 Agnoscisne tuos, princeps venerande, penates?
 Haec sunt, quae primis olim miratus in annis
 Patre pio monstrante puer. Nil optimus ille 55
 Divorum toto meruit felicius aevo,
 Quam quod Romuleis victor sub moenibus egit
 Te consorte dies, cum se melioribus addens
 Exemplis civem gereret terrore remoto,
 Alternos cum plebe iocos dilectaque passus 60
 Iurgia patriciasque domos privataque passim

Visere deposito dignatus limina fastu.
 Publicus hinc ardescit amor, cum moribus aequis
 Inclinat populo regale modestia culmen.
 Teque rudem vitae, quamvis diademate necdum 65
 Cingebare comas, socium sumebat honorum
 Purpureo fotum gremio, parvumque triumphis
 Imbuit et magnis docuit praeludere fati.
 Te linguis variae gentes missique rogatum
 Foedera Persarum proceres cum patre sedentem 70
 Hac quondam videre domo positoque tiaram
 Summisere genu. Tecum praelarga vocavit
 Ditandas ad dona tribus; fulgentia tecum
 Collecti trabeatus adit delubra senatus
 Romano puerum gaudens offerre favori, 75
 Vt novus imperio iam tunc adsuesceret heres.
 Hinc tibi concreta radice tenacius haesit
 Et penitus totis inolevit Roma medullis,
 Dilectaeque urbis tenero conceptus ab ungue
 Tecum crevit amor. Nec te mutare reversum 80
 Evaluit propria nutritor Bosphorus arce. *cf. Ven. 131*
 Et quotiens optare tibi quae moenia malle
 Adludens genitor regni pro parte dedisset,
 Divitis Aurorae solium sortemque paratam
 Sponte remittebas fratri: 'regat ille volentes 85
 Assyrios; habeat Pharium cum Tigride Nilum;
 Contingat mea Roma mihi.' Nec vota fefellit
 Eventus. Fortuna novum molita tyrannum
 Iam tibi quaerebat Latium belloque secundo
 Protinus Eoa velox accitus ab aula 90
 Suscipis Hesperiam patrio bis Marte receptam.
 Ipsa per Illyricas urbes Oriente relicto
 Ire Serena comes nullo deterrita casu,
 Materna te mente fovens Latioque futurum
 Rectorem generumque sibi seniore supernas 95
 Iam repetente plagas. Illo sub cardine rerum
 Sedula servatum per tot discrimina pignus
 Restituit sceptris patruī castrisque mariti.

Certavit pietate domus, fidaeque reductum
Coniugis officio Stilichonis cura recepit. 100

Felix ille parens, qui te securus Olympum
Succedente petit! quam laetus ab aethere cernit
Se factis crevisse tuis! Duo namque fuere
Europae Libyaeque hostes: Maurusius Atlas
Gildonis Furias, Alaricum barbara Peuce 105
Nutrierat, qui saepe tuum sprevere profana
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clausit aquis; alter praecepta vocantis
Respuit auxiliisque ad proxima bella negatis
Abiurata palam Libyae possederat arva: 110

Quorum nunc meritam repetens non inmemor iram
Suppliciis fruitur natoque ultore triumphat.

Ense Thyestiadae poenas exegit Orestes,
Sed mixtum pietate nefas dubitandaque caedis
Gloria, materno laudem cum crimine pensat; 115
Pavit Iuleos in viso sanguine manes

Augustus, sed falsa pii praeconia sumpsit
In luctum patriae civili strage parentans:
At tibi causa patris rerum coniuncta saluti
Bellorum duplicat laurus, isdemque tropaeis 120
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.

Sed mihi iam pridem captum Parnasia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys; arma Getarum
Nuper apud socerum plectro celebrata recenti.
Adventus nunc sacra tui libet edere Musis 125
Grataque patratis exordia sumere bellis.

Iam Pollentini tenuatus funere campi
Concessaque sibi (rerum sic admonet usus)
Luce, tot amissis sociis atque omnibus una
Direptis opibus, Latio discedere iussus 130
Hostis et immensi revolutus culmine fati
Turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,
Quae cunctis infensa fretis scelerumque referta
Divitiis multasque diu populata carinas
Incidit in magnam bellatricemque triremim, 135

Dum praedam de more putat; viduataque caesis
 Remigibus, scissis velorum debilis alis,
 Orba gubernaculis, antennis saucia fractis
 Ludibrium pelagi vento iactatur et unda,
 Vastato tandem poenas luitura profundo: 140
 Talis ab urbe minas retro flectebat inanes
 Italiam fugiens, et quae venientibus ante
 Prona fuit, iam difficilis, iam dura reversis.
 Clausa putat sibi cuncta pavor, retroque relictos
 Quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes. 145
 Vndosa tum forte domo vitreisque sub antris
 Rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas
 Volvebat pater Eridanus: quis bella maneret
 Exitus? imperiumne Iovi legesque placerent
 Et vitae Romana quies, an iura perosus 150
 Ad priscos pecudum damnaret saecula ritus?
 Talia dum secum movet anxius, advolat una
 Naiadum resoluta comam, complexaque patrem:
 'En Alaricus' ait 'non qualem nuper ovantem
 Vidimus; exanguis, genitor, mirabere vultus. 155
 Percensere manum tantaque ex gente iuvabit
 Reliquias numerasse breves. Iam desine maesta
 Fronte queri Nymphasque choris iam redde sorores'.
 Dixerat; ille caput placidis sublime fluentis
 Extulit, et totis lucem spargentia ripis 160
 Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
 Non illi madidum vulgaris harundine crinem
 Velat honos; rami caput umbravere virentes
 Heliadum totisque fluunt electra capillis.
 Palla tegit latos umeros, curruque paterno 165
 Intextus Phaethon glaucos incendit amictus.
 Fultaque sub gremio caelatis nobilis astris
 Aetherium probat urna decus. Namque omnia luctus
 Argumenta sui Titan signavit Olympo:
 Mutatumque senem plumis et fronde sorores 170
 Et fluvium, nati qui vulnera lavit anhelis;
 Stat gelidis Auriga plagis; vestigia fratris

Germanae servant Hyades, Cygnique sodalis
 Lacteus extentas adspergit circulus alas;
 Stelliger Eridanus sinuatis flexibus errans 175
 Clara Noti convexa rigat gladioque tremendum
 Gurgite sidereo subterluit Oriona.

Hoc deus effulgens habitu prospexit euntes
 Deiecta cervice Getas; tunc talia fatur:
 'Sicine mutatis properas, Alarice, reverti 180
 Consiliis? Italae sic te iam paenitet orae?
 Nec iam cornipedem Thybrino gramine pascis,
 Vt rebare, tuum? Tuscis nec figis aratrum
 Collibus? O cunctis Erebi dignissime poenis,
 Tune Giganteis urbem temptare deorum 185
 Adgressus furiis? nec te meus, improbe, saltem
 Terruit exemplo Phaethon, qui fulmina praeceps
 In nostris efflavit aquis, dum flammea caeli
 Flectere terrenis meditatur frena lacertis
 Mortalique diem sperat diffundere vultu? 190
 Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
 Adspirat Romae spoliis aut Solis habenis'.

Sic fatus Ligures Venetosque erectior amnes
 Magna voce ciet. Frondentibus umida ripis
 Colla levant: pulcher Ticinus et Addua visu 195
 Caerulus et velox Athesis tardusque meatu
 Mincius inque novem consurgens ora Timavus.
 Insultant omnes profugo pacataque laetum
 Invitant ad prata pecus; iam Pana Lycaeum,
 Iam Dryadas revocant et rustica numina Faunos. 200

Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho
 Adiungis cumulum, nec plus Pollentia rebus
 Contulit Ausoniis aut moenia vindicis Hastae.
 Hic, rursus dum pacta movet damnisque coactus
 Extremo mutare parat praesentia casu, 205
 Nil sibi periurum sensit prodesse furorem
 Converti nec fata loco, multisque suorum
 Diras pavit aves, inimicaque corpora volvens
 Ionios Athesis mutavit sanguine fluctus.

- Oblatum Stilicho violato foedere Martem 210
 Omnibus adripuit votis, ubi Roma periclo
 Iam procul et belli medio Padus arbiter ibat.
 Iamque opportunam motu strepuisse rebelli
 Gaudet perfidiam praebensque exempla labori
 Sustinet accensos aestivo pulvere soles. 215
 Ipse manu metuendus adest inopinaque cunctis
 Instruit arma locis et, qua vocat usus, ab omni
 Parte venit. Fesso si deficit agmine miles,
 Vtitur auxiliis damni securus, et astu
 Debilitat saevum cognatis viribus Histrum 220
 Et duplici lucro committens proelia vertit
 In se barbariem nobis utrimque cadentem.
 Ipsum te caperet letoque, Alarice, dedisset,
 Ni calor incauti male festinatus Alani
 Dispositum turbasset opus; prope captus anhelum 225
 Verbere cogis equum, nec te vitasse dolemus.
 I potius genti reliquis tantisque superstes
 Danuvii populis, i, nostrum vive tropaeum.
 Non tamen ingenium tantis se cladibus atrox
 Deicit: occulto temptabat tramite montes, 230
 Si qua per scopulos subitas exquirere posset
 In Raetos Gallosque vias. Sed fortior obstat
 Cura ducis. Quis enim divinum fallere pectus
 Possit et excubiis vigilantia lumina regni?
 Cuius consilium non unquam repperit hostis 235
 Nec potuit texisse suum. Secreta Getarum
 Nosse prior celerique dolis occurrere sensu.
 Omnibus exclusus coeptis consedit in uno
 Colle tremens; frondesque licet depastus amaraꝝ
 Arboreo figat sonipes in cortice morsus 240
 Et taetris collecta cibus annique vapore
 Saeviat aucta lues et miles probra superbus
 Ingerat obsesso captivaque pignora monstret:
 Non tamen aut morbi tabes aut omne periculum
 Docta subire fames aut praedae luctus ademptae 245
 Aut pudor aut dictis movere procacibus irae,

Vt male temptato totiens se credere campo
 Comminus auderet. Nulla est victoria maior,
 Quam quae confessos animo quoque subiugat hostes.
 Iamque frequens rarum decerpere transfuga robur 250
 Coeperat inque dies numerus decrescere castris,
 Nec iam deditio paucis occulta parari,
 Sed cunei totaque palam discedere turmae.
 Consequitur vanoque fremens clamore retentat
 Cumque suis iam bella gerit; mox nomina supplex 255
 Cum fletu precibusque ciet veterumque laborum
 Admonet et frustra iugulum parcentibus offert,
 Defixoque malis animo sua membra suasque
 Cernit abire manus: qualis Cybeleia quassans
 Hyblaeus procul aera senex revocare fugaces 260
 Tinnitu conatur apes, quae sponte relictis
 Descivere favis, sonituque exhaustus inani
 Raptas mellis opes solitaeque oblita latebrae
 Perfida deplorat vacuis examina ceris.

Ergo ubi praeclusae voci laxata remisit 265
 Frena dolor, notas oculis umentibus Alpes
 Adspicit et nimium diversi stamine fati
 Praesentes reditus fortunatosque revolvit
 Ingressus: solo peragens tum murmure bellum
 Protento leviter frangebatur moenia conto 270
 Inridens scopulos; nunc desolatus et expes
 Debita pulsato reddit spectacula monti.
 Tunc sic Ausonium respectans aethera fatur:
 'Heu regio funesta Getis, heu terra sinistris
 Auguriis calcata mihi, satiare nocentum 275
 Cladibus et tandem nostris inflectere poenis!
 En ego, qui toto sublimior orbe ferebar
 Ante tuum felix aditum, ceu legibus exul
 Addictusque reus flatu propiore sequentum
 Terga premor. Quae prima miser, quae funera dictis
 Posteriora querar? Non me Pollentia tantum 281
 Nec captae cruciastis opes; hoc aspera fati
 Sors tulerit Martisque vices. Non funditus armis

Concideram; stipatus adhuc equitumque catervis
 Integer ad montes reliquo cum robore cessi, 285
 Quos Appenninum perhibent. Hunc esse ferebat
 Incola, qui Siculum porrectus ad usque Pelorum
 Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
 Italiae geminumque latus stringentia longe
 Vtraque perpetuo discriminat aequora tractu. 290

Haec ego continuum si per iuga tendere cursum,
 Vt prior iratae fuerat sententia menti,
 Iam desperata voluissem luce, quid ultra?
 Omnibus oppeterem fama maiore perustis!
 Et certe moriens propius te, Roma, viderem, 295
 Ipsaque per cultas segetes mors nostra secuto
 Victori damnosa foret. — Sed pignora nobis
 Romanus caraque nurus praedamque tenebat. —
 Hoc magis exertum raperem succinctior agmen.

‘Heu, quibus insidiis, qua me circumdedit arte 300
 Fatalis semper Stilicho! Dum parcere fingit,
 Rettulit hostiles animos bellumque remenso
 Evaluit transferre Pado. Pro foedera saevo
 Deteriora iugo! tunc vis extincta Getarum;
 Tunc mihi, tunc letum pepigi. Violentior armis 305
 Omnibus expugnat nostram clementia gentem,
 Mars gravior sub pace latet, capiorque vicissim
 Fraudibus ipse meis. Quis iam solacia fesso
 Consiliumve dabit? Socius suspectior hoste.

‘Atque utinam cunctos licuisset perdere bello! 310
 Nam quisquis duro cecidit certamine, numquam
 Desinit esse meus. Melius mucrone perirent,
 Auferretque mihi luctu leviore sodales
 Victa manus quam laesa fides. Nullusne clientum
 Permanet? offensi comites, odere propinqui. 315
 Quid moror invisam lucem? qua sede recondam
 Naufragii fragmenta mei? quaeve arva requiram,
 In quibus haud umquam Stilicho nimiumque potentis
 Italiae nomen nostras circumsonet aures?’ 319

Haec memorans instante fugam Stilichone tetendit

Expertas horrens aquilas; comitatur euntem
 Pallor et atra Fames et saucia lividus ora
 Luctus et inferno stridentes agmine Morbi.
 Lustralem tum rite facem, cui lumen odorum
 Sulphure caeruleo nigroque bitumine fumat, 325
 Circum membra rotat doctus purganda sacerdos
 Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis
 Numina purificumque Iovem Triviamque precatus
 Trans caput aversis manibus iaculatur in Austrum
 Secum rapturas cantata piacula taedas. 330

Acrior interea visendi principis ardor
 Accendit cum plebe patres et saepe negatum
 Flagitat adventum; nec tali publica vota
 Consensu tradunt atavi caluisse per urbem,
 Dacica bellipotens cum fregerat Vlpianus arma 335
 Atque indignantes in iura redegerat Arctos,
 Cum fasces cinxere Hypanin mirataque leges
 Romanum stupuit Maeotia terra tribunal.
 Nec tantis patriae studiis ad templa vocatus,
 Clemens Marce, redis, cum gentibus undique cinctam
 Exiit Hesperiam paribus Fortuna periculis. 341
 Laus ibi nulla ducum; nam flammeus imber in hostem
 Decidit; hunc dorso trepidum fumante ferebat
 Ambustus sonipes; hic tabescente solutus
 Subsedit galea liquefactaque fulgure cuspis 345
 Canduit et subitis fluxere vaporibus enses.
 Tum contenta polo mortalis nescia teli
 Pugna fuit: Chaldaea mago seu carmina ritu
 Armavere deos, seu, quod reor, omne Tonantis
 Obsequium Marci mores potuere mereri. 350
 Nunc quoque praesidium Latio non deesset Olympi,
 Deficeret si nostra manus; sed providus aether
 Noluit humano titulos auferre labori,
 Ne tibi iam, princeps, soceri sudore paratam,
 Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum. 355

Iam totiens missi proceres responsa morandi
 Rettulerant, donec differri longius urbis

Communes non passa preces penetralibus altis
 Prosiluit vultusque palam confessa coruscos
 Impulit ipsa suis cunctantem Roma querellis: 360
 'Dissimulata diu tristes in amore repulsas
 Vestra parens, Auguste, queror. Quonam usque tenebit
 Praelatus mea vota Ligus? vetitumque propinqua
 Luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,
 Torquebit Rubicon vicino numine Thybrim? 365
 Nonne semel sprevisse satis, cum reddita bellis
 Africa venturi lusit spe principis urbem
 Nec duras tantis precibus permovimus aures?
 Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
 Electi candoris equos et nominis arcum 370
 Iam molita tui, per quem radiante decorus
 Ingredere toga, pugnae monumenta dicabam
 Defensam titulo Libyam testata perenni.
 Iamque parabantur pompae simulacra futurae
 Tarpeio spectanda Iovi: caelata metallo 375
 Classis ut auratum sulcaret remige fluctum,
 Vt Massyla tuos anteirent oppida currus
 Palladiaque comas innexus harundine Triton
 Edomitis veheretur aquis et in aere trementem
 Succinctae famulum ferrent Atlanta cohortes. 380
 Ipse Iugurthinam subiturus carcere poenam
 Praeberet fera colla iugo, vi captus et armis,
 Non Bocchi Syllaeque dolis.

'Sed prima remitto.

Num praesens etiam Getici me laurea belli
 Declinare potest? sedesve capacior ulla 385
 Tantaе laudis erit? Tua te benefacta morantem
 Conveniunt, meritisque suis obnoxia virtus
 Quod servavit amat. Iam flavescencia centum
 Messibus aestivae detondent Gargara falces,
 Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos 390
 Circumflexa rapit centenus saecula consul:

His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
 Nostra ter Augustos intra pomeria vidi,
 Temporibus variis; eadem sed causa tropaei
 Civilis dissensus erat. Venere superbi, 395
 Scilicet ut Latio respersos sanguine currus
 Adspicerem! Quisquamne piae laetanda parenti
 Natorum lamenta putet? periere tyranni,
 Sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo
 Proelia iactaret, tacuit Pharsalica Caesar. 400
 Namque inter socias acies cognataque signa
 Vt vinci miserum, numquam vicisse decorum.
 Restituat priscum per te iam gloria morem
 Verior, et fructum sinceræ laudis ab hoste
 Desuetum iam redde mihi iustisque furoris 405
 Externi spoliis sontes absolve triumphos.
 'Quem, precor, ad finem laribus seiuncta potestas
 Exulat imperiumque suis a sedibus errat?
 Cur mea quae cunctis tribuere palatia nomen
 Neglecto squalent senio? nec creditur orbis 410
 Illinc posse regi? Medium non deserit umquam
 Caeli Phoebus iter, radiis tamen omnia lustrat.
 Segnius an veteres Histrum Rhenumque tenebant,
 Qui nostram coluere domum? leviusve timebant
 Tigris et Euphrates, cum foedera Medus et Indus 415
 Hinc peteret pacemque mea speraret ab arce?
 Hic illi mansere viri, quos mutua virtus
 Legit et in nomen Romanis rebus adoptans
 Iudicio pulchram seriem, non sanguine duxit;
 Hic proles atavum deducens Aelia Nervam 420
 Tranquillique Pii bellatoresque Severi.
 Hunc civis dignare chorum conspectaque dudum
 Ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
 Quem tenero patris comitem susceperat aevo, 424
 Nunc duce cum socero iuvenem te Thybris adoret.'
 Orantem medio princeps sermone refovit:
 'Numquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,
 O dea, nec legum fas est occurrere matri.

Sed nec post Libyam (falsis ne perge querellis
 Incusare tuos) patriae mandata vocantis 430
 Sprevimus: advectae misso Stilichone curules,
 Vt nostras tibi, Roma, vices pro principe consul
 Impleret generoque socer. Vidistis in illo
 Me quoque; sic credit pietas non sanguine solo,
 Sed claris potius factis experta parentem. 435
 Cuncta quidem centum nequeam perstringere linguis,
 Quae pro me mundoque gerit; sed ab omnibus unum,
 Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo
 Subiectum nostris oculis et cuius agendi
 Spectator vel causa fui. 440

‘Populator Achivae

Bistoniaeque plagae, crebris successibus amens
 Et ruptas animis spirans inmanibus Alpes
 Iam Ligurum trepidis admoverat agmina muris
 Tutior auxilio brumae (quo gentibus illis
 Sidere consueti favet inclementia caeli) 445
 Meque minabatur calcato obsidere vallo
 Spem vano terrore fovens, si forte, remotis
 Praesidiis, urgente metu, qua vellet obirem
 Condicione fidem; nec me timor impulit ullus
 Et duce venturo fretum memoremque tuorum, 450
 Roma, ducum, quibus haud unquam vel morte parata
 Foedus lucis amor pepigit dispendia famae.
 Nox erat et late stellarum more videbam
 Barbaricos ardere focos; iam classica primos
 Excierant vigiles, gelida cum pulcher ab Arcto 455
 Adventat Stilicho. Medius sed clauserat hostis
 Inter me socerumque viam pontemque tenebat,
 Addua quo scissas spumiosior incitat undas.
 Quid faceret? differret iter? Discrimina nullas
 Nostra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen?
 Sed paucis comitatus erat; nam plurima retro, 461
 Dum nobis properat succurrere, liquerat arma
 Extera vel nostras acies. Hoc ille locatus
 Ancipiti, longum socias tardumque putavit

Expectasse manus et nostra pericula tendit 465
 Posthabitis pulsare suis mediumque per hostem
 Flammatus virtute pia propriaeque salutis
 Inmemor et stricto prosternens obvia ferro
 Barbara fulmineo secuit tentoria cursu.
 'Nunc tibi Tydiden attollant carmina vatum, 470
 Quod iuncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
 Indicio dapibusque simul religataque somno
 Thracia sopiti penetraverit agmina Rhesi
 Graiaque rettulerit captos ad castra iugales,
 Quorum, si qua fides audentibus omnia Misis, 475
 Impetus excessit Zephyros candorque pruinas.
 Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis
 Ense palam sibi pandit iter remeatque cruentus
 Et Diomedeis tantum praeclarior ausis,
 Quantum lux tenebris manifesta proelia furtis! 480
 Adde quod et ripis steterat munitior hostis
 Et cui nec vigilem fas est componere Rhesum:
 Thrax erat, hic Thracum domitor. Non tela retardant,
 Obice non haesit fluvii. Sic ille minacem
 Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens 485
 Traiecit clipeo Thybrim, quo texerat urbem,
 Tarquinio mirante Cocles mediisque superbus
 Porsennam respexit aquis. Celer Addua nostro
 Sulcatus socero: sed, cum transnaret, Etruscis
 Ille dabat tergum, Geticis hic pectora bellis. 490
 'Exere nunc doctos tantae certamine laudis,
 Roma, choros et, quanta tuis facundia pollet
 Ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem.'
 Dixit et antiquae muros egressa Ravennae
 Signa movet; iamque ora Padi portusque relinquit 495
 Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
 Aestuat et pronas puppes nunc amne retuso,
 Nunc redeunte vehit nudataque litora fluctu
 Deserit, Oceani lunaribus aemula damnis.
 Laetior hinc Fano recipit Fortuna vetusto, 500
 Despiciturque vagus praerupta valle Metaurus,

Qua mons arte patens vivo se perforat arcu *Melampus*
 Admisitque viam sectae per viscera rupis,
 Exuperans delubra Iovis saxoque minantes
 Appenninigenis cultas pastoribus aras. 505
 Quin et Clitumni sacras victoribus undas,
 Candida quae Latiis praebent armenta triumphis,
 Visere cura fuit; nec te miracula fontis
 Praetereunt, tacito passu quem si quis adiret,
 Lentus erat; si voce gradum maiore citasset, 510
 Commixtis fervebat aquis; cumque omnibus una
 Sit natura vadis, similes ut corporis undas
 Ostendant, haec sola novam iactantia sortem
 Humanos properant imitari flumina mores.
 Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum 515
 Regali calcatur equo, rarique coloris
 Non procul amnis abest, urbi qui nominis auctor:
 Ilice sub densa silvis artatus opacis
 Inter utrumque iugum tortis anfractibus albet.
 Inde salutato libatis Thybride lymphis 520
 Excipiunt arcus operosaque semita vastis
 Molibus et quidquid tantae praemittitur urbi.
 Ac velut officiis trepidantibus ora puellae
 Spe propiore tori mater sollertior ornat
 Adveniente proco vestesque et cingula comit 525
 Saepe manu viridique angustat iaspide pectus
 Substringitque comam gemmis et colla monili
 Circuit et bacis onerat candentibus aures:
 Sic oculis placitura tuis insignior auctis
 Collibus et nota maior se Roma videndam 530
 Obtulit. Addebant pulchrum nova moenia vultum
 Audito perfecta recens rumore Getarum,
 Profecitque opifex decori timor, et vice mira,
 Quam pax intulerat, bello discussa senectus
 Erexit subitas turres cunctosque coegit 535
 Septem continuo colles iuvenescere muro.
 Ipse favens votis solitoque decentior aer,
 Quamvis adsiduo noctem foedaverat imbre,

Principis et solis radiis deterosa removit
 Nubila; namque ideo pluviis turbaverat omnes 540
 Ante dies lunamque rudem madefecerat Auster,
 Vt tibi servatum scirent convexa serenum.
 Omne Palatino quod pons a colle recedit
 Mulvius et quantum licuit consurgere tectis,
 Vna replet turbae facies: undare videres 545
 Ima viris, altas effulgere matribus aedes.
 Exultant iuvenes aequaeui principis annis;
 Temnunt prisca senes et in hunc sibi prospera fati
 Gratantur durasse diem moderataque laudant
 Tempora, quod clemens aditu, quod pectore solus 550
 Romanos vetuit currum praecedere patres:
 Cum tamen Eucherius, cui regius undique sanguis,
 Atque Augusta soror fratri praeberet ovanti
 Militis obsequium; sic illum dura parentis
 Instituit pietas in se vel pignora parci 555
 Quique neget nato, procerum quod praestat honori.
 Haec sibi curva senum maturaque comprobata aetas
 Idque inter veteris speciem praesentis et aulae
 Iudicat: hunc civem, dominos venisse priores.
 Conspicuas tum flore genas, diademate crinem 560
 Membraque gemmato trabeae viridantia cinctu
 Et fortes umeros et certatura Lyaeo
 Inter Erythraeas surgentia colla smaragdos
 Mirari sine fine nurus; ignaraque virgo,
 Cui simplex calet ore pudor, per singula cernens 565
 Nutricem consultat anum: quid fixa draconum
 Ora velint? ventis fluitent an vera minentur
 Sibila suspensum rapturi faucibus hostem?
 Vt chalybe indutos equites et in aere latentes
 Vidit cornipedes: 'quanam de gente' rogabat 570
 'Ferrati venere viri? quae terra metallo
 Nascentes informat equos? num Lemnius auctor
 Indidit hinnitum ferro simulacraque belli

Viva dedit?' Gaudet metuens et pollice monstrat,
 Quod picturatas galeae Iunonia cristas 575
 Ornet avis vel quod rigidos vibrata per armos
 Rubra sub aurato crispentur serica dorso.

Tunc tibi magnorum mercem Fortuna laborum
 Persolvit, Stilicho, curru cum vectus eodem
 Vrbe triumphantem generum florente iuventa 580
 Conspiceres illumque diem sub corde referres,
 Quo tibi confusa dubiis formidine rebus
 Infantem genitor moriens commisit alendum.

Virtutes variae fructus sensere receptos;
 Depositum servasse, fides; constantia, parvum 585
 Praefecisse orbi; pietas, fovisse propinquum.
 Hic est ille puer, qui nunc ad rostra Quirites
 Evocat et solio fultus genitoris eburno
 Gestarum patribus causas ex ordine rerum
 Eventusque refert veterumque exempla secutus 590
 Digerit imperii sub iudice facta senatu.

Nil cumulat verbis quae nil fiducia celat;
 Fucati sermonis opem mens conscia laudis
 Abnuit. Agnoscunt proceres; habituque Gabino
 Principis et ducibus circumstipata togatis 595
 Iure paludatae iam curia militat aulae.

Adfuit ipsa suis ales Victoria templis
 Romanae tutela togae: quae divite penna
 Patricii reverenda fovet sacraria coetus
 Castrorumque eadem comes indefessa tuorum 600
 Nunc tandem fruitur votis atque omne futurum
 Te Romae seseque tibi promittit in aevum.

Hinc te iam patriis laribus via nomine vero
 Sacra refert. Flagrat studiis concordia vulgi,
 Quam non inlecebris dispersi colligis auri; 605
 Nec tibi venales captant aeraria plausus
 Corruptura fidem: meritis offertur inemptus
 Pura mente favor. Nam munere carior omni
 Obstringit sua quemque salus. Procul ambitus erret!
 Non quaerit pretium, vitam qui debet amori. 610

O quantum populo secreti numinis addit
 Imperii praesens genius! quantamque rependit
 Maiestas alterna vicem, cum regia circi
 Conexum gradibus veneratur purpura vulgus,
 Adsensuque cavae sublatus in aethera vallis 615
 Plebis adoratae reboat fragor, unaque totis
 Intonat Augustum septenis arcibus Echo!
 Nec solis hic cursus equis: adsueta quadrigis
 Cingunt arva trabes, subitaeque adspectus harenae
 Diffundit Libycos aliena valle cruores. 620
 Haec et belligeros exercuit area lusus,
 Armatos haec saepe choros, certaue vagandi
 Textas lege fugas inconfusosque recursus
 Et pulchras errorum artes iucundaue Martis
 Cernimus. Insonuit cum verbere signa magister, 625
 Mutatos edunt pariter tot pectora motus
 In latus adlisis clipeis aut rursus in altum
 Vibratis; gravè parma sonat, mucronis acutum
 Murmur, et umbonum pulsu modulante resultans
 Ferreus alterno concentus clauditur ense. 630
 Vna omnis summissa phalanx tantaeque salutant
 Te, princeps, galeae. Partitis inde catervis
 In varios docto discurritur ordine gyros,
 Quos neque semiviri Gortynia tecta iuvenci
 Flumina nec crebro vincant Maeandria flexu. 635
 Discreto revoluta gradu torquentur in orbes
 Agmina, perpetuisque inmoto cardine claustris
 Ianus bella premens laeta sub imagine pugnae
 Armorum innocuos paci largitur honores.
 Iamque novum fastis aperit felicibus annum 640
 Ore coronatus gemino; iam Thybris in uno
 Et Bruti cernit trabeas et scepra Quirini.
 Consule laetatur post plurima saecula viso
 Pallanteus apex; agnoscunt rostra curules
 Auditas quondam proavis, desuetaque cingit 645

622 haec] *Birtius*; hic.

Regius auratis fora fascibus Vlpia lictor,
 Et sextas Getica praevelans fronde secures
 Colla triumphati proculcat Honorius Histri.
 Exeat in populos cunctis inlustrior annus,
 Natus fonte suo, quem non aliena per arva 650
 Induit hospes honos, cuius cunabula fovit
 Curia, quem primi tandem videre Quirites,
 Quem domitis auspex peperit Victoria bellis!
 Hunc et privati titulis famulantibus anni
 Et, quos armipotens genitor retroque priores 655
 Diversis gessere locis, ceu numen adorent;
 Hunc et quinque tui vel, quos habiturus in urbe
 Post alios, Auguste, colant. Licet unus in omnes
 Consul eas, magno sextus tamen iste superbit
 Nomine: praeteritis melior, venientibus auctor. 660

DE BELLO GOTHICO.

PRAEFATIO.

(XXV.)

Post resides annos longo velut excita somno
Romanis fruitur nostra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina coetus,
Personat et noto Pythia vate domus:
Consulis hic fascēs cecini Libyamque receptam, 5
Hic mihi prostratis bella canenda Getis.

Sed prior effigiem tribuit successus aenam,
Oraque patricius nostra dicavit honos;
Adnuit hic princeps titulum poscente senatu.
Respice iudicium quam grave, Musa, subis! 10
Ingenio minuit merces properata favorem.
Carminibus veniam praemia tanta negant;
Et magis intento studium censore laborat,
Quod legimur medio conspicimurque foro.

Materies tamen ipsa iuvat solitumque timorem 15
Dicturo magna sedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impensius aures
Vel meritum belli vel Stilichonis amor.

(XXVI.)

Intacti cum claustra freti, coeuntibus aequor
Armatum scopulis, audax inrumperet Argo

Aetam Colchosque petens, propiore periclo
 Omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
 Incolumem tenui damno servasse carinam 5
 Fertur et ancipitem montis vitasse ruinam
 Deceptoque vagae concursu rupis in altum
 Victricem duxisse ratem; stupuere superbae
 Arte viri domitae Symplegades et nova passae
 Iura soli cunctis faciles iam puppibus haerent, 10
 Vt vinci didicere semel. Quodsi ardua Tiphyn
 Navis ob innocuae meritum sic gloria vexit,
 Quae tibi pro tanti pulso discrimine regni
 Sufficient laudes, Stilicho? Licet omnia vates
 In maius celebrata ferant ipsamque secandis 15
 Argois trabibus iactent sudasse Minervam
 Nec nemoris muti iunxisse carentia sensu
 Robora, sed caeso Tomari Iovis augure luco
 Arbore praesaga tabulas animasse loquaces.
 Plurima sed quamvis variis miracula monstribus 20
 Ingement, teneras victuri carmine mentes,
 Harpyiasque truces insopitisque refusum
 Tractibus aurati custodem velleris anguem
 Et iuga taurorum rapidis ambusta favillis
 Et virides galeis sulcos fetasque novales 25
 Martis et in segetem crescentis semina belli:
 Nil veris aequale dabunt. Prohibere rapaces
 Scilicet Harpyias unaque excludere mensa
 Nobilior titulus, quam tot potuisse paratas
 In Latii praedam Geticas avertere fauces? 30
 Anne ego terrigenas potius mirabor in ipsis
 Procubuisse satis, vitae quibus attulit idem
 Principium finemque dies, quam caesa Getarum
 Agmina, quos tantis aluit Bellona tropaeis
 Totaque sub galeis Mavortia canuit aetas? 35

Per te namque unum mediis exuta tenebris
 Imperio sua forma redit, claustrisque solutae
 Tristibus exangues audent procedere leges.
 Iamque potestates priscus discriminat ordo

Iustitiae, quas ante pares effecerat una 40
 Nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
 Eripuit, tectisque suis redduntur et agris
 Damnati fato populi, virtute renati.
 Iam non in pecorum morem formidine clausi
 Prospicimus saevos campis ardentibus ignes 45
 Alta nec incertis metimur flumina votis
 Excidio latura moram nec poscimus amnes
 Vndosam servare fidem nubesve fugaces
 Aut coniuratum querimur splendere serenum.
 Ipsa quoque internis furiis exercita plebis 50
 Securas iam Roma leva tranquillior arces;
 Surge, precor, veneranda parens, et certa secundis
 Fide deis, humilemque metum depone senectae.
 Vrbs aequaeva polo, tum demum ferrea sumet 55
 Ius in te Lachesis, cum sic mutaverit axem
 Foederibus natura novis, ut flumine verso
 Inriget Aegyptum Tanais, Maeotida Nilus,
 Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis
 Caucasiisque iugis calido nigrantibus Austro
 Gaetulas Aquilo glacie constringat harenas. 60
 Fatales hucusque manus, crebrisque notatae
 Prodigiiis abiere minae. Nec sidera pacem
 Semper habent, ipsumque Iovem turbante Typhoeo,
 Si fas est, tremuisse ferunt, cum brachia centum
 Montibus armaret totidem spiramque retorquens 65
 Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.
 Quid mirum, si regna labor mortalia vexat,
 Cum gemini fratres, genuit quos asper Aloeus,
 Martem subdiderint vinclis et in astra negatas
 Temptarint munire vias steteritque revulsis 70
 Paene tribus scopulis caelesti machina bello?
 Sed caret eventu nimius furor; improba numquam
 Spes laetata diu, nec pervenere iuventae
 Robur Aloidae: dum vellere Pelion Otus
 Nititur, occubuit Phoebo, moriensque Ephialtes 75
 In latus obliquam proiecit languidus Ossam.

Adspice, Roma, tuum iam vertice celsior hostem,
 Adspice, quam rarum referens inglorius agmen
 Italia detrusus eat quantumque priori
 Dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti 80
 Pollicitus patrii numen iuraverat Histri
 Non nisi calcatis loricam ponere rostris.
 O rerum fatique vices! Qui foeda parabat
 Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
 Coniugibus permixta trahi; qui mente profundas 85
 Hauserat urbis opes, ultro victoribus ipse
 Praeda fuit; nostri quondam qui militis auro
 Adgressus temptare fidem, desertus ab omni
 Gente sua manibusque redit truncatus et armis.

Hoc quoque, quod veniam leti valere mereri, 90
 Si positis pendas odiis, ignoscere pulchrum
 Iam misero poenaeque genus vidisse precantem.
 Quae vindicta prior quam cum formido superbos
 Flectit et adsuetum spoliis adfligit egestas?
 Sed magis ex aliis fluxit clementia causis, 95
 Consulitur dum, Roma, tibi. Tua cura coegit
 Inclusis aperire fugam, ne peior in arto
 Saeviret rabies venturae conscia mortis;
 Nec tanti nomen stirpemque abolere Getarum,
 Vt propius peterere, fuit. Procul arceat altus 100
 Iuppiter, ut delubra Numae sedesque Quirini
 Barbaries oculis saltem temerare profanis
 Possit et arcanum tanti deprendere regni.

Quamquam, si veterum certamina rite recordor,
 Tunc etiam, pulchra cum libertate vigerent 105
 Et proprio late florent milite patres,
 Semper ab his famae petiere insignia bellis,
 Quae diversa procul tuto trans aequora vires
 Exercere dabant: currus regumque catenae
 Inter abundantis fati ludibria ductae. 110
 At vero Italiam quotiens circumstetit atrox
 Tempestat ipsumque caput laesura pependit,
 Non illis vani ratio ventosa furoris,

Sed graviter spectata salus ductorque placebat,
 Non qui praecipiti traheret semel omnia casu, 115
 Sed qui maturo vel laeta vel aspera rerum
 Consilio momenta regens, nec tristibus impar
 Nec pro successu nimius, spatiumque morandi
 Vincendique modum mutatis nosset habenis.

Cautius ingentes morbos et proxima cordi 120
 Ulcera Paeoniae tractat sollertia curae
 Parcendoque secat, ferro ne largius acto
 Inrevocandus eat sectis vitalibus error.

Sublimi certe Curium canit ore vetustas,
 Aeaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum, 125
 Nec magis insignis Pauli Mariique triumphus,
 Qui captos niveis reges egere quadrigis;
 Plus fuga laudatur Pyrrhi quam vincla Iugurthae;
 Et, quamvis gemina fessum iam clade fugavit,
 Post Decii lituos et nulli pervia culpae 130

Pectora Fabricii, donis invicta vel armis,
 Plena datur Curio pulsus victoria Pyrrhi.
 Quanto maius opus solo Stilichone peractum
 Cernimus! Hic validam gentem, quam dura nivosis
 Educat Vrsa plagis, non Chaonas atque Molossos, 135
 Quos Epirus alit, nec Dodonaea subegit
 Agmina fatidicam frustra iactantia quercum.

Primus fulmineum lento luctamine Poenum
 Compressit Fabius, campo post ausus aperto
 Marcellus vinci docuit, sed tertia virtus 140
 Scipiadae Latiis tandem deterruit oris.

Vnus in hoc Stilicho diversis artibus hoste
 Tris potuit complere duces fregitque furentem
 Cunctando vicitque manu victumque relegat.

Atque haec tanta brevi. Miscentem incendia Pyrrhum
 Sustinuit toto maerens Oenotria lustro, 146
 Et prope ter senas Itali per graminis herbas
 Massylus Poeno sonipes vastante cucurrit
 Hannibalemque senem vix ad sua reppulit arva
 Vindex sera patrum post bellum nata iuventus. 150

Hic celer effecit, bruma ne longior una
 Esset hiems rerum, primis sed mensibus aestas
 Temperiem caelo pariter belloque referret.

Sed quid ego Hannibalem contra Pyrrhumque tot
 annis

Certatum memorem, vilis cum Spartacus omne 155

Per latus Italiae ferro bacchatus et igni

Consulibusque palam totiens congressus inertes

Exuerit castris dominos et strage pudenda

Fuderit imbelles aquilas servilibus armis.

Nos terrorum expers et lusu mollior aetas 160

Deficimus queruli, si bos abductus aratro,

Si libata seges. Non hanc ergastula nobis

Inmisere manum nec coniurantis harenae

Turba fuit; qualem Stilicho deiecerit hostem,

Thraces et Haemonii poterunt Moesique fateri. 165

Frigida ter decies nudatum frondibus Haemum

Tendit hiems vestire gelu totiensque solutis

Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,

Ex quo iam patrios gens haec oblita Triones

Atque Histrum transvecta semel vestigia fixit 170

Threicio funesta solo: seu fata vocabant

Seu gravis ira deum, seriem meditata ruinis.

Ex illo, quocumque vagos impegit Erinys,

Grandinis aut morbi ritu per devia rura,

Praecipites per clausa ruunt, nec contigit ullis 175

Annibus aut scopulis proprias defendere terras.

Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hebrus

Odrysiis; facili contemptum Strymona saltu

Et frustra rapidum damnant Haliacmona Bessi.

Nubibus intactum Macedo miratur Olympum 180

More pererratum campi; gemit inrita Tempe

Thessalus et domitis inrisam cautibus Oeten.

Sperchiusque et virginibus dilectus Enipeus

Barbaricas lavere comas. Non obice Pindi
 Servati Dryopes nec nubifer Actia textit 185
 Litora Leucates; ipsae, quae durius olim
 Restiterant Medis, primo conamine ruptae
 Thermopylae; vallata mari Scironia rupes
 Et duo continuo conectens aequora muro
 Isthmos et angusti patuerunt claustra Lechaei: 190
 Nec tibi Parrhasios licuit munire colonos
 Frondosis, Erymanthe, iugis, equitataque summi
 Culmina Taygeti trepidae vidistis Amyclae.

Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes
 Exegere Getas; tandem tot flumina victor 195
 Vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus alte
 Fatorum secreta tegi. Quisquamne reclusis
 Alpibus ulterius Latii fore credidit umbram?
 Nonne velut capta rumor miserabilis urbe
 Trans freta, trans Gallos Pyrenaeumque cucurrit? 200
 Famaque nigrantes succincta pavoribus alas
 Secum cuncta trahens a Gadibus usque Britannum
 Terruit Oceanum et nostro procul axe remotam
 Insolito belli tremefecit murmure Thylen?

Mandemusne Noti flabris quoscumque timores 205
 Pertulimus, festae doleant ne tristibus aures?
 An potius meminisse iuvat semperque vicissim
 Gaudia praemissi cumulant inopina dolores?
 Vtque sub occidua iactatis Pleiade nautis
 Commendat placidum maris inclementia portum, 210
 Sic mihi tunc maior Stilicho, cum laeta periclis
 Metior atque illi redeunt in corda tumultus.

Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
 Turribus invalidis fragiles procumbere muri
 Ferrataeque Getis ultro se pandere portae? 215
 Nec vallum densaeque sudes arcere volantes
 Cornipedum saltus? Iamiam conscendere puppes
 Sardoniosque habitare sinus et inhospita Cygni
 Saxa parant vitamque freto spumante tueri.
 Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto, 220

Si rerum natura sinat, discedere longe
 Optat et Ionium refugo laxare Peloro,
 Fultraque despiciens auro laquearia dives
 Tutior Aeoliis mallet vixisse cavernis;
 Iamque oneri creduntur opes tandemque libido 225
 Haesit avaritiae gravioribus obruta curis.
 Vtque est ingenioque loquax et plurima fingi
 Permittens credique timor, tunc somnia vulgo
 Narrari, tunc monstra deum monitusque sinistri:
 Quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether 230
 Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat
 Fatidico custos Romani carbasus aevi.
 Territat adsiduus lunae labor atraque Phoebe
 Noctibus aerisonas crebris ululata per urbes.
 Nec credunt vetito fraudatam Sole sororem 235
 Telluris subeunte globo, sed castra secutas
 Barbara Thessalidas patriis lunare venenis
 Incestare iubar. Tunc anni signa prioris
 Et si quod fortasse quies neglexerat omen,
 Addit cura novis: lapidosos grandinis ictus 240
 Molitasque examen apes passimque crematas
 Perbacchata domos nullis incendia causis
 Et numquam caelo spectatum impune cometem,
 Qui primum roseo Phoebi prolatus ab ortu,
 Qua micat astrigera senior cum coniuge Cepheus, 245
 Inde Lycaoniam paulatim expulsus ad Arcton
 Crine vago Getici foedavit sidera Plaustri,
 Donec in exiguum moriens vanesceret ignem.
 Sed gravius mentes caesorum ostenta luporum
 Horrificant. Duo quippe lupi sub principis ora, 250
 Dum campis exercet equos, violenter adorti
 Agmen et excepti telis inmane relatu
 Prodigium miramque notam duxere futuri.
 Nam simul humano geminas de corpore palmas
 Vtraque perfossis emisit belua costis: 255
 Illo laeva tremens, hoc dextera ventre latebat
 Intentis ambae digitis et sanguine vivo.

Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
 Ora sub Augusti casurum prodidit hostem,
 Vtque manus utero virides patuere relecto, 260
 Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.
 Sed malus interpret rerum metus omne trahebat
 Augurium peiore via: truncataque membra
 Nutricemque lupam Romae regnoque minari.
 Tunc reputant annos interceptoque volatu 265
 Vulturis incidunt properatis saecula metis.

Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
 Sponderet meliora manu, dubiaeque salutis
 Dux idem vatesque fuit. 'Durate parumper'
 Inquit 'et excussis muliebribus ore querellis 270
 Fatorum toleremus onus. Nil nautica prosunt
 Turbatae lamenta rati nec segnibus undae
 Planctibus aut vanis mitescunt flamina votis.
 Nunc instare manu, toto nunc robore niti
 Communi pro luce decet: succurrere velis, 275
 Exhaurire fretum, varios aptare rudentes
 Omnibus et docti iussis parere magistri.
 Non, si perfidia nacti penetrabile tempus
 Inrupere Getae, nostras dum Raetia vires
 Occupat atque alio desudant Marte cohortes, 280
 Idcirco spes omnis abit. Mirabile posset
 Esse mihi, si fraude nova vel calle reperto
 Barbarus ignotas invaderet inscius Alpes;
 Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
 Famosum vulgavit iter nec nota fefellit 285
 Semita praestructum bellis civilibus hostem.
 Per solitas venere vias, aditusque sequendos
 Barbarico Romana dedit discordia bello.

'Sed nec praeteritis haec res incognita saeculis:
 Saepe lacessitam, sed non impune, fatemur 290
 Ausoniam. Haec Senonum restinxit sanguine flammis,
 Haec et Teutonico quondam patefacta furori
 Colla catenati vidit squalentia Cimbri.
 Vile decus, quod non erexit praevis horror;

Ingentes generant discrimina magna triumphos. 295
 'Quid turpes iam mente fugas, quid Gallica rura
 Respicitis Latioque libet post terga relicto
 Longinquum profugis Ararim praecingere castris?
 Scilicet Arctoïis concessa gentibus urbe
 Considet regnum Rhodano capitique superstes 300
 Truncus erit? Vestros stimulant si pignora sensus,
 Me quoque non impar naturae cura remordet,
 Nec ferro sic corda rigent, ut nosse recusem,
 Quam sanctum socieri nomen, quam dulce mariti,
 Quantus prolis amor. Sed numquam oblita decoris 305
 Obscaenam latebram pietas ignava requiret.
 Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni:
 Hic coniunx, hic progenies, hic carior omni
 Luce gener; pars nulla mei subducta procellae.
 Accipe tu nostrae, tellus Oenotria, mentis 310
 Vincula communes tecum subeuntia casus,
 Exiguamque moram muris impende tuendis,
 Dum redeo lectum referens in classica robur.'
 His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
 Pectora migrantisque fugam compescuit aulae; 315
 Ausaque tum primum tenebris emergere pulsis
 Hesperia, ut secum iunxisse pericula vidit
 Augustum, tantoque sui stetit obside fati.
 Protinus, umbrosa vestit qua litus oliva
 Larius et dulci mentitur Nerea fluctu, 320
 Parva puppe lacum praetervolat; ocus inde
 Scandit inaccessos brumali sidere montes
 Nil hiemis caelive memor. Sic ille relinquens
 Ieiunos antro catulos inmanior exit
 Hiberna sub nocte leo tacitusque per altas 325
 Incedit furiale nives; stant colla pruinis
 Aspera; flaventes adstringit stiria saetas;
 Nec meminit leti nimbosve aut frigora curat,
 Dum natis alimenta parat.
 Sublimis in Arcton
 Pröminet Hercyniae confinis Raetia silvae, 330

Quae se Danuvii iactat Rhenique parentem
 Vtraque Romuleo praetendens flumina regno:
 Primo fonte breves, alto mox gurgite regnant
 Et fluvios cogunt unda coeunte minores
 In nomen transire suum. Te Cimbrica Tethys 335
 Divisum bifido consumit, Rhene, meatu;
 Thracia quinque vadis Histrum vorat Amphitrite:
 Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
 Terga rotis, ambo Boreae Martique sodales.
 Sed latus, Hesperiae quo Raetia iungitur orae, 340
 Praeruptis ferit astra iugis panditque tremendam
 Vix aestate viam. Multi ceu Gorgone visa
 Obriguere gelu; multos hausere profundae
 Vasta mole nives, cumque ipsis saepe iuvenis
 Naufraga candenti merguntur plaustra barathro. 345
 Interdum subitam glacie labente ruinam
 Mons dedit et tepidis fundamina subruit astris
 Pendenti male fida solo.

Per talia tendit

Frigoribus mediis Stilicho loca. Nulla Lyaei
 Pocula; rara Ceres; raptos contentus in armis 350
 Delibasse cibos madidoque oneratus amictu
 Argentem pulsabat equum. Nec mollia fesso
 Strata dedere torum; tenebris si caeca repressit
 Nox iter, aut spelaea subit metuenda ferarum
 Aut pastorali iacuit sub culmine fultus 355
 Cervicem clipeo. Stat pallidus hospite magno
 Pastor et ignoto praeclarum nomine vultum
 Rustica sordenti genetrix ostendit alumno.
 Illa sub horrendis praedura cubilia silvis,
 Illi sub nivibus somni curaeque laborque 360
 Pervigil hanc requiem terris, haec otia rebus
 Insperata dabant; illae tibi, Roma, salutem
 Alpinae peperere casae.

Iam foedera gentes

Exuerant Latique audita clade feroces
 Vindelicos saltus et Norica rura tenebant. 365

Ac veluti famuli, mendax quos mortis erilis
 Nuntius in luxum falso rumore resolvit,
 Dum marcent epulis atque inter vina chorosque
 Persultat vacuis effrena licentia tectis,
 Si reducem dominum sors improvisa revexit, 370
 Haerent attoniti libertatemque perosus
 Conscia servilis praecordia concutit horror:
 Sic ducis adspectu cuncti stupuere rebelles,
 Inque uno princeps Latiumque et tota refulsit
 Roma viro. Frons laeta parum, non tristior aequo,
 Non deiecta malis, mixta sed nobilis ira: 376
 Qualis in Herculeo, quotiens infanda iubebat
 Eurystheus, fuit ore dolor vel qualis in atram
 Sollicitus nubem maesto Iove cogitur aether.
 'Tantane vos' inquit 'Getici fiducia belli 380
 Erigit? hinc animo frustra tumuistis inani?
 Non ita Romanum fati violentia nomen
 Opprimit, ut vestros nequeat punire tumultus
 Parte sui. Ne vos longe sermone petito
 Demorer, exemplum veteris cognoscite facti: 385
 Cum ferus Ausonias perfringeret Hannibal arces
 Et Trebiam saevo geminassent funere Cannae,
 Nequiquam Emathium pepulit spes vana Philippum,
 Vt velut afflictos ferro temptaret inertii.
 Romanos commovit atrox iniuria patres, 390
 Urgerent maiora licet, graviterque tulere,
 Urbibus inter se claris de culmine rerum
 Congressis, aliquid gentes audere minores.
 Nec poenam differre placet, sed bella gerenti
 Punica Laevino regis quoque proelia mandant. 395
 Paruit imperiis consul, fususque Philippus,
 Vilia dum gravibus populis interserit arma,
 Praetereunte manu didicit non esse potentum
 Temptandas, mediis quamvis in luctibus, iras.'
 Hoc monitu pariter nascentia bella repressit 400
 Et bello quaesivit opes legitque precantes
 Auxilio mensus numerum, qui congruus esset

Nec gravis Italiae formidandusve regenti.

Nec minus accepto nostrae rumore cohortes
 (Sic ducis urget amor) properantibus undique signis
 Conveniunt, visoque animi Stilichone recepti 406
 Singultus varios lacrimosaque gaudia miscent:
 Sic armenta bouum, vastis quae turbida silvis
 Sparsit hiems, cantus ac sibila nota magistri
 Certatim repetunt et avitae pascua vallis 410
 Inque vicem se voce regunt gaudentque fideles
 Reddere mugitus et, qua sonus attigit aurem,
 Rara per obscuras adparent cornua frondes.
 Adcurrit vicina manus, quam Raetia nuper
 Vandalicis auctam spoliis defensa probavit; 415
 Venit et extremis legio praetenta Britannis,
 Quae Scotto dat frena truci ferroque notatas
 Perlegit exanimes Picto moriente figuras;
 Agmina quin etiam flavis obiecta Sygambris
 Quaeque domant Chattos inmansuetosque Cheruscos,
 Huc omnes vertere minas tutumque remotis 421
 Excubiis Rhenum solo terrore relinquunt.
 Villane posteritas credet? Germania quondam
 Illa ferox populis, quae vix instantibus olim
 Principibus tota poterat cum mole teneri, 425
 Iam sese placidam praebet Stilichonis habenis,
 Vt nec praesidiis nudato limite temptet
 Expositum calcare solum nec transeat amnem,
 Incustoditam metuens attingere ripam.

Celsior o cunctis unique aequande Camillo! 430
 Vestris namque armis Alarici fracta quievit
 Ac Brenni rabies; confusis rebus uterque
 Divinam tribuistis opem, sed tardior ille
 Iam captae vindex patriae, tu sospitis ultor.
 O quantum mutata tuo fortuna regressu! 435
 Vt sese pariter diffudit in omnia regni
 Membra vigor vivusque redit color urbibus aegris!
 Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis
 Femina dilecti fati impensa mariti.

Et iuvenem spretae laniatum fraude novercae 440
 Non sine Circaeis Latonia reddidit herbis.
 Cretaque, si verax narratur fabula, vidit
 Minoum rupto puerum prodire sepulchro,
 Quem senior vates avium clangore repertum
 Gramine restituit; mirae nam munere sortis 445
 Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
 At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
 Sed tot communi populos sub morte iacentes
 Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
 Ipso Roma die (nec adhuc ostenditur auctor) 450
 Personuit venisse ducem, laetisque Quirites
 Vocibus auspiciū certi plausere triumphī,
 Muniti Stilichone suo. Quis gaudia vero
 Principis, amplexus alacris quis disserat aulae?
 Pulveris ambiguam nubem speculamur ab altis 455
 Turribus incerti, socios adportet an hostes
 Ille globus. Mentem suspensa silentia librant:
 Donec pulvereo sub turbine sideris instar
 Emicuit Stilichonis apex et cognita fulsit
 Canities. Gavisā repens per moenia clamor 460
 Tollitur 'ipse venit'. Portas secūra per omnes
 Turba salutatis effunditur obvia signis.
 Non iam dilectus miseri nec falce per agros
 Deposita iaculum vibrans ignobile messor
 Nec temptans clipeum proiectis sumere rastris 465
 Bellona ridente Ceres humilisque novorum
 Seditio clamosa ducum: sed vera iuventus,
 Verus ductor adest et vivida Martis imago.
 Prospera sed quantum nostrae spes addita menti,
 Tantum exempta Getis. Qui vertice proximus astris
 Post Alpes iam cuncta sibi promisit apertas 471
 Nil superesse ratus, postquam tot lumina pubis,
 Tot subitos pedites, equitum tot conspicit alas
 Cinctaque fluminibus crebris ac moenibus arva

465 temptans] *Birtius*; temptat.

Seque velut clausum laqueis: sub pectore furtim 475
 Aestuat et nimium prono fervore petita
 Iam piget Italiae, sperataque Roma teneri
 Visa procul. Magni subeunt iam taedia coepti.
 Occultat tamen ore metum primosque suorum
 Consultare iubet bellis annisque verendos. 480
 Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
 Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix
 Et tremulos regit hasta gradus et nititur altis
 Pro baculo contis non exarmata senectus.
 Hic aliquis gravior natu, cui plurima dictis 485
 Consiliisque fides, defixus lumina terrae
 Concutiensque comam capuloque adclinis eburno:
 'Si numero non fallor' ait 'tricesima currit
 Bruma fere, rapidum postquam transnavimus Histrum,
 Romanamque manum tantis eludimus annis. 490
 Sed numquam Mavors adeo constrinxit in artum
 Res, Alarice, tuas. Per tot certamina docto
 Crede seni, qui te tenero vice patris ab aeo
 Gestatum parva solitus donare pharetra
 Atque aptare breves umeris puerilibus arcus: 495
 Saepe quidem frustra monui, servator ut icti
 Foederis Emathia tutus tellure maneres;
 Sed quoniam calidae rapuit te flamma iuventae,
 Nunc saltem, si cura tibi manet ulla tuorum,
 His claustris evade, precor, dumque agmina longe,
 Dum licet, Hesperiiis praeceps elabere terris, 501
 Ne nova praedari cupiens et parta reponas
 Pastorique lupus scelerum delicta priorum
 Intra saepta luas. Quid palmitis uber Etrusci,
 Quid mihi nescioquam proprio cum Thybride Romam
 Semper in ore geris? Referunt si vera parentes, 506
 Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit
 Laetatus violasse redit; nec numina sedem
 Destituunt: iactata procul dicuntur in hostem
 Fulmina divinique volant pro moenibus ignes, 510
 Seu caelum seu Roma tonat. Si temnis Olympum,

A magno Stilichone cave, qui semper iniquos
 Fortuna famulante premit. Scis ipse, per oras
 Arcadiae quam densa rogis cumulaverit ossa,
 Sanguine quam largo Graios calefecerit amnes; 515
 Extinctusque fores, ni te sub nomine legum
 Proditio regnique favor texisset Eoi.'

Talia grandaevum flammata fronte loquentem
 Obliquisque tuens oculis non pertulit ultra,
 Sed rupit rabidas accensa superbia voces: 520

'Si non mentis inops fraudataque sensibus aetas
 Praeberet veniam, numquam haec opprobria linguae
 Turpia Danuvius me sospite ferret inultus.
 Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi,
 Te patiar suadente fugam, cum cesserit omnis 525
 Obsequiis natura meis? Subsidere nostris
 Sub pedibus montes, arescere vidimus amnes.
 Non ita di Getici faxint manesque parentum,
 Vt mea converso relegam vestigia cursu.

Hanc ego vel victor regno vel morte tenebo 530

Victus humum. Per tot populos urbesque cucurri,
 Fregi Alpes galeisque Padum victricibus hausi:
 Quid restat nisi Roma mihi? Gens robore nostra
 Tum quoque pollebat, nullis cum fideret armis.

At nunc Illyrici postquam mihi tradita iura 535

Meque suum fecere ducem: tot tela, tot enses,

Tot galeas multo Thracum sudore paravi

Inque meos usus vectigal vertere ferri

Oppida legitimo iussu Romana coegi.

Sic me fata fovent; ipsi, quos omnibus annis 540

Vastabam, servire dati: nocitura gementes

Arma dabant flammisque diu mollitus et arte

In sua damna chalybs fabro lugente rubebat.

Hortantes his adde deos. Non somnia nobis

Nec volucres, sed clara palam vox edita luco: 545

»Rumpe omnes, Alarice, moras; hoc impiger annO«

»Alpibus Italiae ruptis penetrabis ad urbem.«

Huc iter usque datur. Quis iam post talia segnis

Ambigat aut caelo dubitet parere vocanti?’

Sic ait hortatusque suos belloque viaeque 550
Instruit. Attollunt vanos oracula fastus.

O semper tacita sortes ambage malignae

Eventuque patens et nescia vatibus ipsis

Veri sera fides! Ligurum regione suprema

Pervenit ad fluvium miri cognominis ‘Urbem’, 555

Atque illic domitus vix tandem interprete casu

Agnovit dubiis inlusa vocabula fatis.

Nec non et Stilicho pugnam poscentia movit

Pleno castra gradu dictisque instigat euntes:

‘Nunc nunc, o socii, temeratae sumite tandem 560

Italiae poenas, obsessi principis armis

Excusate nefas deploratumque Timavo

Vulnus et Alpinum gladiis abolete pudorem.

Hic est, quem totiens campis fudistis Achivis,

Quem discors odiisque anceps civilibus orbis, 565

Non sua vis tutata diu, dum foedera fallax

Ludit et alternae periuria venditat aulae.

Credite nunc omnes, quas dira Britannia gentes,

Quas Hister, quas Rhenus alit, pendere paratas

In speculis: uno tot proelia vincite bello. 570

Romanum reparate decus molemque labantis

Imperii fulcite umeris; hic omnia campus

Vindicat, haec mundo pacem victoria sancit.

Non in Threiciis Haemi decernimus oris

Nec super Alpheas umbrantia Maenala ripas 575

Constitimus; non hic Tegean Argosque tuemur:

Visceribus mediis ipsoque in corde videtis

Bella geri. Patrem clipeis defendite Thybrim.’

Talia nunc pediti, turmae nunc mixtus equestri

Dicta dabat.

Simul externis praecepta ferebat 580

Auxiliis. Ibat patiens dicionis Alanus,

Qua nostrae iussere tubae, mortemque petendam

Pro Latio docuit gentis praefectus Alanae,
 Cui natura breves animis ingentibus artus
 Finxerat inmanique oculos infecerat ira; 585
 Vulneribus pars nulla vacat rescissaque contis
 Gloria foedati splendet iactantior oris.
 Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
 Acceleravit equis Italamque momordit harenam.
 Felix Elysiisque plagis et carmine dignus, 590
 Qui male suspectam nobis impensius arsit
 Vel leto purgare fidem; qui iudice ferro
 Diluit inmeritum laudato sanguine crimen!
 Morte viri turbatus eques flectebat habenas
 Totaque praeciso nutassent agmina cornu, 595
 Ni celer instructa Stilicho legione secutus
 Subsidiis peditum pugnam instaurasset equestrem.
 Quis Musis ipsoque licet Paeane recepto
 Enarrare queat, quantum Gradivus in illa
 Luce suae dederit fundator originis urbi? 600
 Altius haud umquam toto descendimus ense
 In iugulum Scythiae, tanta nec clade superbum
 Contudimus Tanain vel cornua fregimus Histri.
 Invisum miles sitiens haurire cruorem
 Per varias vestes onerataque plaustra metallo 605
 Transit et argenti cumulos et caedis avarus
 Contemptas proculcat opes; pretiosior auro
 Sanguis erat; passim neglecti prodiga lucri
 Turba furens strictis odium mucronibus explet.
 Purpureos cultus absumptique igne Valentis 610
 Exuvias miserisque graves crateras ab Argis
 Raptaque flagranti spirantia signa Corintho
 Callidus ante pedes venientibus obicit hostis
 Incassum; neque enim feralis praeda moratur,
 Sed iustos praebent stimulos monumenta doloris. 615
 Adseritur ferro captivum vulgus, et omnes
 Diversae vocis populi, quos traxerat hostis
 Servitio, tandem dominorum strage redempti
 Blanda cruentatis adfigunt oscula dextris

Desertosque lares et pignora laeta revisunt. 620
 Miratur sua quemque domus cladesque renarrant
 Ordine; tum grati referunt miracula belli.
 Quis tibi tunc; Alarice, dolor, cum Marte perirent
 Divitiae spoliisque diu quaesita supellex
 Pulsaretque tuas ululatus coniugis aures, 625
 Coniugis, invicto dudum quae freta marito
 Demens Ausonidum gemmata monilia matrum
 Romanasque alta famulas cervice petebat;
 Scilicet Argolicas Ephyreidasque puellas
 Coeperat et pulchras iam fastidire Lacaenas. 630
 Sed dea quae nimiis obstat Rhamnusia votis
 Ingemuit flexitque rotam: domat aspera victos
 Pauperies, unoque die Romana rependit
 Quidquid ter denis acies amisit in annis.
 O celebranda mihi cunctis Pollentia saeculis! 635
 O meritum nomen! felicibus apta triumphis!
 Virtutis fatale solum, memorabile bustum
 Barbariae! Nam saepe locis ac finibus illis
 Plena laccessito rediit vindicta Quirino.
 Illic Oceani stagnis excita supremis 640
 Cimbrica tempestas alias emissa per Alpes
 Isdem procubuit campis. Iam protinus aetas
 Adveniens geminae gentis permisceat ossa
 Et duplices signet titulos commune tropaeum:
 'Hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremptos
 Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus. 646
 Discite vesanae Romam non temnere gentes.'

634 amisit in] *scripsi*; amisimus.

CARMINVM MINORVM ET PRIVATORVM
CORPVSCVLVM MAIORIBVS NONNVLLIS
CARMINIBVS DISTINCTVM.

I. (XIII.)

AD STILICHONEM.

Solitas galea fulgere comas,
Stilicho, molli necte corona.
Cessent litui saevumque procul
Martem felix taeda releget.
Tractus ab aula rursus in aulam 5
Redeat sanguis. Patris officii
Iunge potenti pignora dextra.
Gener Augusti pridem fueras,
Nunc rursus eris socer Augusti.
Quae iam rabies livoris erit? 10
Vel quis dabitur color invidiae?
Stilicho socer est, pater est Stilicho.

II. (LXXXV.)

DESCRIPTIO PORTVS SMYRNENSIS.

Vrbs in conspectu montana cacumina velat
Tranquillo praetenta mari. Ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus aequor
Clauditur et placidam discit servare quietem. 5

III. (LXXXI.)

AD AETERNALEM.

Quidquid Castalio de gurgite Phoebus anhelat,
 Quidquid fatidico mugit cortina recessu,
 Carmina sunt; sed verba negant communia Musae. ?
 Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo.

IV. (LIV.)

DESCRIPTIO ARMENTI.

Non tales quondam species tulit armentorum
 Tellus tergemino subdita Geryoni.
 Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
 Tarpeio referunt quos pia vota Iovi.
 Non talis Tyrias sparsisse iuvenus harenas 5
 Dicitur, optatum quando revexit onus.
 Non Cretaeus ager nec amati conscia tauri
 Gnosos nec similes paverit Ida feros.
 Ipse et dispariles monstro commissus in artus
 Qui crimen matris condidit ore novo 10
 Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
 Portassent totum si fera membra patrem.

V. (LXXXVI.)

EST IN CONSPECTV LONGE LOCVS.

Est procul ingenti regio summota recessu,
 Insula qua resides fluctus mitescere cogit
 In longum producta latus, fractasque per undas
 Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

VI. (LXXVIII.)

RIMANTI TELVM IRA FACIT.

In iaculum, quodcumque gerit, dementia mutat.
 Omnibus armatur rabies. Pro cuspide ferri

Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnere saevit.
Pro telo geritur quidquid suggesserit ira.

VII. (LXXXVII.)

DE QVADRIGA MARMOREA.

1.

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
Vnanimi frenantur equi: quos forma diremit,
Materies cognata tenet discrimine nullo.

2.

Vir redit in currum; ducuntur ab axe iugales;
Ex alio se quisque facit. Quae tanta potestas?
Vna silex tot membra ligat ductusque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

VIII. (LXIX.)

DE POLYCASTE ET PERDICCA.

Quid non saevus Amor flammaram numine cogat?
Sanguinis en fetum mater amare timet.
Pectore dum niveo miserum tenet anxia nutrix,
Inlicitos ignes iam fovet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone, Cupido. 5
Consule iam Venerem: forsam et ipsa dolet.

IX. (XLV.)

DE HYSTRICE.

Audieram memorande tuas Stymphale volucres
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu,
Nec mihi credibilis ferratae fabula pinnae

VIII 2 en fetum] *Birtius*; effetum, affectum.

Visa diu. Datur ecce fides et cognitus hystrix
Herculeas adfirmat aves.

Os longius illi

5

Adsimulat porcum. Mentitae cornua saetae
Summa fronte rigent. Oculis rubet igneus ardor.

Parva sub hirsuto catuli vestigia dorso.

Hanc tamen exiguam miro natura tueri

Praesidio dignata feram: stat corpore toto

10

Silva minax, iaculisque rigens in proelia crescit

Picturata seges; quorum cute fixa tenaci

Alba subit radix, alternantesque colorum

Tincta vices, spatiis internigrantibus, exit

In solidae speciem pinnae, tenuataque furtim

15

Levis in extremum sese producit acumen.

Sed non haec acies ritu silvestris echini

Fixa manet. Crebris propugnat iactibus ultro

Et longe sua membra tegit, tortumque per auras

Evolat excusso nativum missile tergo.

20

Interdum fugiens Parthorum more sequentem

Vulnerat; interdum positus velut ordine castris

Terrificum densa mucronum verberat unda

Et consanguineis hastilibus asperat armos:

Militat omne ferae corpus vibrataque rauco

25

Terga fragore sonant. Stimulis accensa tubarum

Agmina conlatis credas configere signis:

Tantus in angusto strepitus furit. Additur armis

Calliditas parcusque sui tumor iraque numquam

Prodigia telorum, caute contenta minari

30

Nec nisi servandae iactus impendere vitae.

Error abest: certum sollertia destinat ictum

Nil spatio fallente modum, servatque tenorem

Mota cutis doctique regit conamina nisus.

Quid labor humanus tantum ratione sagaci

35

Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris

13 Alba subit radix] *Barthius*; Albasubitraxit, alba sub
attraxit, altera subtraxit.

Cornua; subiectis eadem lentescere cogunt
 Ignibus; intendunt taurino viscere nervos;
 Instruitur pinnis ferroque armatur harundo.
 Ecce brevis propriis munitur bestia telis 40
 Externam nec quaerit opem; fert omnia secum:
 Se pharetra, sese iaculo, sese utitur arcu.
 Unum animal cunctas bellorum possidet artes.

Quodsi omnis nostrae paulatim industria vitae
 Fluxit ab exemplis, quidquid procul appetit hostem,
 Hinc reor inventum, morem hinc traxisse Cydonas 46
 Bellandi Parthosque retro didicisse ferire
 Prima sagittiferae pecudis documenta secutos.

X. (XCII.)

DE BIRRO CASTOREO.

Nominis umbra manet veteris; nam dicere birrum,
 Si Castor iuret, castoreum nequeo.
 Sex emptus solidis! Quid sit, iam scire potestis:
 Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

XI. (XCI.)

IN SEPVLCHRVM SPECIOSAE.

Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.
 Magna repente ruunt; summa cadunt subito.
 Hic formosa iacet: Veneris sortita figuram
 Egregiumque decus invidiam meruit.

XII. (LXXXIV.)

DE BALNEIS QVINTIANIS QVAE IN VIA POSITA
 ERANT.

Fontibus in liquidis paulum requiesce, viator,
 Atque tuum rursus carpe refectus iter.
 Lympharum dominum nimium miraberis, hospes,
 Inter dura viae balnea qui posuit.

XIII. (LXXIX.)

IN PODAGRVM QVI CARMINA SVA NON STARE
DICEBAT.

Quae tibi cum pedibus ratio? Quid carmina culpas?
Scandere qui nescis, versiculos laceras?
'Claudicat hic versus; haec' inquit 'syllaba nutat'
Atque nihil prorsus stare putat podager.

XIV. (LXXXII.)

AD MAXIMVM QVI EI MEL MISIT.

Dulcia dona mihi semper tu, Maxime, mittis,
Et, quidquid mittis, mella putare decet.

XV. (LXXXIX.)

DE PAVPERE AMANTE.

Paupertas me saeva domat dirusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

XVI. (XC.)

DE EODEM.

Esuriens pauper telis incendor amoris.
Inter utrumque malum deligo pauperiem.

XVII. (L.)

DE PIIS FRATRIBVS ET DE STATVIS EORVM
QVAE SVNT APVD CATINAM. *Catana.*

Adspice sudantes venerando pondere fratres,
Divino meritis semper honore coli,
Iusta quibus rapidae cessit reverentia flammae
Et mirata vagas reppulit Aetna faces.

Complexi manibus fultos cervice parentes
Attollunt vultus accelerantque gradus.

- Grandaeui gemina sublimes prole feruntur
 Et cara natos implicuere mora.
 Nonne vides, ut saeva senex incendia monstret?
 Vt trepido genetrix invocet ore deos? 10
 Exerit formidó comam, perque omne metallum
 Fusus in attonito palluit aere tremor.
 In iuvenum membris animosus cernitur horror
 Atque oneri metuens impavidusque sui.
 Reiectae vento chlamydes. Dextram exerit ille 15
 Contentus laeva sustinuisse patrem;
 Ast illi duplices in nodum colligit ulnas
 Cautior in sexu debiliore labor.
 Hoc quoque praeteriens oculis ne forte relinquant,
 Artificis tacitae quod meruere manus: 20
 Nam consanguineos eadem cum forma figuret,
 Hic propior matri fit tamen, ille patri.
 Dissimiles annos sollertia temperat artis:
 Alter in alterius redditur ore parens,
 Et nova germanis paribus discrimina praebens 25
 Divisit vultus cum pietate faber.
- O bene naturae memores, documenta supernae
 Iustitiae, iuvenum numina, vota senum:
 Qui spretis opibus medios properastis in ignes
 Nil praeter sanctam tollere canitiem. 30
 Haud equidem inmerito tanta virtute repressas
 Enceladi fauces obriguisset reor.
 Ipse redundantem frenavit Mulciber Aetnam,
 Laederet exempli ne monumenta pii.
 Senserunt elementa fidem. Patri adfuit aether 35
 Terraque maternum sedula iuvit onus.
 Quodsi notus amor provexit in astra Laconas,
 Aenean Phrygio raptus ab igne pater,
 Si vetus Argolicos inlustrat gloria fratres,
 Qui sua materno colla dedere iugo: 40
 Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
 Aeternum Siculus templa dicavit honos?

Plura licet summae dederit Trinacria laudi,
 Noverit hoc maius se genuisse nihil.
 Nec doleat damnis, quae devius intulit ardor, 45
 Nec gemat exustas igne furente domos:
 Non potuit pietas flamma cessante probari.
 Emptum est ingenti clade perenne decus.

XVIII. (LI.)

DE MVLABVS GALLICIS.

Adspice morigeras Rhodani torrentis alumnas
 Imperio nexas imperioque vagas,
 Dissona quam varios flectant ad murmura cursus
 Et certas adeant voce regente vias.
 Quamvis quaeque sibi nullis discurrat habenis 5
 Et pateant duro libera colla iugo,
 Ceu constricta tamen servit patiensque laborum
 Barbaricos docili concipit aure sonos.
 Absentis longinqua valent praecepta magistri,
 Frenorumque vicem lingua virilis agit. 10
 Haec procul angustat sparsas spargitque coactas:
 Haec sistit rapidas, haec properare facit.
 Laeva iubet: laevo deducunt limite gressum.
 Mutavit strepitum: dexteriora petunt.
 Nec vinclis famulae nec libertate feroces, 15
 Exutae laqueis, sub ditione tamen
 Consensuque pares et fulvis pellibus hirtae
 Esseda concordēs multisonora trahunt.
 Miraris, si voce feras pacaverit Orpheus,
 Cum pronas pecudes Gallica verba regant? 20

XIX. (XLIII.)

EPISTVLA AD GENNADIVM EXPROCONSVLE.

Italiae commune decus, Rubiconis amoeni
 Accola, Romani fama secunda fori,

XIX 2 accola] *Barthius*; incola.

Graiorum populis et nostro cognite Nilo
 (Vtraque gens fasces horret amatque tuos):
 Carmina ieiunas poscis solantia fauces? 5
 Testor amicitiam nulla fuisse domi.
 Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt
 Et lare contempto non reditura volant.

XX. (LII.)

DE SENE VERONENSI QVI SVBVRBIVM NVMQVAM
 EGRESSVS EST.

Felix, qui propriis aevum transegit in arvis,
 Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem,
 Qui baculo nitens in qua reptavit harena
 Vnius numerat saecula longa casae.
 Illum non vario traxit fortuna tumultu, 5
 Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
 Non freta mercator tremuit, non classica miles,
 Non rauci lites pertulit ille fori.
 Indocilis rerum, vicinae nescius urbis
 Adspectu fruitur liberiore poli. 10
 Frugibus alternis, non consule computat annum:
 Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
 Idem condit ager soles idemque reducit,
 Metiturque suo rusticus orbe diem,
 Ingentem meminit parvo qui germine quercum 15
 Aequaevumque videt consenuisse nemus,
 Proxima cui nigris Verona remotior Indis
 Benacumque putat litora Rubra lacum.
 Sed tamen indomitae vires firmisque lacertis
 Aetas robustum tertia cernit avum. 20
 Erret et extremos alter scrutetur Hiberos:
 Plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

XXI. (LXXX.)

DE THEODORO ET HADRIANO.

Manlius indulget somno noctesque diesque;
 Insomnis Pharius sacra profana rapit.
 Omnibus hoc, Italae gentes, exposcite votis,
 Manlius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

XXII. (XXXIX.)

DEPRECATIO AD HADRIANVM.

Vsque adeone tuae producit impetus irae?
 Nullus erit finis lacrimis? subitisque favorem
 Permutas odiis? Quo mens ignara nocendi,
 Quo sensus abiere pii? Tantumne licebit
 Invidiae? tantum strepitus valere maligni? 5

Me dolor incautus, me lubrica duxerit aetas,
 Me tumor impulerit, me devius egerit ardor:
 Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
 Humanae superos numquam tetigere querellae
 Nec vaga securum penetrant convicia caelum. 10

Excessit iam poena modum. Concede iacenti.
 En adsum; veniam confessus crimina posco.
 Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.
 Vltrices Furias matris placavit Orestes. 15

Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces.
 Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae:
 Darium famulis manibus doluisse peremptum
 Fertur et ingenti solatus fata sepulchro;
 Tradita captivo spatiosior India Poro.
 Conditor hic patriae; sic hostibus ille pepercit; 20

Hunc virtus tua digna sequi. Quemcumque deorum
 Laesimus, insultet iugulo pascatque furorem.
 Gratia defluxit, sequitur feralis egestas;
 Desolata domus, caris spoliatur amicis:
 Hunc tormenta necant, hic undique traditur exul. 25

Quid superest damnis? quae saeva pericula restant?

Emollit rabiem praedae mortisque facultas.
 Praetereunt subiecta ferae, torvique leones,
 Quae stravisse calent, eadem prostrata relinquunt
 Nec nisi bellantis gaudent cervice iuveni 30
 Nobiliore fame. Secuit nascentia vota
 Livor et ingesto turbavit gaudia luctu:
 Iamiam suppliciiis fessos humilesque serenus
 Respice. Quid tanta dignaris mole clientem?
 In brevibus numquam sese probat Aeolus undis, 35
 Nec capit angustus Boreae certamina collis:
 Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
 Incubuit numquam caelestis flamma salictis
 Nec parvi frutices iram meruere Tonantis:
 Ingentes quercus, annosas fulminat ornos. 40

Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervae,
 Hoc carmen pro ture damus. Miserere tuorum.
 Me, precor, heu, me redde mihi gravibusque medere
 Vulneribus vitamque iube famamque reverti.
 Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat. 45
 Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
 Cuius pertulerat vires, et sensit in uno
 Letalem placidamque manum; medicina per hostem
 Contigit, et pepulit quos fecerat ipse dolores.

Quodsi nec precibus fletu nec flecteris ullo, 50
 Eripe calcatis non prospera cingula Musis,
 Eripe militiam, comitem me pelle sodali.
 Scilicet insignis de paupere vate triumphus.
 Scilicet egregiis ornabere victor opimis.
 Inruat in miseros cognata potentia cives; 55
 Audiat haec commune solum longeque carinis
 Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
 Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

XXIII. (LXXIV.)

DEPRECATIO IN ALETHIVM QVAESTOREM.

Sic non Aethiopum campos aestate pererrem
 Nec Scythico brumam sub Iove nudus agam,

Sic non imbriferam noctem ducentibus Haedis
 Ionio credam turgida vela mari,
 Sic non Tartareo Furiarum verbere pulsus 5
 Irati relegam carmina grammatici:
 Nulla meos traxit petulans audacia sensus,
 Liberior iusto nec mihi lingua fuit.
 Versiculos, fateor, non cauta voce notavi,
 Heu miser! ignorans, quam grave crimen erat. 10
 Orpheos alii libros impune lacessunt
 Nec tua securum te, Maro, fama vehit;
 Ipse parens vatum, princeps Heliconis, Homerus
 Iudicis exceptit tela severa notae.
 Sed non Vergilius, sed non accusat Homerus: 15
 Neuter enim quaestor, pauper uterque fuit.
 En moveo plausus! en pallidus omnia laudo
 Et clarum repeto terque quaterque 'sophos'!
 Ignoscat placidus tandem flatusque remittat
 Et tuto recitet quod libet ore: placet. 20

XXIV. (LXXXIII.)

DE LVCVSTA. *Lovsta?*

Horret apex capitis; medio fera lumina surgunt
 Vertice; cognatus dorso durescit amictus.
 Armavit natura cutem dumique rubentes
 Cuspidibus parvis multos acuere rubores.

XXV. (XXX. XXXI.)

EPITHALAMIVM DICTVM PALLADIO V. C. TRIBVNO
 ET NOTARIO ET CELERINAE.

PRAEFATIO.

Carmina per thalamum quamvis festina negare
 Nec volui genero nec potui socero.
 Hic socius, dux ille mihi nostrique per aulam
 Ordinis hic consors emicat, ille prior.

Hunc mihi coniungit studiis communibus aetas; 5
 Hunc mihi praeponit vel senium vel honos.
 Carmen amor generi, soceri reverentia poscit
 Officio vatis, militis obsequio.

Forte Venus blando quaesitum frigore somnum
 Vitibus intexti gremio successerat antri
 Densaque sidereos per gramina fuderat artus
 Adclinis florum cumulo; crispatur opaca
 Pampinus et musto sudantem ventilat uvam. 5
 Ora decet neglecta sopor; fastidit amictum
 Aestus et exuto translucet pectore frondes.
 Idaliae iuxta famulae triplexque vicissim
 Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.
 Pennati passim pueri quo quemque vocavit 10
 Umbra iacent; fluitant arcus ramisque propinquis
 Pendentes placido suspirant igne pharetrae.
 Pars vigiles ludunt aut per virgulta vagantes
 Scrutantur nidos avium vel roscida laeti
 Mala legunt donum Veneri flexusque sequuntur 15
 Palmitis et summas pennis librantur in ulmos;
 Defendunt alii lucum Dryadasque procaces
 Spectandi cupidus et rustica numina pellunt
 Silvestresque deos longeque tuentibus antrum
 Flammea lascivis intendunt spicula Faunis: 20
 Cum subito varius vicina clamor ab urbe
 Et fausti iuvenum plausus mixtaeque choreis
 Auditae per rura lyrae. Celerina per omnes
 Italiae canitur montes omnisque maritum
 Palladium resonabat ager.

Pervenit ad aures 25
 Vox iucunda deae strepituque excita resedit
 Et reliquum nitido detersit pollice somnum
 Vtque fuit, turbata comas, intecta papillas,

13 vagantes] *Heinsius*; vagantur.

Mollibus exurgit stratis interque suorum
 Agmen et innumeros Hymenaeum quaerit Amores 30
 (Hunc Musa genitum legit Cytherea ducemque
 Praefecit thalamis; nullum iunxisse cubile
 Hoc sine nec primas fas est attollere taedas).
 Conspicitur tandem. Platano namque ille sub alta
 Fusus inaequales cera texebat avenas 35
 Maenaliosque modos et pastoralia labris
 Murmura temptabat relegens orisque recursu
 Dissimilem tenui variabat harundine ventum.

Restitit ut vidit Venerem, digitisque remissis
 Ad terram tacito defluxit fistula flatu. 40
 Dulce micant oculi; niveas infecerat igni
 Solque pudorque genas; dubiam lanuginis umbram
 Caesaries intonsa tegit. Prior ipsa silentem
 Compellat:

‘Numquamne, puer, dilecta relinques
 Carmina? maternis numquam satiabere donis 45
 Dedite Musarum studio nimiumque parentis
 Aemule? Quid medio tecum modularis in aestu?
 Iamne tibi sordent citharae? iam lustra Lycaei
 Atque pecus cordi redituraque rupibus Echo?
 Huc ades et tantae nobis edissere causas 50
 Laetitia, cui pompa toro tam clara resultet,
 Quae nova dotetur virgo: patriamque genusque
 Pande, quibus terris orti, quo semine ducti.
 Haud ignarus enim, nec te conubia fallunt
 Villa; tuo primae librantur foedere noctes.’ 55

Ille refert: ‘Equidem dudum te, diva, morantem
 Mirabar, quod adhuc tanti secreta maneres
 Coniugii. Non parva tibi mandatur origo.
 Fascibus insignes et legum culmine fultae
 Convenere domus et qui lectissimus orbi 60
 Sanguis erat. Rubris quae fluctibus insula latrat,
 Qui locus Aethiopum, quae sic impervia famae
 Secessit regio, quo non rumore secundo
 Palladii penetravit amor mentisque benigna

Temperies doctique sales et grata senectus? 65
 Per cunctos iit ille gradus aulaeque labores
 Emensus tenuit summae fastigia sedis
 Eoum stabili moderatus iure senatum.
 Hic splendor iuveni. Cunabula prima puellae
 Danuvius veteresque Tomi. Mavortia matris 70
 Nobilitas spoliis armisque exultat avitis
 Imensamque trahit Celerini robore lucem,
 Qui quondam Meroen iussus Nilumque tueri,
 Cum sibi post obitus et Parthica fulmina caro
 Sceptra daret miles rebusque imponere vellet, 75
 Despexit fremitus et praetulit otia regno;
 Respuit ingestum, quod vi, quod poscere ferro
 Posthabita pietate solent. Tum purpura primum
 Inferior virtute fuit meruitque repulsam
 Obvia maiestas. Doluit Fortuna minorem 80
 Se confessa viro. Magnum delata potestas,
 Maiorem contempta probat.

‘Cognomina sumpsit

Plena ducum genitor. Paulatim vectus ad altum
 Princeps militiae, qua non inlustrior extat
 Altera, cunctorum tabulas adsignat honorum, 85
 Rectorum tractat numeros, constringit in unum
 Sparsas imperii vires cuneosque recenset
 Dispositos: quae Sarmaticis custodia ripis,
 Quae saevis obiecta Getis, quae Saxona frenat
 Vel Scottum legio, quantae cinxere cohortes 90
 Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus.
 Casta domus, sincera fides, industria sollers.
 Elegit Stilicho; nihil ultra laudibus addi
 Iudiciove potest. Tali nubente puella
 Nonne tibi cessare nefas? Duc protinus omnes, 95
 Duc age. Marcentes cupio quassare coronas
 Et vibrare faces et noctem ducere ludo.
 Haec quoque non vilem iam fistula commodat usum
 Responsura choris.’

Vix haec Hymenaeus; at illa

Fontibus abluitur gelidis legemque capillo 100
 Reddit et ornatum formae prelisque solutae
 Mira Dioneae sumit velamina telae.
 Floribus extruitur currus; iuga floribus halant;
 Florea purpureas adnectunt frena columbas.
 Vndique concurrunt volucres, quaecumque frementem
 Permulcent Athesin cantu, quas Larius audit, 106
 Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
 Mincius: ereptis obmutuit unda querellis.
 Eridani ripas et raucae stagna Padusae
 Diffugiens nudavit olor. Laetantur Amores 110
 Frenatisque truces avibus per nubila vecti
 Ostentant se quisque deae magnoque tumultu
 Configunt pronique manus in verbera tendunt
 Atque impune cadunt: lapsus meliore volatu
 Consequitur vincitque suos auriga iugales. 115
 Vt thalami tetigere fores, tum vere rubentes
 Desuper invertunt calathos largosque rosarum
 Imbres et violas plenis sparsere pharetris
 Collectas Veneris prato, quibus ipse pepercit
 Sirius et teneras clementi sidere fovit. 120
 Gemmatis alii per totum balsama tectum
 Effudere cadis, duro quae saucius ungue
 Niliacus pingui desudat vulnere cortex.
 Adgreditur Cytherea nurum flentemque pudico
 Detrahit matris gremio. Matura tumescit 125
 Virginitas superatque nives ac lilia candor
 Et patrium flavis testatur crinibus Histrum.
 Tum dextram complexa viri dextramque puellae
 Tradit et his ultro sancit conubia dictis:
 'Vivite concordēs et nostrum discite munus. 130
 Oscula mille sonent; livescant brachia nexu;
 Labra ligent animas. Neu tu virtute proterva
 Confidas, iuvenis; non est terrore domanda,
 Sed precibus placanda tibi. Concede marito
 Tu quoque neu Scythicas infensis unguibus iras 135
 Exercere velis: vinci patiare, rogamus.

Sic uxor, sic mater eris. Quid lumina tinguis,
Virgo? crede mihi: quem nunc horrescis, amabis?'

Dixit et aligera geminos arcuque manuque
Praestantes e plebe vocat. Puer ilicet Aethon 140
Et Pyrois rutilas respersi murice plumas
Prosiliunt puroque imbutis melle sagittis
Hic nuptam petit, ille virum. Sonuere reducta
Cornua; certa notos pariter sulcavit harundo
Et pariter fixis haeserunt tela medullis. 145

XXVI. (XLIX.)

APONVS.

Fons, Antenoreae vitam qui porrigis urbi
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi plebeius carmina dictet honos
Et sit nulla manus, cuius non pollice ductae 5
Testentur memores prospera vota notae:
Nonne reus Musis pariter Nymphisque tenebor,
Si tacitus soli praetereare mihi?
Ludibrium quid enim fas est a vate relinqui
Hunc qui tot populis pervolat ora locum? 10

Alto colle minor, planis erectior arvis
Conspicuo clivus molliter orbe tumet
Ardentis fecundus aquae; quacumque cavernas
Perforat, offenso truditur igne latex.
Spirat putre solum, conclusaque subter anhelos 15
Pumice rimosas perfodit unda vias.
Vmida flammaram regio Vulcania; terrae
Vbera sulphureae fervida regna plagae.
Quis sterilem non credat humum? Fumantia vernant
Pascua; luxuriat gramine cocta silex 20

16 perfodit] *ego*; perforat.

Et, cum sic rigidae cautes fervore liquescant,
Contemptis audax ignibus herba viret.

Praeterea grandes effosso marmore sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.

Herculei (sic fama refert) monstratur aratri 25
Semita, vel casus vomeris egit opus.

In medio pelagi late flagrantis imago
Caerulus inmenso panditur ore lacus
Ingenti fusus spatio; sed maior in altum
Intrat et arcanae rupis inane subit: 30

Densus nube sua tactuque inmitis et haustu,
Sed vitreis idem lucidus usque vadis.

Consuluit natura sibi, ne tota lateret,
Admisitque oculos, quo vetat ire calor:
Turbidus impulsu venti cum spargitur aer 35

Glaucaque fumiferae terga serenat aquae,
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastae, regia dona, micant
(Quas inter, nigrae tenebris obscurus harenae,
Discolor abruptum flumen hiatus agit; 40

Adparent infra latebrae, quas gurgis opacus
Implet et abstrusos ducit in antra sinus);
Tunc montis secreta patent, qui flexus in arcum
Aequora pendenti margine summa ligat.

Viva coronatos adstringit scaena vapores, 45
Et levis exili cortice terra natat

Calcantumque oneri numquam cessura virorum
Sustentat trepidum, fida ruina, pedem.

Facta manu credas: sic levis circuit oras
Ambitus et tenuis perpetuusque riget. 50

Haerent stagna lacu plenas aequantia ripas
Praescriptumque timent transiluisse modum;

Quod superat, fluvius devexa rupe volutus
Egerit et campi dorsa recurva petit.

Devehit exceptum nativo spina meatu. 55
In patulas plumbi labitur inde vias;

Nullo cum strepitu madidis infecta favillis
 Despumat niveum fistula cana salem.
 Multifidas dispergit opes artemque secutus,
 Qua iussere manus, mobile torquet iter 60
 Et iunctos rapido pontes subtermeat aestu
 Adflatasque vago temperat igne tholos.
 Acrior interius, rauci cum murmure saxi,
 Spumeus eliso pellitur amne vapor. —
 Hinc pigras repetunt fessi sudore lacunas, 65
 Frigora quis longae blanda dedere morae.
 Salve Paeoniae largitor nobilis undae,
 Dardanii salve gloria magna soli,
 Publica morborum requies, commune medentum
 Auxilium, praesens numen, inempta salus. 70
 Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis
 Et nostro Phlegethon devius orbe calet,
 Sulphuris in venas gelidus seu decidit amnis
 Accensusque fluit (quod manifestat odor),
 Sive pares flammis undarum lance rependens 75
 Arbiter in foedus mons elementa vocat,
 Ne cedant superata sibi, sed legibus aequis
 Alterius vires possit utrumque pati:
 Quidquid erit causae, quocumque emitteris ortu,
 Non sine consilio currere certa fides. 80
 Quis casum meritis adscribere talibus audet?
 Quis negat auctores haec statuisse deos?
 Ille pater rerum, qui saecula dividit astris,
 Inter prima poli te quoque sacra dedit
 Et fragilem nostri miseratus corporis usum 85
 Telluri medicas fundere iussit aquas,
 Parcarumque colos exoratura severas
 Flumina laxatis emicuere iugis.
 Felices, proprium qui te meruere, coloni,
 Fas quibus est Aponon iuris habere sui. 90
 Non illis terrena lues corrupta nec Austri
 Flamina nec saevo Sirius igne nocet,

Sed quamvis Lachesis letali stamine damnet,
 In te fata sibi prosperiora petunt.
 Quodsi forte malus membris exuberat umor 95
 Languida vel nimio viscera felle rubent,
 Non venas reserant nec vulnere vulnera sanant
 Pocula nec tristi gramine mixta bibunt:
 Amissum lymphis reparant impune vigorem,
 Pacaturque aegro luxuriante dolor. 100

XXVII. (XLIV.)

PHOENIX.

Oceani summo circumfluus aequore lucus
 Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
 Sollicitatur equis vicinaque verbera sentit,
 Vmida roranti resonant cum limina curru,
 Vnde rubet ventura dies longeque coruscis 5
 Nox adflata rotis refugo pallescit amictu:
 Haec fortunatus nimium Titanius ales
 Regna colit solusque plaga defensus iniqua
 Possidet intactas aegris animalibus oras
 Saeva nec humani patitur contagia mundi. 10
 Par volucer superis, stellas qui vividus aequat
 Durando membrisque terit redeuntibus aevum,
 Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
 Adsuetus prohibere sitim; sed purior illum
 Solis fervor alit ventosaque pabula potat 15
 Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.
 Arcanum radiant oculi iubar. Igneus ora
 Cingit honos. Rutilo cognatum vertice sidus
 Attollit cristatus apex tenebrasque serena
 Luce secat. Tyrio pinguntur crura veneno. 20
 Antevolant Zephyros pinnae, quas caerulus ambit
 Flore color sparsoque super ditescit in auro.
 Hic neque concepto fetu nec semine surgit,
 Sed pater est prolesque sui nulloque creante
 Emeritos artus fecunda morte reformat 25

Et petit alternam totidem per funera vitam.
 Namque ubi mille vias longinqua retorserit aestas,
 Tot ruerint hiemes, totiens ver cursibus actum,
 Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras:
 Tum multis gravior tandem subiungitur annis 30
 Lustrorum numero victus: ceu lassa procellis
 Ardua Caucasio nutat de culmine pinus
 Seram ponderibus pronis tractura ruinam;
 Pars cadit adsiduo flatu, pars imbre peresa
 Rumpitur, abripuit partem vitiosa vetustas. 35

Iam breve decrescit lumen languetque senili
 Segnis stella gelu, qualis cum forte tenetur
 Nubibus et dubio vanescit Cynthia cornu.
 Iam solitae medios alae transcurrere nimbos
 Vix ima tolluntur humo. Tum conscius aevi 40
 Defuncti reducisque parans exordia formae
 Arentes tepidis de collibus eligit herbas
 Et tumulum texens pretiosa fronde Sabaeum
 Componit, bustumque sibi partumque futurum.

Hic sedet et Solem blando clangore salutat 45
 Debilior miscetque preces ac supplice cantu
 Praestatura novas vires incendia poscit.
 Quem procul adductis vidit cum Phoebus habenis,
 Stat subito dictisque pium solatur alumnum:
 'O senium positure rogo falsisque sepulcris 50
 Natales habiture vices, qui saepe renasci
 Exitio proprioque soles pubescere leto,
 Accipe principium rursus corpusque coactum
 Desere. Mutata melior procede figura.'

Haec fatus propere flavis e crinibus unum 55
 Concussa cervice iacit missoque volentem
 Vitali fulgore ferit. Iam sponte crematur
 Vt redeat gaudetque mori festinus in ortum.
 Fervet odoratus telis caelestibus agger
 Consumitque senem. Nitidos stupefacta iuvenco 60
 Luna premit pigrosque polus non concitat axes
 Parturiente rogo: curis Natura laborat,

Aeternam ne perdat avem, flammasque fideles
Admonet, ut rerum decus inmortale remittant.

Continuo dispersa vigor per membra volutus 65

Aestuat et venas recidivus sanguis inundat.

Victuri cineres nullo cogente moveri

Incipiunt plumaque rudem vestire favillam.

Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem

Succeditque novus: geminae confinia vitae 70

Exiguo medius discrimine separat ignis.

Protinus ad Nilum manes sacrare paternos

Auctoremque globum Phariae telluris ad oras

Ferre iuvat. Velox alienum pergit in orbem

Portans gramineo clausum velamine funus. 75

Innumerae comitantur aves stipatque volantem

Alituum suspensa cohors. Exercitus ingens

Obnubit vario late convexa meatu.

Nec quisquam tantis e milibus obvius audet

Ire duci, sed regis iter fragrantis adorant. 80

Non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis

Bella movet: commune facit reverentia foedus.

Talis barbaricas flavo de Tigride turmas

Ductor Parthus agit: gemmis et divite cultu

Luxurians sertis apicem regalibus ornat; 85

Auro frenat equum, perfusam murice vestem

Assyria signatur acu tumidusque regendo

Celsa per famulas acies dicione superbit.

Clara per Aegyptum placidis notissima sacris

Vrbs Titana colit, centumque adcline columnis 90

Invehitur templum Thebano monte revulsis.

Illic, ut perhibent, patriam de more reponit

Congeriem vultumque dei veneratus erilem

Iam flammae commendat onus, iam destinat aris

Semina reliquiasque sui: mirata relucent 95

Limina; divino spirant altaria fumo,

Et Pelusiacas productus ad usque paludes

Indus odor penetrat nares completque salubri

Tempestate viros et nectare dulcior aura

Ostia nigrantis Nili septena vaporat. 100
 O felix heresque tui! Quo solvimur omnes,
 Hoc tibi suppeditat vires; praebetur origo
 Per cinerem, moritur te non pereunte senectus.
 Vidisti quodcumque fuit; te saecula teste
 Cuncta revolvuntur; nosti quo tempore pontus 105
 Fuderit elatas scopulis stagnantibus undas,
 Quis Phaethonteis erroribus arserit annus,
 Et clades te nulla rapit solusque superstes
 Edomita tellure manes: non stamina Parcae
 In te dira legunt nec ius habuere nocendi. 110

XXVIII. (XLVII.)

NILVS.

Felix, qui Pharias proscindit vomere terras:
 Nubila non sperat tenebris condentia caelum
 Nec graviter flantes pluviali frigore Cauros
 Invocat aut arcum variata luce rubentem.
 Aegyptus sine nube ferax imbresque serenos 5
 Sola tenet; segura poli, non indiga venti
 Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat:
 Qui rapido tractu mediis elatus ab Austris,
 Flammiferae patiens zonae cancrique calentis,
 Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem 10
 Secreto de fonte cadens, qui semper inani
 Quaerendus ratione latet, nec contigit ulli
 Hoc vidisse caput: fertur sine teste creatus
 Flumina profundens alieni conscia caeli.
 Inde vago lapsu Libyam dispersus in omnem 15
 Aethiopum per mille ruit nigrantia regna
 Et loca continuo solis damnata vapore
 Inrorat populisque salus sitientibus errat
 Per Meroen Blemyasque feros atramque Syenem.
 Hunc bibit infrenis Garamas domitorque ferarum 20
 Gyrraeus, qui vasta colit sub rupibus antra,
 Qui ramos ebeni, dentes qui vellit eburnos,

Et gens compositis crinem velata sagittis.
 Nec vero similes causas crescentibus undis
 Aut tempus meruit. Glacie non ille soluta 25
 Nec circumfuso scopulis exuberat imbre.
 Nam cum tristis hiems alias produxerit undas,
 Tunc Nilum retinent ripae; cum languida cessant
 Flumina, tunc Nilus mutato iure tumescit.
 Quippe quod ex omni fluvio spoliaverit aestas, 30
 Hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
 Collectae partes unum revocantur in amnem;
 Quoque die Titana canis flagrantior armat
 Et rapit umores madidos venasque calore
 Compescit radiisque potentibus aestuat axis, 35
 Nilo bruma venit, contraria tempora mundo:
 Defectis solitum referens cultoribus aequor
 Effluit Aegaeo stagnantior, acrior alto
 Ionio seseque patentibus explicat arvis:
 Fluctuat omnis ager; remis sonuere novales; 40
 Saepius, aestivo iaceat cum forte sopore,
 Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

XXIX. (XLVIII.)

MAGNES.

Quisquis sollicita mundum ratione secutus
 Semina rimatur rerum, quo luna laborat
 Defectu, quae causa iubet pallescere solem,
 Vnde rubescentes ferali crine cometae,
 Vnde fluant venti, trepidae quis viscera terrae 5
 Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
 Vnde tonent nubes, quo lumine floreat arcus:
 Hoc mihi quaerenti, si quid deprendere veri
 Mens valet, expediat.

Lapis est cognomine magnes
 Decolor obscurus vilis. Non ille repexam 10
 Caesariem regum, non candida virginis ornat
 Colla nec insigni splendet per cingula morsu;

Sed nova si nigri videas miracula saxi,
 Tunc pulchros superat cultus et quidquid Eois
 Indus litoribus Rubra scrutatur in alga. 15

Nam ferro meruit vitam ferrique rigore
 Vescitur; hoc dulces epulas, hoc pabula novit;
 Hinc proprias renovat vires; hinc fusa per artus
 Aspera secretum servant alimenta vigorem;
 Hoc absente perit: tristi morientia torpent 20
 Membra fame, venasque sitis consumit apertas.

Mavors, sanguinea qui cuspide verberat urbes,
 Et Venus, humanas quae laxat in otia curas,
 Aurati delubra tenent communia templi.

Effigies non una deis: sed ferrea Martis 25
 Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
 Illis conubium celebrat de more sacerdos.

Ducit flamma choros; festa frondentia myrto
 Limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
 Floribus, et thalamum dotalis purpura velat. 30

Hic mirum consurgit opus: Cytherea maritum
 Sponte rapit caelique toros imitata priores
 Pectora lascivo flatu Mavortia nectit
 Et tantum suspendit onus galeaeque lacertos
 Implicat et vivis totum complexibus ambit. 35

Ille lacessitus longo spiraminis actu
 Arcanis trahitur gemma de coniuge nodis.
 Pronuba fit Natura deis ferrumque maritat
 Aura tenax: subitis sociantur numina furtis.

Quis calor infudit geminis alterna metallis 40
 Foedera? quae duras iungit concordia mentes?
 Flagrat anhela silex et amicam saucia sentit
 Materiem placidosque chalybs cognoscit amores.

Sic Venus horrificum belli compescere regem
 Et vultum mollire solet, cum sanguine praeceps 45
 Aestuat et strictis mucronibus asperat iras.

Sola feris occurrit equis solvitque tumorem
 Pectoris et blando praecordia temperat igni.
 Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes

Deserit et rutilas declinat in oscula cristas. 50
 Quae tibi, saeve puer, non est permissa potestas?
 Tu magnum superas fulmen caeloque relicto
 Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
 Iam gelidas rupes vivoque carentia sensu
 Membra feris, iam saxa tuis obnoxia telis, 55
 Et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
 Inlecebris; rigido regnant in marmore flammae.

XXX. (XXIX)

LAVS SERENAE.

Dic, mea Calliope, tanto cur tempore differs
 Pierio meritam serto redimire Serenam?
 Vile putas donum, solitam consurgere gemmis
 Et Rubro radiare mari si floribus ornes 5
 Reginae regina comam? sed floribus illis,
 Quos neque frigoribus Boreas nec Sirius urit
 Aestibus, aeterno sed veris honore rubentes
 Fons Aganippea Permessius educat unda:
 Vnde piae pascuntur apes et prata legentes
 Transmittunt saeculis Heliconia mella futuris. 10
 Dignius an vates alios exercuit unum
 Femineae virtutis opus? Quod sponte redempto
 Casta maritali successit Thessala fato
 Inque suos migrare virum non abnuit annos,
 Hoc Grai memorant. Latiis movet ora Camenis 15
 Praescia fatorum Tanaquil rediensque per undas
 Cloelia Thybrinas et eodem flumine ducens
 Claudia virgineo cunctantem crine Cybeben.
 Anne aliud toto molitur carminis actu
 Maeonii mens alta senis? Quod stagna Charybdis 20
 Armavit, quod Scylla canes, quod pocula Circe,
 Antiphatae vitata fames surdoque carina
 Remige Sirenum cantus transvecta tenaces,
 Lumine fraudatus Cyclops, contempta Calypso:
 Penelopae decus est atque uni tanta paratur 25

Scaena pudicitiae. Terrae pelagique labores
 Et saevi totidem bellis quot fluctibus anni
 Coniugii docuere fidem. Sit Claudia felix
 Teste dea castosque probet sub numine mores
 Absolvens puppisque moras crimenque pudoris: 30
 Penelope trahat arte procos fallatque furentes
 Stamina nocturnae relegens Laertia telae:
 Non tamen audebunt titulis certare Serenae.

Quodsi nobilitas cunctis exordia pandit
 Laudibus atque omnes redeunt in semina causae, 35
 Quis venerabilior sanguis, quae maior origo
 Quam regalis erit? non hoc privata dedere
 Limina nec tantum poterat contingere nomen
 Angustis laribus; patruo te principe celsam
 Bellipotens inlustrat avus, qui signa Britanno 40
 Intulit Oceano Gaetulaque reppulit arma.

Claram Scipiadam taceat Cornelia gentem
 Seque minus iactet Libycis dotata trophaeis;
 Cardine tu gemino laurus praetendis avitas:
 Inde Caledoniis, Australibus inde parentum 45
 Cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
 Sumpserat illa domus, cum te Lucina beatis
 Adderet astrorum radiis, o maxima rerum
 Gloria: post genitam didicit regnare Serenam.

Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris 50
 Vox humana valet? Primo lavat aequore solem
 India: tu fessos exacta luce iugales
 Proluis inque tuo respirant sidera fluctu.

Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis;
 Principibus fecunda piis: tibi saecula debent 55
 Traianum; series his fontibus Aelia fluxit.

Hinc senior, pater, hinc iuvenum diademata fratrum.
 Namque aliae gentes, quas foedere Roma recepit
 Aut armis domuit, varios aptantur in usus
 Imperii; Phariae segetes et Punica messis 60
 Castrorum devota cibo; dat Gallia robur
 Militis; Illyricis sudant equitatibus alae:

Sola novum Latiis vectigal Hiberia rebus
 Contulit Augustos. Fruges, aeraria, miles
 Vndique conveniunt totoque ex orbe leguntur: 65
 Haec generat qui cuncta regant. Nec laude virorum
 Censeri contenta fuit, nisi matribus aequae
 Vinceret et gemino certatim splendida sexu
 Flaccillam Mariamque daret pulchramque Serenam.

Te nascente ferunt per pinguia culta tumentem 70
 Divitiis undasse Tagum; Callaecia risit
 Floribus et roseis formosus Turia ripis *MAC.*
 Vellere purpureo passim mutavit ovile.

Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
 Expuit; effossis nec pallidus Astur oberrat 75

Montibus: oblatum sacris natalibus aurum
 Vulgo vena vomit, Pyrenaeisque sub antris

Ignea flumineae legere ceraunia Nymphae;
 Quaeque relabentes undas aestumque secutae

In refluos venere palam Nereides amnes 80

Confessae plausu dominam cecinere futuris
 Auspicium thalamis. Alio tum parvus in axe

Crescebat Stilicho votique ignarus agebat,
 Debita cui longe coniunx, penitusque remoto 85

Orbe parabatur tanti concordia fati.
 Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.

Vbera prima dabant gremio redolente Napaeae
 Ternaque te nudis innectens Gratia membris

Adflavit docuitque loqui. Quaecumque per herbam
 Reptares, fulgere rosae, candentia nasci 90

Lilia; si placido cessissent lumina somno,
 Purpura surgebat violae, factura cubile

Gramineum, vernetque tori regalis imago.
 Omina non audet genetrix tam magna fateri 95

Successusque suos arcani conscia voti
 Spe trepidante tegit.
 Gestabat Honorius arto

72 Turia] *Stoeckerus*; Duria. 90 fulgere] *Burmannus*;
 fluxere.

Te pater amplexu. Quotiens ad limina princeps
 Theodosius privatus adhuc fraterna veniret,
 Oscula libabat teque ad sua tecta ferebat
 Laetior; in matrem teneris conversa querellis: 100
 'Quid me de propriis auferre penatibus?' inquis:
 'Imperat hic semper!' Praesagia luserat error
 Et dedit augurium regnis infantia linguae.
 Defuncto genitore tuo sublimis adoptat
 Te patruus magnique animo solacia luctus 105
 Restituens propius quam si genuisset amavit
 Defuncti fratris subolem; nec carior olim
 Mutua Ledaeos devinxit cura Lacones:
 Addidit et proprio germana vocabula nato
 Quaque datur fratris speciem sibi reddit adempti. 110
 Denique cum rerum summas electus habenas
 Susciperet, non ante suis intendit amorem
 Pignoribus quam te pariter fidamque sororem
 Litus ad Eoium terris acciret Hiberis.
 Deseritur iam ripa Tagi Zephyrique relictis 115
 Sedibus Aurorae famulas properatur ad urbes.
 Incedunt geminae proles fraterna puellae:
 Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
 Expertes thalami, quarum Cythereia necdum
 Sub iuga cervices niveas Hymenaeus adegit. 120
 Vtraque luminibus timidum micat, utraque pulchro
 Excitat ore faces. Qualis Latonia virgo
 Et solo Iove nata soror cum forte revisunt
 Aequarei sortem patrum (spumantia cedunt
 Aequora castarum gressus venerata dearum; 125
 Non ludit Galatea procax, non improbus audet
 Tangere Cymothoen Triton totoque severos
 Indicit mores pelago pudor ipsaque Proteus
 Arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra):
 Tales sceptriferi visurae tecta parentis 130
 Limen Honoriades penetrant regale sorores.
 Ambas ille quidem patrio complexus amore,
 Sed merito pietas in te proclivior ibat;

Anticid
Thess
 Et quotiens, rerum moles ut publica cogit,
 Tristior aut ira tumidus flagrante redibat, 135
 Cum patrem nati fugerent atque ipsa timeret
 Commotum Flaccilla virum, tu sola frementem
 Frangere, tu blando poteras sermone mederi;
 Adloquiis haerere tuis, secreta fateri.
 Prisca puellares reverentia transilit annos. 140
 Non talem Triviae confert laudator Homerus
 Alcinoo genitam, quae dum per litora vestes
 Explicat et famulas exercet laeta choreis,
 Auratam iaculata pilam post naufraga somni
 Otia progressum foliis expavit Vlixen. 145
ultra
stich
 Pierius labor et veterum tibi carmina vatū
 Ludus erat: quos Smyrna dedit, quos Mantua libros
 Percurrens damnas Helenam nec parcis Elisae.
 Nobiliora tenent animos exempla pudicos:
 Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras 150
 Phylaciden et prona ruens Capanea coniunx
 Communes ardente viro mixtura favillas
 Et gravis incumbens casto Lucretia ferro,
 Vulnere quae proprio facinus testata tyranni
 Armavit patriae iustos in bella dolores 155
 Exule Tarquinio memorandaque concidit uno
 Vlta pudicitiam libertatemque cruore.
 Talia facta libens non tu virtute minore,
 Sed fato meliore legis.

Iam nubilis aetas

Principe sollicito votis erexerat aulam 160
 Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
 Antiquos loquitur Musarum pagina reges,
 Quod dura sub lege procos certare iuberent,
 Empturos thalamum dubii discrimine leti,
 Et sua crudeles gauderent pignora mortis. 165
 Ambitione peti. Curru Pisaea marino
 Fugit praeda Pelops; nam perfidus obice regis

Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.
 Hippomenes trepidus cursu ferroque secutam
 Aurato volucrem flexit Schoeneida pomo. 170
 Herculeas vidit Fluvio luctante palaestras
 Moenibus ex altis Calydon pretiumque labori
 Deianira fuit, cum pectore victor anhelus
 Alcides fremeret retroque Acheloius iret
 Decolor: attonitae stringebant vulnera Nymphae; 175
 Saucia truncato pallebant flumina cornu.
 Te non Hesperidum pomis, non amne subacto,
 Non socerum fallente rota, sed iudice dignus
 Augusto variis Stilicho spectatus in armis
 Accipit et regni dotes virtute paravit. 180
 Saepe duces meritis bello tribuere coronas:
 Hunc cingit muralis honos; hunc civica quercus
 Nexuit; hunc domitis ambit rostrata carinis.
 Solus, militiae mira mercede, iugalem
 Promeruit Stilicho socero referente coronam. 185
 Agnovit patrum similem Thermantia curam;
 Nupsit et illa duci; sed longe fata sororis
 Inferiora tuis. Alio tibi numine taedas
 Accendit Romana Salus magnisque coronis
 Coniugium fit causa tuum. Dilectus equorum, 190
 Quos Phrygiae matres Argaeaque gramina pastae
 Semine Cappadocum sacris praesaepibus edunt,
 Primus honor. Gemino mox inde a germine duxit
 Agmina commissosque labor sic gessit honores,
 Vt semper merito princeps cum magna dedisset, 195
 Deberet maiora tamen. Si bellica nubes
 Ingrueret, quamvis annis et iure minori
 Cedere grandaevos equitum peditumque magistros
 Adspiceres totumque palam permittere Martem,
 Nec gradus aetatisque pudor senioribus obstat, 200
 Ne iuveni parere velint. Ceu flamine molli
 Tranquillisque fretis clavum sibi quisque regendum
 Vindicat; incumbat si turbidus Auster et unda
 Pulset utrumque latus, posito certamine nautae

Contenti meliore manu seseque ratemque 205^a
 Unius imperiis tradunt, artemque pavore 205^b
 Confessae finem studiis fecere procellae:
 Haud aliter Stilicho, fremuit cum Thracia belli
 Tempestas, cunctis pariter cedentibus unus
 Eligitur ductor; suffragia quippe peregit
 Iudex vera timor; victus ratione salutis 210
 Ambitus et pulsus iacuit formidine livor.

Quis tibi tunc per membra tremor quantaequae
 cadebant

Vbertim lacrimae, cum saeva vocantibus arma
 Iam lituis madido respectans lumine vultus
 Optares reducem galeaeque inserta minaci 215
 Oscula cristati raperes festina mariti!

Gaudia quae rursus, cum post victricia tandem
 Classica sidereas ferratum pectus in ulnas
 Exciperes, castae tuto per dulcia noctis
 Otia pugnarum seriem narrare iuberis! 220

Non illo nitidos umquam bellante capillos
 Comere, non solitos gemmarum sumere cultus:
 Numinibus votisque vacas et supplice crine
 Verris humum: teritur neglectae gratia formae
 Cum proprio reditura viro.

Nec deside cura 225

Segnis marcet amor: laudem prudentia belli
 Feminea pro parte subit. Dum gentibus ille
 Confligit, vigili tu prospicis omnia sensu,
 Ne quid in absentem virtutibus obvia semper
 Audeat invidiae rabies neu fervor iniquus, 230

Ne qua procul positis furto subsederit armis
 Calliditas nocitura domi. Tu sedula quondam
 Rufino meditante nefas, cum quaereret artes
 In ducis exitium coniuratosque foveret
 Contra pila Getas, motus rimata latentes 235
 Mandatis tremebunda virum scriptisque monebas.

205^a ratemque] *Livineius*; patremque. 214 lumine vultus] *scripsi*; lumina vultu.

XXXI. (XL.)

EPISTVLA AD SERENAM.

Orphea cum primae sociarent numina taedae
 Ruraque compleret Thracia festus Hymen,.
 Certavere ferae picturataeque volucres,
 Dona suo vati quae potiora darent,
 Quippe antri memores, cautes ubi saepe sonorae 5
 Praebuerant dulci mira theatra lyrae.
 Caucasio crystalla ferunt de vertice lynces,
 Grypes Hyperborei pondera fulva soli.
 Furatae Veneris prato per inane columbae
 Florea conexis sarta tulere rosis, 10
 Fractaque nobilium ramis electra sororum
 Cynus oloriferi vexit ab amne Padi,
 Et Nilo Pygmaea grues post bella remenso
 Ore legunt Rubri germina cara maris.
 Venit et extremo Phoenix longaevus ab Euro 15
 Adportans unco cinnama rara pede.
 Nulla avium pecudumque fuit, quae ferre negaret
 Vectigal meritae conubiale lyrae.

Tunc opibus totoque Heliconis sedula regno
 Ornabat propriam Calliopea nurum. 20
 Ipsam praeterea dominam stellantis Olympi
 Ad nati thalamos ausa rogare parens.
 Nec sprevit regina deum vel matris honore
 Vel iusto vatis ducta favore pii,
 Qui sibi carminibus totiens lustraverat aras 25
 Iunonis blanda numina voce canens
 Proeliaque altisoni referens Phlegraea mariti,
 Titanum fractas Enceladique minas.
 Ilicet adventu noctem dignata iugalem
 Addidit augendis munera sacra toris, 30
 Munera mortales non admittentia cultus,
 Munera, quae solos fas habuisse deos.

Sed quod Threicio Iuno placabilis Orphei,
 Hoc poteris votis esse, Serena, meis. 35
 Illius expectent famulantia sidera nutum;
 Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
 Non ego, cum peterem, sollemni more procorum
 Promisi gregibus pascua plena meis
 Nec, quod mille mihi lateant sub palmite colles 40
 Fluctuet et glauca pinguis oliva coma,
 Nec, quod nostra Ceres numerosa falce laboret
 Aurataeque ferant culmina celsa trabes.
 Suffecit mandasse deam: tua littera nobis
 Et pecus et segetes et domus ampla fuit.
 Inflexit soceros et maiestate petendi 45
 Textit pauperiem nominis umbra tui.
 Quid non perficeret scribentis voce Serenae
 Vel genius regni vel pietatis amor?

Atque utinam sub luce tui contingeret oris
 Coniugis et castris et solio generi 50
 Optatum celebrare diem! me iungeret auspex
 Purpura, me sancto cingeret aula choro!
 Et mihi quam scriptis desponderat ante puellam,
 Coniugiis eadem pronuba dextra daret!
 Nunc medium quoniam votis maioribus aequor 55
 Invidet et Libycae dissidet ora plagae,
 Saltem absens, regina, fave reditusque secundos
 Adnue sidereo laeta supercilio.
 Terrarum tu pande vias, tu mitibus Euris
 Aequora pacari prosperiora iube, 60
 Vt tibi Pierides doctumque fluens Aganippe
 Debita servato vota cliente canant.

XXXII. (XCV.)

DE SALVATORE.

Christe potens rerum, redeuntis conditor aevi,
 Vox summi sensusque dei, quem fudit ab alta

Mente pater tantique dedit consortia regni,
 Impia tu nostrae domuisti crimina vitae
 Passus corporea numen vestire figura 5
 Adfarique palam populos hominemque fateri.
 [Quem verbo infusum Mariae mox numine viso]
 Virginei tumuere sinus, innuptaque mater
 Arcano stupuit compleri viscera partu
 Auctorem paritura suum: mortalia corda 10
 Artificem texere poli, mundique repertor
 Pars fuit humani generis, latuitque sub uno
 Pectore, qui totum late complectitur orbem,
 Et qui non spatiis terrae, non aequoris unda
 Nec capitur caelo, parvos confluit in artus. 15
 Quin et supplicii nomen nexusque subisti,
 Vt nos subriperes leto mortemque fugares
 Morte tua, mox aetherias euectus in auras
 Purgata repetens laetum tellure parentem.
 Augustum foveas, festis ut saepe diebus 20
 Annua sinceri celebret ieiunia sacri.

XXXIII—XXXIX.

DE CRYSTALLO CVI AQVA INERAT.

XXXIII. (LVI.)

Possedit glacies naturae signa prioris
 Et fit parte lapis, frigora parte negat.
 Sollers lusit hiems, imperfectoque rigore
 Nobilior vivis gemma tumescit aquis.

XXXIV. (LVII.)

Lymphae, quae tegitis cognato carcere lymphas,
 Et, quae nunc estis quaeque fuistis, aquae,
 Quod vos ingenium iunxit? qua frigoris arte
 Torpuit et maduit prodigiosa silex?

XXXII, 5 numen] *scripsi*; mundum.

Quis tepor inclusus securas vindicat undas? 5
 Interior glacies quo liquefacta Noto?
 Gemma quibus causis arcano mobilis aestu
 Vel concreta fuit vel resoluta gelu?

XXXV. (LVIII.)

Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
 Sumebat nimio iam pretiosa gelu
 Nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
 Sed medio mansit proditor orbe latex.
 Auctus honor; liquidi crescunt miracula saxi, 5
 Et conservatae plus meruistis aquae.

XXXVI. (LIX.)

Adspice porrectam splendenti fragmine venam,
 Qua trahitur limes lucidiore gelu.
 Hic nullum Borean nec brumam sentit opacus
 Vmor, sed varias itque reditque vias.
 Non illum constrinxit hiems, non Sirius auxit, 5
 Aetatis spatium non tenuavit edax.

XXXVII. (LX.)

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
 Duratisque vagus fons operitur aquis.
 Nonne vides, propriis ut spumet gemma lacunis
 Et refluos ducant pocula viva sinus
 Vdaque pingatur radiis obstantibus Iris, 5
 Secretas hiemes sollicitante die?
 Mira silex mirusque latex. Et flumina vincit
 Et lapides merito, quod fluit et lapis est.

XXXVIII. (LXI.)

Dum crystallata puer contingere lubrica gaudet
 Et gelidum tenero pollice versat onus,

XXXIV 7 causis] *idem*; claustris. XXXVI 5 auxit]
idem; axis, ardens.

Vidit perspicuo deprensas marmore lymphas,
 Dura quibus solis parcere novit hiems,
 Et siccum relegens labris sitientibus orbem 5
 Inrita quaesitis oscula fixit aquis.

XXXIX. (LXII.)

Marmoreum ne sperne globum: spectacula transit
 Regia nec Rubro vilior iste mari.
 Informis glacies, saxum rude, nulla figurae
 Gratia: sed raras inter habetur opes.

XL. (XLI.)

EPISTVLA AD OLYBRIVM.

Quid rear, adfatus quod non mihi dirigis ullos
 Nec redit alterno pollice ducta salus?
 Scribendine labor? Sed quae tam prona facultas,
 Carmina seu fundis seu Cicerone tonas?
 Cedere divitiis animi fortuna fatetur 5
 Et tantas oris copia vincit opes.

An rarus qui scripta ferat? Quin tempore nullo
 Cessant Flaminiae pulverulenta viae.
 Cum fluat ingenium, cum sit qui dicta reportet,
 Quae, nisi contemnor, causa relicta tibi? 10
 Despicias ergo tuum, si fas est credere, vatem
 Perfidus, et spatio debilitatur amor.

Excidimusne tibi? Lucem iam condet Hydaspes,
 Et Tartesiaco, Sol, oriere vado,
 Candescet Geticis Meroe conversa pruinis 15
 Claraque se vetito proluet Vrsa mari,
 Et, si iam nostros fastidit Olybrius ignes,
 Constat Oresteam nil valuisse fidem.

Quin age rumpe moras solaturusque sodalem
 Absens eloquio fertilior doce, 20

Crebraque facundo festinet littera cursu
 Libris atque animis insinuanda meis.
 Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni,
 Nec tibi dedecori Musa futura. Vale.

[XLI. (XLII.)

AD PROBINVM.

Quem, precor, inter nos habitura silentia finem?
 Quando dabit caras littera grata vices?
 Me timidum vel te potius dixisse superbum
 Convenit: alterius crimen utrumque tenet.
 Transfluxere dies et, dum scripsisse priorem 5
 Paenitet, aeternas itur in usque moras.
 Sed quid agam? Coepisse vetat reverentia vestri;
 Hinc amor hortatur scribere. Vincat amor.
 'Fors iuvat audentes' prisca sententia vatis.
 Hac duce non dubitem te reticente loqui; 10
 Audax aut si quid penitus peccasse videbor,
 Arguar, ingrati non subiturus onus.
 Romanos bibimus primum te consule fontes
 Et Latiae accessit Graia Thalia togae,
 Incipiensque tuis a fascibus omina cepi 15
 Fataque debebo posteriora tibi.
 Ergo lacessitus tandem rescribe roganti
 Et patria florens sorte, Probine, vale.

XLII. (LIII.)

DE APRO ET LEONE.

Torvus aper fulvusque leo coiere superbis
 Viribus, hic saeta saevior, ille iuba;
 Hunc Mars, hunc laudat Cybele. Dominatur uterque
 Montibus; Hercules sudor uterque fuit.

XLIII. (LXXV.)

IN CVRETIVM.

Fallaces vitreo stellas componere mundo
 Et vaga Saturni sidera saepe queri
 Venturumque Iovem paucis promittere nummis
 Cureti genitor noverat Vranius.
 In prolem dilata ruunt periuria patris 5
 Et poenam merito filius ore luit.
 Nam spurcos avidae lambit meretricis hiatus - *conium*
 Consumens luxu flagitiisque domum
 Et, quas fallacis collegit lingua parentis,
 Has eadem nati lingua refundit opes. 10

XLIV. (LXXVI.)

IN EVNDEM CVRETIVM.

Si tua, Cureti, penitus cognoscere quaeris
 Sidera, patre tuo certius ipse loquar.
 Quod furis, adversi dedit inclementia Martis;
 Quod procul a Musis, debilis Arcas erat; *M. Arcas*
 Quod turpem pateris iam cano podice morbum, 5
 Feminis signis Luna Venusque fuit;
 Attrivit Saturnus opes. Hoc prorsus in uno
 Haereo: quae cunnum lambere causa facit?

XLV. (LV.)

DE CONCHA.

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais
 Et patulo conchae divitis orbe fluat.
 Namque latex doctae qui laverit ora Serenae,
 Ultra Pegaseas numen habebit aquas.

XLVI. (LXXII.)

DE CHLAMYDE ET FRENIS.

Non semper clipei metuendum gentibus orbem
 Dilecto studiosa parens fabricabat Achilli,
 Lemnia nec semper supplex ardentis adibat
 Antra dei nato galeam factura comantem,
 Sed placidos etiam cinctus et mitia pacis 5
 Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
 Conspicius reges inter fulgeret Achivos.
 Ipsa manu chlamydes ostro texebat et auro,
 Frenaque, quae volucrem Xanthum Baliaumque decerent,
 Aequare quaesitis onerabat sedula gemmis. 10
 At tibi diversis, princeps altissime, certant
 Obsequiis soceri. Stilicho Mavortia confert
 Munera: barbaricas strages Rhenique triumphos.
 Reginae contenta modum servare Serena
 In tua sollicitas urget velamina telas. 15

XLVII. (LXXIII.)

DE EQVO DONO DATO.

O felix sonipes, tanti cui frena mereri
 Numinis et sacris licuit servire lupatis,
 Seu tua per campos vento iuba lusit Hiberos,
 Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
 Argaeae lavere nives, seu laeta solebas 5
 Thessaliae rapido perstringere pascua cursu:
 Accipe regales cultus et crine superbus
 Erecto virides spumis perfunde smaragdos.
 Luxurient tumido gemmata monilia collo,
 Nobilis auratos iam purpura vestiat armos, 10
 Et medium te zona liget variata colorum
 Floribus et castae manibus sudata Serenae,
 Persarum gentile decus. Sic quippe laborat
 Maternis studiis nec dedignatur equestres
 Moliri phaleras genero latura decorem. 15

XLVIII. (LXX.)

DE ZONA EQVI REGII MISSA HONORIO AVGVSTO
A SERENA.

Accipe parva tuae, princeps venerande, sororis
 Munera, quae manibus texuit ipsa suis,
 Dumque auro phalerae, gemmis dum frena renident,
 Hac uterum zona cinge fremmentis equi,
 Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis 5
 Turbidus Argaea seu nive lavit Halys,
 Sanguineo virides morsu versare smaragdos
 Et Tyrio dignum terga rubere toro.
 O quantum formae sibi conscius erigit armos
 Spargit et excussis colla superba iubis! 10
 Augescit brevitatis doni pietate Serenae,
 Quae volucres etiam fratribus ornat equos.

XLIX. (XLVI.)

DE TORPEDINE.

Quis non indomitam dirae torpedinis artem
 Audiit et merito signatas nomine vires?
 Illa quidem mollis segnique obnixa natatu
 Reptat et attritis vix languida serpit harenis.
 Sed latus armavit gelido natura veneno, 5
 Et frigus, quo cuncta rigent armata, medullis
 Miscuit et proprias hiemes per viscera duxit.
 Naturam iuvat ipsa dolis et conscia sortis
 Vtitur ingenio longeque extenta per algas
 Attactu confisa subit. Imobilis haeret: 10
 Qui tetigere iacent. Successu laeta resurgit
 Et vivos impune ferox depascitur artus.
 Si quando vestita cibus incautior aera
 Hauserit et curvis frenari senserit hamis,
 Non fugit aut vano conatur vellere morsu, 15

10 subit] *Birtius*; suo.

Sed propius nigrae iungit se callida saetae
 Et meminit captiva sui longeque per undas
 Pigra venenatis effundit flamina venis.
 Per saetam vis alta meat fluctusque relinquit
 Absentem victura virum: metuendus ab imis 20
 Emicat horror aquis et pendula fila secutus
 Transit harundineos arcano frigore nodos
 Victricemque ligat concreto sanguine dextram.
 Damnosum piscator onus praedamque rebellem
 Iactat et amissa redit exarmatus avena. 25

L. (LXXVII.)

IN IACOBVM MAGISTRVM EQVITVM.

Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
 Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.
 Sic ope sanctorum non barbarus inruat Alpes, 5
 Sic tibi det vires sancta Susanna suas; 6
 Sic tua pro clipeo defendat pectora Thomas 3
 Et comes ad bellum Bartholomaeus eat; 4
 Sic quicumque ferox gelidum transnaverit Histrum, 7
 Mergatur volucres ceu Pharaonis equi;
 Sic Geticas ultrix feriat romphaea catervas
 Romanasque regat prospera Thecla manus; 10
 Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum
 Atque tuam vincant dolia fusa sitim;
 Sic numquam hostili maculetur sanguine dextra:
 Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.

LI. (LXVIII.)

IN SPHAERAM ARCHIMEDIS.

Iuppiter in parvo cum cerneret aethera vitro,
 Risit et ad superos talia dicta dedit:

Hucine mortalis progressa potentia curae?
 Iam meus in fragili luditur orbe labor?
 Iura poli rerumque fidem legesque deorum 5
 Ecce Syracusius transtulit arte senex.
 Inclusus variis famulatur spiritus astris
 Et vivum certis motibus urget opus.
 Percurrit proprium mentitus Signifer annum, 8
 Et simulata novo Cynthia mense redit, 10
 Iamque suum volvens audax industria mundum
 Gaudet et humana sidera mente regit.
 Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
 Aemula naturae parva reperta manus.'

LII. (LXXXVIII.)

DE LANARIO.

Sordidus ex umeris nodo dependet amictus;
 Exercentur equis et colla comantia pectunt.

LIII. (XXXVII.)

GIGANTOMACHIA.

Terra parens quondam caelestibus invida regnis
 Titanumque simul crebros miserata dolores
 Omnia monstrifero complebat Tartara fetu
 Invisum genitura nefas Phlegramque retexit
 Tanta prole tumens et in aethera protulit hostes. 5
 Fit sonus: erumpunt crebri necdumque creati
 Iam dextras in bella parant superosque lacesunt
 Stridula volventes gemino vestigia lapsu.
 Pallescunt subito stellae flectitque rubentes
 Phoebus equos docuitque timor revocare meatus. 10
 Oceanum petit Arctos inocciduique Triones
 Occasum didicere pati. Tum fervida natos
 Talibus hortatur genetrix in proelia dictis:

'O pubes domitura deos, quodcumque videtis,
 Pugnando dabitur; praestat victoria mundum. 15
 Sentiet ille meas tandem Saturnius iras,
 Cognoscet, quid Terra potest, si viribus ullis
 Vincor, si Cybele nobis meliora creavit!
 Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
 Me damnis urgere solet? Quae forma nocendi 20
 Defuit? Hinc volucrem vivo sub pectore pascit
 Infelix Scythica fixus convalle Prometheus;
 Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit
 Et per canitiem glacies asperrima durat.
 Quid dicam Tityon, cuius sub vulture saevo 25
 Viscera nascuntur gravibus certantia poenis?
 Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
 Solvite Titanas vinclis, defendite matrem.
 Sunt freta, sunt montes: nostris ne parcite membris;
 In Iovis exitium telum non esse recuso. 30
 Ite, precor, miscete polum, rescindite turrets
 Sidereas. Rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus;
 Enceladi iussis mare serviat; alter habenas
 Aurorae pro Sole regat: te Delphica laurus
 Strirget, Porphyrion, Cirrhaeaeque templa tenebis.' 35
 His ubi consiliis animos elusit inanes,
 Iam credunt vicisse deos mediisque revinctum
 Neptunum traxisse fretis; hic sternere Martem
 Cogitat, hic Phoebi laceros divellere crines;
 Hic sibi promittit Venerem speratque Dianae 40
 Coniugium castamque cupit violare Minervam.
 Interea superos praenuntia convocat Iris.
 Qui fluvios, qui stagna colunt, cinguntur et ipsi
 Auxilio Manes; nec te, Proserpina, longe
 Vmbrosae tenuere fores; rex ipse silentum 45
 Lethaeo vehitur curru lucemque timentes
 Insolitam mirantur equi trepidoque volatu
 Spissas caeruleis tenebras e naribus offlant.
 Ac velut hostilis cum machina terruit urbem,
 Vndique concurrunt arcem defendere cives: 50

Haud secus omnigenis coeuntia numina turmis
Ad patris venere domos. Tum Iuppiter inquit:

'O numquam peritura cohors, o debita semper
Caelo progenies, nullis obnoxia fatis:

Cernitis ut Tellus nostrum coniuret in orbem 55

Prole nova dederitque alios interrita partus?

Ergo quot dederit natos, tot funera matri

Reddamus. Longo maneat per saecula luctu

Tanto pro numero paribus damnata sepulcris.'

Iam tuba nimborum sonuit, iam signa ruendi 60

His Aether, his Terra dedit confusaque rursus

Pro domino Natura timet. Discrimina rerum

Miscet turba potens: nunc insula deserit aequor,

Nunc scopuli latuere mari. Quot litora restant

Nuda! quot antiquas mutarunt flumina ripas! 65

Hic rotat Haemonium praeduris viribus Oeten;

Hic iuga conixus manibus Pangaea coruscat;

Hunc armat glacialis Athos; hoc Ossa movente

Tollitur; hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit

Et socias truncavit aquas summaque levatus 70

Rupe Giganteos umeros inrorat Enipeus:

Subsedit patulis Tellus sine culmine campis

In natos divisa suos.

Horrendus ubique

It fragor et pugnae spatium discriminat aer.

Primus terrificum Mavors non segnis in agmen 75

Odrysius impellit equos, quibus ille Gelonos

Sive Getas turbare solet: splendentior igni

Aureus ardescit clipeus, galeamque nitentes

Adrexere iubae. Tum concitus ense Pelorum

Transigit adverso, femorum qua fine volutus 80

Duplex semifero conectitur ilibus anguis,

Atque uno ternas animas interficit ictu.

Tum super insultans avidus languentia curru

Membra terit multumque rotae sparsere cruorem.

Occurrit pro fratre Mimas Lemnumque calentem

Cum lare Vulcani spumantibus eruit undis 86

Et prope torsisset, si non Mavortia cuspis
 Ante revelato cerebrum fudisset ab ore.
 Ille, viro toto moriens, serpentibus imis
 Vivit adhuc stridore ferox et parte rebelli 90
 Victorem post fata petit.

Tritonia virgo

Prosilit ostendens rutila cum Gorgone pectus;
 Adspectu contenta suo non utitur hasta
 (Nam satis est vidisse semel) primumque furentem
 Longius in faciem saxi Pallanta reformat. 95
 Ille procul subitis fixus sine vulnere nodis
 Vt se letifero sensit durescere visu
 (Et steterat iam paene lapis) 'Quo vertimur?' inquit,
 'Quae serpit per membra silex? qui torpor inertem
 Marmorea me peste ligat?' Vix pauca locutus, 100
 Quod timuit, iam totus erat; saevusque Damastor,
 Ad depellendos iaculum cum quaereret hostes,
 Germani rigidum misit pro rupe cadaver.

Hic vero interitum fratris miratus Echion
 Inscius, auctorem dum vult temptare nocendo, 105
 Te, Dea, respexit, solam quam cernere nulli
 Bis licuit. Meruit sublata audacia poenas
 Et didicit cum morte deam. Sed turbidus ira
 Palleneus, oculis aversa tuentibus atrox,
 Ingreditur caecasque manus in Pallada tendit. 110
 Hunc mucrone ferit dea comminus; ac simul angues
 Gorgoneo riguere gelu corpusque per unum
 Pars moritur ferro, partes periire videndo.

Ecce autem medium spiris delapsus in aequor
 Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon, 115
 Scilicet ad superos ut torqueat improbus axes.
 Horruit Aegaeus; stagnantibus exilit antris
 Longaevo cum patre Thetis desertaque mansit
 Regia Neptuni famulis veneranda profundis.
 Exclamant placidae Cynthi de vertice Nymphae, 120
 Nymphae, quae rudibus Phoebum docuere sagittis
 Errantes agitare feras primumque gementi

Latonae struxere torum, cum lumina caeli
 Parturiens geminis ornaret fetibus orbem.
 Implorat Paeana suum conterrita Delos
 Auxiliumque rogat: 'Si te gratissima fudit
 In nostros Latona sinus, succurre precanti.
 En iterum convulsa feror.'

CLAVDII CLAVDIANI
DE RAPTŪ PROSERPINAЕ.

PRAEFATIO.

(XXXII.)

Inventa secuit primus qui nave profundum
Et rudibus remis sollicitavit aquas,
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum
Quas natura negat praebuit arte vias:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis 5
Litora securo tramite summa legens;
Mox longos temptare sinus et linquere terras
Et leni coepit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim praeceps audacia crevit
Cordaue languentem dedidicere metum, 10
Iam vagus inrumpit pelagus caelumque secutus
Aegaeas hiemes Ioniumque domat.

LIBER PRIMVS.

(XXXIII.)

Inferni raptoris equos adflataque curru
Sidera Taenariorum caligantesque profundae
Iunonis thalamos audaci promere cantu
Mens congesta iubet. Gressus removete profani.
Iam furor humanos nostro de pectore sensus 5
Expulit et totum spirant praecordia Phoebum;
Iam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus et claram dispergere limina lucem
Adventum testata dei; iam magnus ab imis

*cf. Georg. 9/41
and freqs*

Auditor fremitus terris templumque remugit 10
 Cecropium sanctasque faces extollit Eleusis.
 Angues Triptolemi strident et squamea curvis
 Colla levant attrita iugis lapsuque sereno
 Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.
 Ecce procul ternis Hecate variata figuris 15
 Exoritur, levisque simul procedit Iacchus
 Crinali florens hedera, quem Parthica velat
 Tigris et auratos in nodum colligit unguis:
 Ebria Maeonius firmat vestigia thyrsus.

Di, quibus innumerum vacui famulatur Avernī 20
 Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris
 Quidquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit
 Interfusa vadis et quos fumantia torquens
 Aequora gurgitibus Phlegethon perlustrat anhelis —
 Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum 25
 Et vestri secreta poli: qua lampade Ditem
 Flexit Amor; quo ducta ferox Proserpina raptu
 Possedit dotale Chaos quantasque per oras
 Sollicito genetrix erraverit anxia cursu;
 Vnde datae populis fruges et glande relicta 30
 Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras
 Proelia moturus superis, quod solus egeret
 Conubiis sterilesque diu consumeret annos
 Impatiens nescire torum nullasque mariti 35
 Inlecebras nec dulce patris cognoscere nomen.
 Iam quaecumque latent ferali monstra barathro
 In turmas aciemque ruunt contraque Tonantem
 Coniurant Furiae, crinitaque sontibus hydri
 Tesiphone quatiens infausto lumine pinum
 Armatos ad castra vocat pallentia Manes.
 Paene reluctatis iterum pignantia rebus
 Rupissent elementa fidem penitusque revulso
 Carcere laxatis pubes Titania vinclis
 Vidisset caeleste iubar rursusque cruentus 45
 Aegaeon positis aucto de corpore nodis

"noxius" se
 records of only fro
 Festus.

Obvia centeno vexasset fulmina motu.

Sed Parcae vetuere minas orbique timentes
 Ante pedes soliumque ducis fudere severam
 Canitiem genibusque suas cum supplice fletu 50
 Admovere manus: quarum sub iure tenentur
 Omnia, quae seriem fatorum pollice ducunt
 Longaque ferratis evolvunt saecula fusis.
 Prima fero Lachesis clamabat talia regi
 Incultas dispersa comas:

‘O maxime noctis 55

Arbiter umbrarumque potens, cui nostra laborant
 Stamina, qui finem cunctis et semina praebes
 Nascendique vices alterna morte rependis,
 Qui vitam letumque regis (nam quidquid ubique
 Gignit materies, hoc te donante creatur 60
 Debeturque tibi certisque ambagibus aevi
 Rursus corporeos animae mittuntur in artus):
 Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
 Quas dedimus nevitque colus, neu foedera fratrum
 Civili converte tuba. Cur impia tollis 65
 Signa? quid incestis aperis Titanibus auras?
 Posce Iovem; dabitur coniunx.’

Vix ille pepercit

Erubuitque preces, animusque relanguit atrox
 Quamvis indocilis flecti: ceu turbine rauco
 Cum gravis armatur Boreas glacieque nivali 70
 Hispidus et Getica concretus grandine pennas
 Disrumpit, pelagus, silvas camposque sonoro
 Flamine rapturus; si forte adversus aenos
 Aeolus obiecit postes, vanescit inanis
 Impetus et fractae redeunt in claustra procellae. 75
 Tunc Maia genitum, qui fervida dicta reportet,
 Imperat acciri. Cyllenius adstitit ales
 Somniferam quatiens virgam tectusque galero. *cap*
 Ipse rudi fultus solio nigraque verendus
 Maiestate sedet: squalent inmania foedo 80
 Sceptra situ; sublime caput maestissima nubes

Asperat et dirae riget inclementia formae;
 Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso
 Ore tonat (tremefacta silent dicente tyranno
 Atria: latratum triplicem compescuit ingens 85
 Ianitor et presso lacrimarum fonte resedit
 Cocytos tacitisque Acheron obmutuit undis
 Et Phlegethontae requierunt murmura ripae):
 'Atlantis Tegeae nepos, commune profundis
 Et superis numen, qui fas per limen utrumque 90
 Solus habes geminoque facis commercia mundo,
 I celer et proscinde Notos et iussa superbo
 Redde Iovi: »Tantumne tibi, saevissime frater,
 In me iuris erit? sic nobis noxia vires
 Cum caelo Fortuna tulit? num robur et arma 95
 Perdidimus, si rapta dies? An forte iacentes
 Ignavosque putas, quod non Cyclopia tela
 Stringimus aut vanas tonitru deludimus auras?
 Nonne satis visum, grati quod luminis expers
 Tertia supremae patior dispendia sortis 100
 Informesque plagas, cum te laetissimus ornet
 Signifer et vario cingant splendore Triones;
 Sed thalamis etiam prohibes? Nereia glauco
 Neptunum gremio complectitur Amphitrite;
 Te consanguineo recipit post fulmina fessum 105
 Iuno sinu. Quid enim narrem Latonia furta,
 Quid Cererem magnamque Themis? Tibi tanta creandi
 Copia; te felix natorum turba coronat.
 Ast ego deserta maerens inglorius aula
 Implacidas nullo solabor pignore curas? 110
 Non adeo toleranda quies. Primordia testor
 Noctis et horrendae stagna intemerata paludis:
 Si dicto parere negas, patefacta ciebo
 Tartara, Saturni veteres laxabo catenas,
 Obducam tenebris solem, compage soluta 115
 Lucidus umbroso miscebitur axis Averno.«
 Vix ea fatus erat, iam nuntius astra tenebat.
 Audierat mandata Pater secumque volutat

Diversos ducens animos, quae tale sequatur
 Coniugium Stygiosque velit pro sole recessus. 120
 Certa requirenti tandem sententia sedit.

Hennaeae Cereri proles optata virebat
 Vnica, nec tribuit subolem Lucina secundam
 Fessaque post primos haeserunt viscera partus;
 Infecunda quidem, sed cunctis altior extat 125
 Matribus et numeri damnum Proserpina pensat.
 Hanc fovet, hanc sequitur: vitulam non blandius ambit
 Torva parens, pedibus quae nondum proterit arva
 Nec nova lunatae curvavit germina frontis.
 Iam matura toro plenis adoleverat annis 130
 Virginitas, tenerum iam pronuba flamma pudorem
 Sollicitat mixtaque tremit formidine votum.
 Personat aula procis: pariter pro virgine certant
 Mars clipeo melior, Phoebus praestantior arcu;
 Mars donat Rhodopen, Phoebus largitur Amyclas 135
 Et Delon Clariosque lares; hinc aemula Iuno,
 Hinc poscit Latona nurum. Despexit utrumque
 Flava Ceres raptusque timens (heu caeca futuri!)
 Commendat Siculis furtim sua gaudia terris
 [Infidis Laribus natam commisit alendam, 140
 Aethera deseruit Siculasque relegat in oras]
 Ingenio confisa loci.

Trinacria quondam

Italiae pars iuncta fuit; sed pontus et aetus
 Mutavere situm. Rupit confinia Nereus
 Victor et abscissos interluit aequore montes, 145
 Parvaeque cognatas prohibent discrimina terras.
 Nunc illam socia ruptam tellure trisulcam
 Opposuit Natura mari: caput inde Pachyni
 Respuit Ionias praetentis rupibus iras;
 Hinc latrat Gaetula Thetis Lilybaeaeque pulsat 150
 Brachia consurgens; hinc indignata teneri
 Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum. N. 2. prom

In medio scopulis se porrigit Aetna perustis,
 Aetna Giganteos numquam tacitura triumphos,
 Enceladi bustum, qui saucia terga revinctus 155
 Spirat inexhaustum flagranti vulnere sulphur
 Et, quotiens detractat onus cervice rebelli
 In laevum dextrumque latus, tunc insula fundo
 Vellitur et dubiae nutant cum moenibus urbes.

Aetnaeos apices solo cognoscere visu, 160
 Non aditu temptare licet. Pars cetera frondet
 Arboribus; teritur nullo cultore cacumen.
 Nunc movet indigenas nimbos piceaque gravatum
 Foedat nube diem, nunc motibus astra lacessit
 Terrificis damnisque suis incendia nutrit. 165

Sed quamvis nimio fervens exuberet aestu,
 Scit nivibus servare fidem pariterque favillis
 Durescit glacies tanti secura vaporis,
 Arcano defensa gelu, fumoque fideli
 Lambit contiguas innoxia flamma pruinas. 170

Quae scopulos tormenta rotant? quae tanta cavernas
 Vis glomerat? quo fonte ruit Vulcanius amnis?
 Sive quod obicibus discurrens ventus opertis
 Offenso rimoso furit per saxa meatu,
 Dum scrutatur iter, libertatemque reposcens 175
 Patria multivagis populatur flatibus antra;
 Seu mare sulphurei ductum per viscera montis
 Oppressis ignescit aquis et pondera librat.

Hic ubi servandum mater fidissima pignus
 Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates 180
 Turrigeramque petit Cybelen sinuosa draconum
 Membra regens, volucris qui pervia nubila tractu
 Signant et placidis umectant frena venenis:
 Frontem crista tegit; pingunt maculosa virentes
 Terga notae; rutilum squamis intermicat aurum. 185
 Nunc spiris Zephyros tranant; nunc arva volatu
 Inferiore secant. Cano rota pulvere labens
 Sulcatam fecundat humum: flavescit aristis
 Orbita; surgentes condunt vestigia fruges;

Vestit iter comitata seges.

Iam linquitur Aetna 190

Totaque decrescit refugo Trinacria visu.

Heu quotiens praesaga mali violavit oborto

Rore genas! quotiens oculos ad tecta retorsit

Talia voce movens: 'Salve, gratissima tellus,
Quam nos praetulimus caelo, tibi gaudia nostri 195

Sanguinis et caros uteri commendo labores.

Praemia digna manent: nullos patiére ligones

Et nullo rigidi versabere vomeris ictu.

Sponte tuus florebit ager; cessante iuvenco

Ditior oblatas mirabitur incola messes.' 200

Sic ait et fulvis tetigit serpentibus Idam.

Hic sedes augusta deae templique colendi

Relligiosa silex, densis quam pinus obumbrat

Frondebis et nulla lucos agitante procella

Stridula coniferis modulatur carmina ramis. 205

Terribiles intus thiasi vesanaque mixto

Concentu delubra gemunt; ululatus Ide

Bacchatur; tumidas inclinant Gargara silvas.

Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant;

Conticuere chori; Corybas non impulit ensem; 210

Non buxus, non aera sonant blandasque leones

Summisere iubas. Adytis gavisá Cybebe

Exilit et pronas intendit ad oscula turres.

Viderat haec dudum summa speculatus ab arce

Iuppiter ac Veneri mentis penetralia pandit: 215

'Curarum, Cytherea, tibi secreta fatebor.

Candida Tartareo nuptum Proserpina regi

Iam pridem decreta dari: sic Atropos urget;

Sic cecinit longaeva Themis. Nunc matre remota

Rem peragi tempus. Fines invade Sicanos 220

Et Cereris prolem patulis includere campis,

Crastina puniceos cum lux detexerit ortus,

Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,

Me quoque saepe soles. Cur ultima regna quiescunt?
 Nulla sit immunis regio nullumque sub umbris 225
 Pectus inaccensum Veneri. Iam tristis Erinys
 Sentiat ardores; Acheron Ditisque severi
 Ferrea lascivis mollescant corda sagittis.

Accelerat praecepta Venus; iussuque parentis
 Pallas et inflexo quae terret Maenala cornu 230
 Addunt se comites. Divino semita gressu
 Claruit, augurium qualis laturus iniquum
 Praepes sanguineo dilabitur igne cometes
 Prodigiale rubens: non illum navita tuto,
 Non impune vident populi, sed crine minaci 235
 Nuntiat aut ratibus ventos aut urbibus hostes.
 Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant
 Cyclopum firmata manu: stant ardua ferro
 Moenia, ferrati postes, immensaque nectit
 Claustra chalybs. Nullum tanto sudore Pyragmon 240
 Nec Steropes construxit opus: non talibus unquam
 Spiravere Notis animae nec flumine tanto
 Incoctum maduit lassa cervice metallum.
 Atria cingit ebur; trabibus solidatur aenis
 Culmen et in celsas surgunt electra columnas. 245

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu
 Inrita texebat rediturae munera matri.
 Hic elementorum seriem sedesque paternas
 Insignibat acu, veterem qua lege tumultum
 Discrevit Natura parens et semina iustis 250
 Discessere locis: quidquid leve, fertur in altum;
 In medium graviora cadunt; incanduit aer;
 Legit flamma polum; fluxit mare; terra pependit.
 Nec color unus erat: stellas accendit in auro,
 Ostro fundit aquas. Attollit litora gemmis 255
 Filaque mentitos iamiam caelantia fluctus
 Arte tument: credas inlidi cautibus algam
 Et raucum bibulis inserpere murmur harenis.
 Addit quinque plagas: mediam subtegmine rubro
 Obsessam fervore notat; squalebat inustus 260

Limes et adsiduo sitiebant stamina sole.
 Vitales utrimque duas, quas mitis oberrat
 Temperies habitanda viris; in fine supremo
 Torpentes traxit geminas brumaque perenni
 Foedat et aeterno contristat frigore telas. 265
 Nec non et patruī pingit sacraria Ditis
 Fatalesque sibi Manes; nec defuit omen:
 Praescia nam subitis maduerunt fletibus ora.
 Coeperat et vitreis summo iam margine texti
 Oceanum sinuare vadis; sed cardine verso 270
 Cernit adesse deas imperfectumque laborem
 Deserit et niveos infecit purpura vultus
 Per liquidas succensa genas castaeque pudoris
 Inluxere faces: non sic decus ardet eburnum,
 Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro. 275
 Merserat unda diem; sparsa nox umida somno
 Languida caeruleis invexerat otia bigis,
 Iamque viam Pluto superas molitur ad auras
 Germani monitu. Torvos invisa iugales
 Allecto temone ligat, qui pascua mandunt 280
 Cocyti pratisque Erebi nigrantibus errant
 Stagnaque tranquillae potantes marcida Lethes
 Aegra soporatis spumant oblivia linguis:
 Orphnaeus crudele micans Aethonque sagitta
 Ocior et Stygii sublimis gloria Nycteus 285
 Armenti Ditisque nota signatus Alastor.
 Stabant ante fores iuncti saevumque fremebant
 Crastina venturae spectantes gaudia praedae.

 PRAEFATIO LIBRI SECVNDI.

(XXXIV.)

Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus
 Neglectumque diu deposuisset opus,

284 Orphnaeus] *ed. vet.*; Oreneus, Orineus, Orneus. —
 Aethonque] *ed. vet.*; ethonusque.

Lugebant erepta sibi solacia Nymphae,
Quaerebant dulces flumina maesta modos.
Saeva feris natura redit metuensque leonem 5
Implorat citharae vacca tacentis opem.
Illius et duri flevere silentia montes
Silvaque Bistoniam saepe secuta chelyn.

Sed postquam Inachiis Alcides missus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede 10
Diraque sanguinei vertit praesaepia regis
Et Diomedeos gramine pavit equos,
Tunc patriae festo laetatus tempore vates
Desuetae repetit fila canora lyrae
Et resides levi modulatus pectine nervos 15
Pollice festivo nobile duxit ebur.
Vix auditus erat: venti frenantur et undae,
Pigrior adstrictis torpuit Hebrus aquis,
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes,
Excussit gelidas pronior Ossa nives; 20
Ardua nudato descendit populus Haemo
Et comitem quercum pinus amica trahit,
Cirrhaeasque dei quamvis despexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere molossi 25
Vicinumque lupo praebeuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride dammae;
Massylam cervi non timuere iubam.

Ille novercales stimulos actusque canebat
Herculis et forti monstra subacta manu, 30
Quod timidae matri pressos ostenderit angues
Intrepidusque fero riserit ore puer:
Te neque Dictaeas quatiens mugitibus urbes
Taurus nec Stygii terruit ira canis,
Non leo sidereos caeli rediturus ad axes, 35
Non Erymanthei gloria montis aper.
Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu
Adpetis, occiduo ducis ab orbe greges

Georg. III | 405.

25

African

Tergeminique ducis numerosos deicis artus
 Et totiens uno victor ab hoste redis. 40
 Non cadere Antaeo, non crescere profuit hydrae;
 Nec cervam volucres eripuerunt pedes.
 Caci flamma perit; rubuit Busiride Nilus;
 Prostratis maduit nubigenis Pholoe.
 Te Libyci stupuere sinus, te maxima Tethys 45
 Horruit, imposito cum premerere polo:
 Firmior Herculea mundus cervice pependit;
 Lustrarunt umeros Phoebus et astra tuos.
 Thracius haec vates. Sed tu Tirynthius alter,
 Florentine, mihi: tu mea plectra moves 50
 Antraque Musarum longo torpentia somno
 Excutis et placidos ducis in orbe choros.

LIBER SECVNDVS.

(XXXV.)

Impulit Ionios praemisso lumine fluctus
 Nondum pura dies; tremulis vibratur in undis
 Ardor et errantes ludunt per caerula flammae.
 Iamque audax animi fidaeque oblita parentis
 Fraude Dionaea riguos Proserpina saltus 5
 (Sic Parcae iussere) petit. Ter cardine verso
 Praesagum cecinere fores; ter conscia fati
 Flebile terrificis gemuit mugitibus Aetna.
 Nullis illa tamen monstris nulloque tenetur
 Prodigio. Comites gressum iunxere sorores. 10
 Prima dolo gaudens et tanto concita voto
 It Venus et raptus metitur corde futuros,
 Iam dirum flexura chaos, iam Dite subaecto
 Ingenti famulos Manes ductura triumpho.
 Illi multifidos crinis sinuatur in orbes 15
 Idalia divisus acu; sudata marito
 Fibula purpureos gemma suspendit amictus.

in me only
 at A. G. Voss,
 p. Stallius.

Candida Parrhasii post hanc regina Lycae
 Et Pandionias quae cuspidē protegit arces,
 Vtraque virgo, ruunt: haec tristibus aspera bellis, 20
 Haec metuenda feris. Tritonia casside fulva
 Caelatum Typhona gerit, qui summa peremptus
 Ima viget, parte emoriens et parte superstes;
 Hastaque terribili surgens per nubila ferro
 Instar habet silvae; tantum stridentia colla 25
 Gorgonis obtentu pallae fulgentis inumbrat.
 At Triviae lenis species et multus in ore
 Frater erat, Phoebique genas et lumina Phoebi
 Esse putes, solusque dabat discrimina sexus.
 Brachia nuda nitent; levibus proiecerat auris 30
 Indociles errare comas, arcuque remisso
 Otia nervus agit; pendent post terga sagittae.
 Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
 Poplite fusa tenus, motoque in stamine Delos
 Errat et aurato trahitur circumflua ponto. 35
 Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
 Mox dolor, aequali tendit per gramina passu
 Nec membris nec honore minor potuitque videri
 Pallas, si clipeum ferret, si spicula, Phoebe.
 Collectae tereti nodantur iaspide vestes. 40
 Pectinis ingenio numquam felicior artis
 Contigit eventus; nulli sic consona telae
 Fila nec in tantum veri duxere figuras.
 Hic Hyperionio Solem de semine nasci
 Fecerat et pariter, forma sed dispare, Lunam, 45
 Aurorae noctisque duces; cunabula Tethys
 Praebet et infantes gremio solatur anhelos
 Caeruleusque sinus roseis radiatur alumnis.
 Invalidum dextro portat Titana lacerto
 Nondum luce gravem nec pubescentibus alte 50
 Cristatum radiis: primo clementior aeo

No present
 Parallel
 recorded.

23 sic scripsi; ima viget parte moriens; ima parte viget moriens.

Fingitur et tenerum vagitu despuit ignem.

Laeva parte soror vitrei libamina potat

Vberis et parvo signatur tempora cornu.

Tali luxuriat cultu. Comitantur euntem 55

Naides et socia stipant utrimque caterva,

Quae fontes, Crinise, tuos et saxa rotantem

Pantagiam nomenque Gelam qui praebuit urbi

Concelebrant, quas pigra vado Camerina palustri,

Quas Arethusaevi latices, quas advena nutrit 60

Alpheus (Cyane totum supereminet agmen):

Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis

Pulchra cohors, quotiens Arcton populata virago

Hippolyte niveas ducit post proelia turmas,

Seu flavos stravere Getas seu forte rigentem 65

Thermodontiaca Tanaim fregere securi;

Aut quales referunt Baccho sollemnia Nymphae

Maeoniae, quas Hermus alit, ripasque paternas

Percurrunt auro madidae: laetatur in antro

Amnis et undantem declinat prodigus urnam. 70

Viderat herboso sacrum de vertice vulgus

Henna parens florum curvaque in valle sedentem

Compellat Zephyrum: 'Pater o gratissime veris,

Qui mea lascivo regnas per prata meatu

Semper et adsiduis inroras flatibus annum, 75

Respice Nympharum coetus et celsa Tonantis

Germina per nostros dignantia ludere campos.

Nunc adsis faveasque, precor; nunc omnia fetu

Pubescant virgulta velis, ut fertilis Hybla

Invideat vincique suos non abnuat hortos. 80

Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis,

Quidquid odoratus longe blanditur Hydaspes,

Quidquid ab extremis ales longaeva colonis

Colligit optato repetens exordia leto,

In venas disperge meas et flamine largo 85

Rura fove. Merear divino pollice carpi

Et nostris cupiant ornari numina sertis.'

Dixerat; ille novo madidantes nectare pennas
Concutit et glaebas fecundo rore maritat,
Quaque volat vernus sequitur rubor; omnis in herbas
Turget humus medioque patent convexa sereno. 91

Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit et dulci violas ferrugine pingit.

Parthica quae tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura sinus? quae vellera tantum 95

Ditibus Assyrii spumis fucantur aeni?
Non tales volucer pandit Iunonius alas,
Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita discretis interviret umida nimbis. 100

"be green here in
there"; Statius Th
4/12 of a male

Forma loci superat flores: curvata tumore
Parvo planities et mollibus edita clivis

Creverat in collem; vivo de pumice fontes
Roscida mobilibus lambebant gramina rivis,

Silvaque torrentes ramorum frigore soles
Temperat et medio brumam sibi vindicat aestu: 105

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Iovi, tumulos tectura cupressus,

Ilex plena favis, venturi praescia laurus;
Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus, 110

Hic hederæ serpunt, hic pampinus induit ulmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)

Panditur et nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis: admittit in altum

Cernentes oculos et late pervius umor
Ducit inoffensos liquido sub flumine visus 115

Imaque perspicui prodit secreta profundi.
[Huc elapsa cohors gaudet per florida rura.]

Hortatur Cytherea: legant. 'Nunc ite, sorores,
Dum matutinis praesudat solibus aer, 120

Dum meus umectat flaventes Lucifer agros
Roranti praevectus equo.' Sic fata doloris

Carpit signa sui. Varios tum cetera saltus

Only here
Statius, Th
1/4 of a male
= "next
myself in
advance"

Invasere cohors: credas examina fundi
 Hyblaeum raptura thymum, cum cerea reges 125
 Castra movent fagique cava dimissus ab alvo
 Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
 Pratorum spoliatur honos: haec lilia fuscis
 Intexit violis; hanc mollis amaracus ornat;
 Haec graditur stellata rosis, haec alba ligustris. 130
 Te quoque, flebilibus maerens Hyacinthe figuris,
 Narcissumque metunt, nunc inclita germina veris,
 Praestantes olim pueros: tu natus Amyclis,
 Hunc Helicon genuit; disci te perculit error,
 Hunc fontis decepit amor; te fronte retusa 135
 Delius, hunc fracta Cephisus harundine luget.

Aestuat ante alias avido fervore legendi
 Frugiferae spes una deae: nunc vimine texto
 Ridentes calathos spoliis agrestibus implet;
 Nunc sociat flores seseque ignara coronat, 140
 Augurium fatale tori. Quin ipsa tubarum
 Armorumque potens dextram, qua fortia turbat
 Agmina, qua stabiles portas et moenia vellit,
 Iam levibus laxat studiis hastamque reponit
 Insuetisque docet galeam mitescere sertis; 145
 Ferratus lascivit apex horrorque recessit
 Martius et cristae pacato fulgure vernant.
 Nec, quae Parthenium canibus scrutatur odorem,
 Aspernata choros libertatemque comarum
 Iniecta voluit tantum frenare corona. 150

Talia virgineo passim dum more geruntur,
 Ecce repens mugire fragor, configere turres
 Pronaque vibratis radicibus oppida verti.
 Causa latet; dubios agnovit sola tumultus
 Diva Paphi mixtoque metu perterrita gaudet. 155
 Iamque per anfractus animarum rector opacos
 Sub terris quaerebat iter gravibusque gementem
 Enceladum calcabat equis: inmania findunt
 Membra rotae pressaque Gigas cervice laborat
 Sicaniam cum Dite ferens temptatque moveri 160

135. This would seem to be a not very happy extension of the sense, based on phrases like crine-retusa (also Claud.), used of a star. Or perhaps the idea is the the actual brightness of the face was

Debilis et fessis serpentibus impedit axem:
 Fumida sulphureo praelabatur orbita dorso.
 Ac velut occultus securum pergit in hostem
 Miles et effossi subter fundamina campi
 Transilit inclusos arcano limite muros 165
 Turbaque deceptas victrix erumpit in arces
 Terrigenas imitata viros: sic tertius heres
 Saturni latebrosa vagis rimatur habenis
 Devia, fraternum cupiens exire sub orbem.
 Ianua nulla patet; prohibebant undique rupes 170
 Oppositae duraque deum compage tenebant:
 Non tulit ille moras indignatusque trabali
 Saxa ferit sceptro. Sicalae sonuere cavernae;
 Turbatur Lipare; stupuit fornace relicta
 Mulciber et trepidus deiecit fulmina Cyclops. 175
 Audiit et si quem glacies Alpina coercet
 Et qui te, Latiis nondum praecincte tropaeis
 Thybri, natat missamque Pado qui remigat alnum.
 Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret
 Peneo stagnante palus et mersa negaret 180
 Arva coli, trifida Neptunus cuspide montes
 Impulit adversos: tunc forti saucius ictu
 Dissiluit gelido vertex Ossaëus Olympo;
 Carceribus laxantur aquae factoque meatu
 Redduntur fluviusque mari tellusque colonis. 185
 Postquam victa manu duros Trinacria nexus
 Solvit et inmenso late discessit hiatu,
 Adparet subitus caelo timor; astra viarum
 Mutavere fidem; vetito se proluit Arctos
 Aequore; praecipitat pigrum formido Booten; 190
 Horruit Orion. Audito palluit Atlas
 Hinnitu: rutilos obscurat anhelitus axes
 Discolor et longa solitos caligine pasci
 Terruit orbis equos; pressis haesere lupatis
 Attoniti meliore polo rursusque verendum 195
 In chaos obliquo certant temone reverti.
 Mox ubi pulsato senserunt verbera tergo

Et solem didicere pati, torrentius amne
 Hiberno tortaue ruunt pernicious hasta:
 Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri,
 Non leve sollicitae mentis discurrit acumen. 201
 Sanguine frena calent; corrumpit spiritus auras
 Letifer; infectae spumis vitiantur harenae.

Diffugiunt Nymphae: rapitur Proserpina curru
 Imploratque deas.

Iam Gorgonis ora revelat 205
 Pallas et intento festinat Delia telo

Nec patruo cedunt: stimulat communis in arma
 Virginitas crimenque feri raptoris acerbat.
 Ille velut stabuli decus armentique iuvenecam
 Cum leo possedit nudataque viscera fodit 210
 Vnguibus et rabiem totos exegit in armos:
 Stat crassa turpis sanie nodosque iubarum
 Executit et viles pastorum despicit iras.

'Ignavi domitor vulgi, deterrime fratrum',
 Pallas ait 'quae te stimulis facibusque profanis 215
 Eumenides movere? tua cur sede relicta
 Audes Tartareis caelum incestare quadrigis?
 Sunt tibi deformes Dirae, sunt altera Lethes
 Numina, sunt tristes Furiae, te coniuge dignae.
 Fratris linque domos, alienam desere sortem; 220
 Nocte tua contentus abi. Quid viva sepultis
 Admisces? nostrum quid proteris advena mundum?'

Talia vociferans avidos transire minaci
 Cornipedes umbone ferit clipeique retardat
 Obice Gorgoneisque premens adsibilat hydrys 225
 Praetentaque operit crista; libratur in ictum
 Fraxinus et nigros inluminat obvia currus
 Missaque paene foret, ni Iuppiter aethere summo
 Pacificas rubri torsisset fulminis alas
 Confessus socerum: nimbis hymenaeus hiulcis 230
 Intonat et testes firmant conubia flammae.

Invitae cessere deae. Compescuit arcum
 Cum gemitu talesque dedit Latonia voces:

'Sis memor o longumque vale. Reverentia patris
Obstitit auxilio, nec nos defendere contra 235
Possumus: imperio vinci maiore fatemur.

In te coniurat genitor populoque silenti
Traderis, heu! cupidas non adspectura sorores
Aequalemque chorum. Quae te fortuna supernis
Abstulit et tanto damnavit sidera luctu? 240

Iam neque Partheniis innectere retia lustris
Nec pharetram gestare libet: securus ubique
Spumet aper saevique fremant impune leones.
Te iuga Taygeti, posito te Maenala flebunt
Venatu maestoque diu lugebere Cyntho. 245
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.'

Interea volucris fertur Proserpina curru
Caesariem diffusa Noto planctuque lacertos
Verberat et questus ad nubila tendit inanes:

'Cur non torsisti manibus fabricata Cycloperum 250
In nos tela, pater? Sic me crudelibus umbris
Tradere, sic toto placuit depellere mundo?

Nullane te flectit pietas nihilumque paternae
Mentis inest? Tantas quo crimine movimus iras?
Non ego, cum rapido saeviret Phlegra tumultu, 255
Signa deis adversa tuli; non robore nostro
Ossa pruinosa vexit glacialis Olympum.

Quod conata nefas aut cuius conscia culpae
Exul ad inmanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas alii quascumque tulere 260
Raptores! saltem communi sole fruuntur.

Sed mihi virginitas pariter caelumque negatur,
Eripitur cum luce pudor, terrisque relictis
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.

O male dilecti flores despectaque matris 265

Consilia! o Veneris deprensae serius artes!
Mater, io! seu te Phrygius in vallibus Idae
Mygdonio buxus circumsonat horrida cantu,
Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis et strictos Curetum respicis enses: 270

Exitio succurre meo! compesce furentem!
 Comprime ferales torvi praedonis habenas!²⁷⁵
 Talibus ille ferox dictis fletuque decoro
 Vincitur et primi suspiria sensit amoris.
 Tunc ferrugineo lacrimas deterget amictu 275
 Et placida maestum solatur voce dolorem:
 Desine funestis animum, Proserpina, curis
 Et vano vexare metu. Maiora dabuntur
 Sceptra nec indigni taedas patiēre mariti.
 Ille ego Saturni proles, cui machina rerum 280
 Servit et inmensum tendit per inane potestas.
 Amissum ne crede diem: sunt altera nobis
 Sidera, sunt orbes alii, lumenque videbis
 Purius Elysiumque magis mirabere solem
 Cultoresque pios; illic pretiosior aetas, 285
 Aurea progenies habitat, semperque tenemus
 Quod superi meruere semel. Nec mollia desunt
 Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant
 Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
 Est etiam lucis arbor praedives opacis 290
 Fulgentes viridi ramos curvata metallo:
 Haec tibi sacra datur fortunatumque tenebis
 Autumnum et fulvis semper ditabere pomis.
 Parva loquor: quidquid liquidus complectitur aer,
 Quidquid alit tellus, quidquid maris aequora verrunt,
 Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes, 296
 Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis
 Lunari subiecta globo, qui septimus auras
 Ambit et aeternis mortalia separat astris.
 Sub tua purpurei venient vestigia reges 300
 Deposito luxu turba cum paupere mixti
 (Omnia mors aequat); tu damnatura nocentes,
 Tu requiem latura piis; te iudice sontes
 Improba cogentur vitae commissa fateri.
 Accipe Lethaeo famulas cum gurgite Parcas, 305

275 deterget] *Birtius*; detergit, detersit.

Sitque ratum quodcumque voles.’

Haec fatus ovantes

Exhortatur equos et Tartara mitior intrat.

Conveniunt animae, quantas violentior Auster

Decutit arboribus frondes aut nubibus imbres

Colligit aut frangit fluctus aut torquet harenas; 310

Cunctaque praecipiti stipantur saecula cursu

Insignem visura nurum. Mox ipse serenus

Ingreditur facili passus mollescere risu

Dissimilisque sui. Dominis intransibus ingens

Adsurgit Phlegethon: flagrantibus hispida rivis 315

Barba madet totoque fluunt incendia vultu.

Occurrunt properi lecta de plebe ministri:

Pars altos revocant currus frenisque solutis

Vertunt emeritos ad pascua nota iugales;

Pars aulaea tenent; alii praetexere ramis 320

Limina et in thalamum cultas extollere vestes.

Reginam casto cinxerunt agmine matres

Elysiae teneroque levant sermone timores

Et sparsos religant crines et vultibus addunt

Flammea sollicitum praevelatura pudorem. 325

Pallida laetatur regio gentesque sepultae

Luxuriant epulisque vacant genialibus umbrae.

Grata coronati peragunt convivia Manes;

Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus;

Sedantur gemitus. Erebi se sponte relaxat 330

Squalor et aeternam patitur rarescere noctem,

Vrta nec incertas versat Minoia sortes.

Verbera nulla sonant nulloque frementia luctu

Impia dilatis respirant Tartara poenis:

Non rota suspensum praeceps Ixiona torquet; 335

Non aqua Tantaleis subducitur invida labris.

Solvitur Ixion et Tantalus invenit undas

Et Tityos tandem spatiosos erigit artus

Squalentisque novem detexit iugera campi

(Tantus erat), laterisque piger sulcator opaci 340

Invitus trahitur lasso de pectore vultur

Abreptasque dolet iam non sibi crescere fibras.

Oblitae scelerum formidatique furoris
 Eumenides cratera parant et vina feroci
 Crine bibunt flexisque minis iam lene canentes 345
 Extendunt socios ad pocula plena cerastas
 Et festas alio succendunt lumine taedas.
 Tunc et pestiferi pacatum flumen Averni
 Innocuae transistis, aves, flatumque repressit
 Amsanctus: fixo tacuit torrente vorago. 350
 Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
 Lacte novo tumuisse ferunt, hederisque virentem.
 Cocyton dulci perhibent undasse Lyaeo.
 Stamina nec rumpit Lachesis; nec turbida sacris
 Obstreperant lamenta choris. Mors nulla vagatur 355
 In terris, nullique rogam planxere parentes.
 Navita non moritur fluctu, non cuspidem miles;
 Oppida funerei pollent innumera leti,
 Impexamque senex velavit harundine frontem
 Portitor et vacuos egit cum carmine remos. 360

Iam suus inferno processerat Hesperus orbi:
 Ducitur in thalamum virgo. Stat pronuba iuxta
 Stellantes Nox picta sinus tangensque cubile
 Omina perpetuo genitalia foedere sancit;
 Exultant cum voce pii Ditisque sub aula 365
 Talia pervigili sumunt exordia plausu:

‘Nostra potens Iuno tuque o germane Tonantis
 Et gener, unanimi consortia discite somni
 Mutuaque alternis innectite vota lacertis.
 Iam felix oritur proles; iam laeta futuros 370
 Expectat Natura deos. Nova numina rebus
 Addite et optatos Cereri proferte nepotes.’

LIBER TERTIVS.

(XXXVI.)

On Thaumantida
see Theog. 268

Iuppiter interea cinctam Thaumantida nimbis
 Ire iubet totoque deos arcessere mundo.
 Illa colorato Zephyros inlapsa volatu
 Numina conclamat pelagi Nymphasque morantes
 Increpat et Fluvios umentibus evocat antris. 5
 Ancipites trepidique ruunt, quae causa quietos
 Excierit, tanto quae res agitanda tumultu.
 Vt patuit stellata domus, considerare iussi,
 Nec confusus honor: caelestibus ordine sedes
 Prima datur; tractum proceres tenuere secundum 10
 Aequorei, placidus Nereus reverendaque Phorci
 Canities; Glaucum series extrema biformem
 Accipit et certo mansurum Protea vultu.
 Nec non et senibus Fluviis concessa sedendi
 Gloria; plebeio stat cetera more iuventus, 15
 Mille Amnes. Liquidis incumbunt patribus udae
 Naides et taciti mirantur sidera Fauni.
 Tum gravis ex alto genitor sic orsus Olympo:
 'Abduxere meas iterum mortalia curas
 Iam pridem neglecta mihi, Saturnia postquam 20
 Otia et ignavi senium cognovimus aevi;
 Sopitosque diu populos torpore paterno
 Sollicitae placuit stimulis impellere vitae,
 Incultis ne sponte seges grandesceret arvis,
 Vndaret neu silva favis, neu vina tumerent 25
 Fontibus et totae fremerent in pocula ripae
 (Haud equidem invideo — neque enim livescere fas est
 Vel nocuisse deos — sed, quod dissuasor honesti
 Luxus et humanas oblimat copia mentes),
 Provocet ut segnes animos rerumque remotas 30
 Ingeniosa vias paulatim exploret egestas
 Vtque artes pariat sollertia, nutriat usus.
 'Nunc mihi cum magnis instat Natura querellis

Rare;
transfer
here only

Humanum relevare genus, durumque tyrannum
 Inmitemque vocat regnataque saecula patri 35
 Commemorat parcumque Iovem se divite clamat,
 Qui campos horrere situ dumisque repleri
 Rura velim, nullis exornem fructibus annum.
 Se iam, quae genetrix mortalibus ante fuisset,
 In dirae subito mores transisse novercae; 40
 «Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
 Erexisse caput, pecudum si more pererrant
 Avia, si frangunt communia pabula glandes?
 Haecine vita iuvat silvestribus addita lustris,
 Indiscreta feris?» Tales cum saepe parentis 45
 Pertulerim questus, tandem clementior orbi
 Chaonio statui gentes avertere victu:
 Atque adeo Cererem, quae nunc ignara malorum
 Verberat Idaeos torva cum matre leones,
 Per mare, per terras avido discurrere luctu 50
 Decretum, natae donec laetata repertae
 Indicio tribuat fruges, currusque feratur
 Nubibus ignotas populis sparsurus aristas
 Et iuga caerulei subeant Actaea dracones.
 Quodsi quis Cereri raptorem prodere divum 55
 Audeat, imperii molem pacemque profundam
 Obtestor rerum, natus licet ille sororve
 Vel coniunx fuerit natarumve agminis una,
 Se licet illa meo conceptam vertice iactet:
 Sentiet iratum procul aegide, sentiet ictum 60
 Fulminis et genitum divina sorte pigebit
 Optabitque mori: tunc vulnere saucius ipsi
 Tradetur genero, passurus prodita regna,
 Et sciet an propriae conspirent Tartara causae.
 Hoc sanctum; mansura fluant hoc ordine fata.' 65
 Dixit et horrendo concussit sidera motu.

At procul armisoni Cererem sub rupibus antri
 Securam placidamque diu iam certa peracti
 Terrebant simulacra mali, noctesque timorem
 Ingeminant omnique perit Proserpina somno. 70

Namque modo adversis invadi viscera telis,
 Nunc sibi mutatas horret nigrescere vestes,
 Nunc steriles mediis frondere penatibus ornos.
 Stabat praeterea luco dilectior omni
 Laurus, virgineos quondam quae fronde pudica 75
 Umbrabat thalamos: hanc imo stipite caesam
 Vidit et incomptos foedari pulvere ramos
 Quaesivitque nefas. Dryades dixere gementes
 Tartarea Furias debellavisse bipenni.

Sed tunc ipsa sui iam non ambagibus ullis
 Nuntia materno facies ingesta sopori:
 Namque videbatur tenebroso obtecta recessu
 Carceris et saevis Proserpina vincta catenis,
 Non qualem Siculis olim mandaverat arvis
 Nec qualem roseis nuper convallibus Hennae 85

Suspexere deae: squalebat pulchrior auro
 Caesaries et nox oculorum infecerat ignes
 Exhaustusque gelu pallet rubor, ille superbi
 Flammeus oris honos, et non cessura pruinis
 Membra colorantur picei caligine regni. 90

Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoscere visu
 Evaluit: 'Cuius tot poenae criminis?' inquit
 'Vnde haec informis macies? cui tanta potestas
 In me saevitiae? Rigidi cur vincula ferri
 Vix aptanda feris molles meruere lacerti? 95
 Tu mea, tu proles? an vana fallimur umbra?'

Illa refert: 'Heu dira parens nataeque peremptae
 Inmemor! heu fulvas animo transgressa leaenas!
 Tantane te nostri tenuere oblivia? tantum
 Unica despicias? Certe Proserpina nomen 100
 Dulce tibi, tali quae nunc, ut cernis, hiatu
 Suppliciis inclusa terror! Tu saeva choreis
 Indulges? Phrygias vel nunc interstrepis urbes?
 Quodsi non omnem pepulisti pectore matrem,
 Si tua nata, Ceres, et non me Caspia tigris 105

*Pliny has the
 word of woods
 being overgrown
 and of a single
 object being in
 shadow can have
 the fallibility*

Edidit, his, oro, miseram defende cavernis
Inque superna refer. Prohibent si fata reverti,
Vel tantum visura veni.'

Sic fata trementes
Tendere conatur palmas. Vis improba ferri
Impedit et motae somnum solvere catenae. 110
Obriguit visis; gaudet non vera fuisse;
Complexu caruisse dolet. Penetralibus amens
Prosilit et tali compellat voce Cybeben:

'Iam non ulterius Phrygia tellure morabor,
Sancta parens: revocat tandem custodia cari 115
Pignoris et cunctis obiecti fraudibus anni.
Nec mihi Cyclopum quamvis extracta caminis
Culmina fida satis. Timeo ne fama latebras
Prodiderit leviusque meum Trinacria celet
Depositum. Terret nimium vulgata locorum 120
Nobilitas. Aliis sedes obscurior oris
Exquirenda mihi; gemitu flammisque propinquis
Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri.
Somnia quin etiam variis infausta figuris
Saepe monent, nullusque dies non triste minatur 125
Augurium. Quotiens flaventia sarta comarum
Sponte cadunt! quotiens exundat ab ubere sanguis!
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu
Iniussaeque manus mirantia pectora tundunt.
Si buxus inflare velim, ferale gemiscunt; 130
Tympana si quatiam, planctus mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portentant omina veri!
Hae longae nocuere morae!

'Procul inrita venti
Dicta ferant' subicit Cybele; 'nec tanta Tonanti
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat. 135
I tamen et nullo turbata revertere casu.'

Haec ubi, digreditur templis. Sed nulla ruenti
Mobilitas: tardos queritur non ire dracones

Inmeritasque movens alterno verbere pennas
 Sicaniā quaerit, cum necdum absconderit Idam. 140
 Cuncta pavet speratque nihil. Sic aestuat ales,
 Quae teneros humili fetus commiserit orno
 Adlatura cibos, et plurima cogitat absens:
 Ne gracilem ventus decusserit arbore nidum,
 Ne furtum pateant homini, ne praeda colubris. 145
 Vt domus excubiis incustodita remotis
 Et resupinati neglecto cardine postes
 Flebilis et tacitae species adparuit aulae:
 Non expectato respectu cladis amictus
 Conscidit et fractas cum crine avellit aristas. 150
 Haeserunt lacrimae; nec vox aut spiritus oris
 Redditur, atque imis vibrat tremor ossa medullis;
 Succidui titubant gressus; foribusque reclusis,
 Dum vacuas sedes et desolata pererrat
 Atria, semirutas confuso stamine telas 155
 Atque interceptas agnoscit pectinis artes.
 Divinus perit ille labor, spatiumque relictum
 Audax sacrilego supplebat aranea textu.
 Nec deflet plangitque malum; tantum oscula telae
 Figit et abrumpit mutas in fila querellas; 160
 Attritosque manu radios proiectaque pensa
 Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo
 Ceu natam pressat gremio; castumque cubile
 Desertosque toros et, sicubi sederat olim,
 Perlegit: attonitus stabulo ceu pastor inani, 165
 Cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum
 Aut populatrices infestavere catervae;
 Serus at ille redit vastataque pascua lustrans
 Non responsuros ciet imploratque iuvencos.
 Atque ibi secreta tectorum in parte iacentem 170
 Conspicit Electram, natae quae sedula nutrix
 Oceani priscas inter notissima Nymphas.
 Par Cereri pietas; haec post cunabula dulci
 Ferre sinu summoque Iovi deducere parvam
 Sueverat et genibus ludentem aptare paternis. 175

Haec comes, haec custos, haec proxima, mater haberi.
 Tunc laceras effusa comas et pulvere cano
 Sordida sidereae raptus lugebat alumnae.

Hanc adgressa Ceres, postquam suspiria tandem
 Laxavit frenosque dolor: 'Quod cernimus' inquit 180
 'Excidium? Cui praeda feror? Regnatne maritus
 An caelum Titanes habent? Quae talia vivo
 Ausa Tonante manus? rupitne Typhoia cervix
 Inarimen? fractane iugi compage Vesevi
 Alcyoneus Tyrrhena pedes per stagna cucurrit? 185
 An vicina mihi quassatis faucibus Aetna
 Protulit Enceladum? nostros an forte penates
 Adpetiit centum Briareia turba lacertis?
 Heu, ubi nunc es, nata, mihi? quo, mille ministrae,
 Quo, Cyane? volucres quae vis Sirenas abegit? 190
 Haecine vestra fides? sic fas aliena tueri
 Pignora?'

Contremuit nutrix, maerorque pudori
 Cedit, et adspectus miserae non ferre parentis
 Emptum morte velit longumque inmota moratur
 Auctorem dubium certumque expromere funus. 195
 Vix tamen haec:

'Acies utinam vesana Gigantum
 Hanc dederit cladem! Levius communia tangunt.
 Sed divae, multoque minus quod rere, sorores
 In nostras (nimium!) coniuravere ruinas.
 Insidias superum, cognatae vulnera cernis 200
 Invidiae. Phlegra nobis infensior aether.

'Florebat tranquilla domus; nec limina virgo
 Linquere nec virides audebat visere saltus
 Praeceptis obstricta tuis. Telae labor illi;
 Sirenes requies. Sermonum gratia mecum, 205
 Mecum somnus erat cautique per atria ludi:
 Cum subito (dubium quonam monstrante latebras
 Rescierit) Cytherea venit suspectaque nobis
 Ne foret, hinc Phoeben comites, hinc Pallada iunxit.
 Protinus effuso laetam se fingere risu 210

Nec semel amplecti nomenque iterare sororis
 Et dura de matre queri, quae tale recessu
 Maluerit damnare decus vetitamque dearum
 Colloquio patriis procul amandaverit astris.
 Nostra rudis gaudere malis et nectare largo 215
 Instaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianae
 Induitur digitisque attemptat mollibus arcum,
 Nunc crinita iubis galeam, laudante Minerva,
 Implet et ingentem clipeum gestare laborat.
 'Prima Venus campos Hennaëaque rura maligno
 Ingerit adflatu. Vicinos callida flores 221
 Ingeminat meritumque loci velut inscia quaerit
 Nec credit, quod bruma rosas innoxia servet,
 Quod gelidi rubeant alieno germine menses
 Verna nec iratum timeant virgulta Booten. 225
 Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi,
 Persuadet; teneris heu lubrica moribus aetas!
 Quos ego nequidquam planctus, quas inrita fudi
 Ore preces! Ruit illa tamen confisa sororum
 Praesidio; famulae longo post ordine Nymphae. 230
 'Itur in aeterno vestitos gramine colles
 Et prima sub luce legunt, cum rore serenus
 Albet ager sparsosque bibunt violaria sucos.
 Sed postquam medio sol altior institit axi,
 Ecce polum nox foeda rapit tremefactaque nutat 235
 Insula cornipedum pulsu strepituque rotarum.
 Nosse nec aurigam licuit: seu mortifer ille
 Seu Mors ipsa fuit. Livor permanat in herbas;
 Deficiunt rivi; squalent rubigine prata
 Et nihil adflatum vivit: pallere ligustra, 240
 Expirare rosas, decrescere lilia vidi.
 Vt rauco reduces tractu detorsit habenas,
 Nox sua prosequitur currum, lux redditur orbi.
 Persephone nusquam. Voto rediere peracto
 Nec mansere deae. Mediis invenimus arvis 245

220 Hennaëaque] *Parrhasius*; ethneaue.

Exanimem Cyanen: cervix redimita iacebat
 Et caligantes marcebant fronte coronae.
 Adgredimur subito et casus scitamus eriles
 (Nam propior cladi steterat): quis vultus equorum?
 Quis regat? Illa nihil, tacito sed laesa veneno 250
 Solvitur in laticem: subrepat crinibus umor;
 Liquitur in roremque pedes et brachia manant
 Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons.
 Discedunt aliae. Rapidis Acheloides alis *sirens*
 Sublatae Siculi latus obsedere Pelori 255
 Accensaeque malo iam non impune canoras
 In pestem vertere lyras: vox blanda carinas
 Adligat; audito frenantur carmine remi.
 Sola domi luctu senium tractura relinquitur. 259
 Haeret adhuc suspensa Ceres et singula demens
 Ceu nondum transacta timet; mox lumina torquens
 Vultu ad caelicolas furiato pectore fertur.
 Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,
 Cuius Achaemenio regi ludibria natos
 Advexit tremebundus eques: fremit illa marito 265
 Mobilior Zephyro totamque virentibus iram
 Dispergit maculis nimiumque hausura profundo
 Ore virum vitreae tardatur imagine formae.
 Haud aliter toto genetrix bacchatur Olympo
 'Reddite' vociferans. 'Non me vagus edidit amnis;
 Non Dryadum de plebe sumus. Turrita Cybebe 271
 Me quoque Saturno genuit. Quo iura deorum,
 Quo leges cecidere poli? Quid vivere recte
 Proderit? En audet noti Cytherea pudoris
 Ostentare suos post Lemnia vincula vultus. 275
 Hos animos bonus ille sopor castumque cubile
 Praebuit? amplexus hoc promeruere pudici?
 Nec mirum, si turpe nihil post talia ducit.
 Quid vos expertes thalami? tantumne relictus
 Virginitatis honos? tantum mutata voluntas? 280

Iam Veneri iunctae, sociis raptoribus, itis?
 O templis Scythiae atque hominem sitientibus aris
 Vtraque digna coli! Tanti quae causa furoris?
 Quam mea vel tenui dicto Proserpina laesit?
 Scilicet aut caris pepulit te, Delia, silvis 285
 Aut tibi commissas rapuit, Tritonia, pugnas.
 An gravis eloquio? vestros an forte petebat
 Importuna choros? Atqui Trinacria longe,
 Esset ne vobis oneri, deserta colebat.
 Quid latuisse iuvat? Rabiem livoris acerbi 290
 Nulla potest placare quies.'

His increpat omnes
 Vocibus. Ast illae (prohibet sententia patris)
 Aut reticent aut nosse negant responsaque matri
 Dant lacrimas. Quid agat? Rursus se victa remittit
 Inque humiles devecta preces:

'Ignoscite, si quid 295
 Intumuit pietas, si quid flagrantius actum,
 Quam miseros decuit. Supplex miserandaque vestris
 Advolvor genibus: liceat cognoscere sortem.
 Hoc tantum liceat: certos habuisse dolores.
 Scire peto, quae forma mali; quamcumque dedistis
 Fortunam, sit nota: feram fatumque putabo, 301
 Non scelus. Adspectum, precor, indulgete parenti;
 Non repetam. Quaesita manu securus habeto
 Quisquis es; adfirmo praedam; desiste vereri.
 Quodsi nos aliquo praevenit foedere raptor, 305
 Tu certe, Latona, refer: confessa Diana
 Forte tibi. Nosti quid sit Lucina, quis horror
 Pro genitis et quantus amor, partusque tulisti
 Tu geminos: haec una mihi. Sic crine fruaris
 Semper Apollineo, sic me felicior aevum 310
 Mater agas.'

Largis tunc imbribus ora madescunt.
 'Quid? tantum dignum fieri dignumque taceri?
 Hei mihi, discedunt omnes. Quid vana moraris
 Vtterius? non bella palam caelestia sentis?

- Quin potius natam pelago terrisque requiris? 315
 Accingar lustrare diem, per devia rerum
 Indefessa ferar. Nulla cessabitur hora,
 Non requies, non somnus erit, dum pignus ademptum
 Inveniam, gremio quamvis mergatur Hiberæ
 Tethyos et Rubro iaceat vallata profundo. 320
 Non Rheni glacies, non me Rhiphaea tenebunt
 Frigora; non dubio Syrtis cunctabitur aestu.
 Stat finem penetrare Noti Boreaeque nivalem
 Vestigare domum; primo calcabitur Atlas
 Occasu facibusque meis lucebit Hydaspes. 325
 Impius errantem videat per rura, per urbes
 Iuppiter; extincta satietur paelice Iuno.
 Insultate mihi, caelo regnate superbi,
 Ducite praeclarum Cereris de stirpe triumphum!
 Haec fatur notaeque iugis inlabitur Aetnae 330
 Noctivago taedas informatura labori.
 Lucus erat prope flumen Acin, quod candida praefert
 Saepe mari pulchroque secat Galatea natatu,
 Densus et innexis Aetnaea cacumina ramis
 Qua licet usque tegens. Illic posuisse cruentam 335
 Aegida captivamque pater post proelia praedam
 Advexisse datur. Phlegraeis silva superbit
 Exuviis totumque nemus victoria vestit.
 Hic patuli rictus et prodigiosa Gigantum
 Tergora dependent, et adhuc crudele minantur 340
 Adfixae truncis facies, inmaniaque ossa
 Serpentum passim cumulis exanguibus alben,
 Et rigidae multo suspirant fulmine pelles;
 Nullaque non magni iactat se nominis arbor:
 Haec centumgemini strictos Aegaeonis enses 345
 Curvata vix fronde levat; liventibus illa
 Exultat Coei spoliis; haec arma Mimantis
 Sustinet; hos onerat ramos exutus Ophion.
 Altior at cunctis abies umbrosa que late
 Ipsius Enceladi fumantia gestat opima, 350
 Summi terrigenum regis, caderetque gravata

Pondere, ni lassam fulciret proxima quercus.
 Inde timor numenque loco, nemorisque senectae
 Parcitur, aetherisque nefas nocuisse tropaeis.
 Pascere nullus oves nec robora laedere Cyclops 355
 Audet et ipse fugit sacra Polyphemus ab umbra.

Non tamen hoc tardata Ceres. Accenditur ultro
 Relligione loci vibratque infesta securim
 Ipsum etiam feritura Iovem: succidere pinus
 Aut magis enodes dubitat prosternere cedros 360
 Exploratque habiles truncos rectique tenorem
 Stipitis et certo pertemptat brachia nisu.
 Sic, qui vecturus longinqua per aequora merces
 Molitur tellure ratem vitamque procellis
 Obiectare parat, fagos metitur et alnos 365
 Et varium rudibus silvis accommodat usum:
 Quae longa est, tumidis praebebit cornua velis;
 Quae fortis, clavo potior; quae lenta, favebit
 Remigio; stagni patiens aptanda carinae.

Tollebant geminae capita inviolata cupressus 370
 Caespite vicino: quales non rupibus Idae
 Miratur Simois, quales non divite ripa
 Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
 Germanas adeo credas; sic frontibus aequis
 Adstant et socio despectant vertice lucum. 375
 Hae placuere faces. Pernix invadit utramque
 Cincta sinus, exerta manus, armata bipenni
 Alternasque ferit totisque obnixa trementes
 Viribus impellit. Pariter traxere ruinam
 Et pariter posuere comas campoque recumbunt, 380
 Faunorum Dryadumque dolor. Complectitur ambas,
 Sicut erant, alteque levat retroque solutis
 Crinibus ascendit fastigia montis anhelii
 Exuperatque aestus et nulli pervia saxa
 Atque indignantes vestigia calcat harenas: 385
 Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
 Torva Megaera ruit, Cadmi seu moenia poscat
 Sive Thyesteis properet saevire Mycenis:

367. This usage of cornu for "mast" (properly = "end of sail-yard") not recorded.

Dant tenebrae manesque locum plantisque resultant
 Tartara ferratis, donec Phlegethontis ad undam 390
 Constitit et plenos exceptit lampade fluctus.

Postquam perventum scopuli flagrantis in ora,
 Protinus arsuras aversa fronte cupressus
 Faucibus iniecit mediis lateque cavernas
 Textit et undantem flammaram obstruxit hiatum. 395

Compresso mons igne tonat claususque laborat
 Mulciber: obducti nequeunt exire vapores.
 Coniferi micuere apices crevitque favillis
 Aetna novis stridentque admissio sulphure rami.
 Tum, ne deficerent tantis erroribus, ignes 400

Semper inocciduos insopitosque manere
 Iussit et arcano perfudit robora suco,
 Quo Phaethon inrorat equos, quo Luna iuvencos.

Iamque soporiferas nocturna silentia terris
 Explicuere vices: laniato pectore longas 405
 Inchoat illa vias et sic ingressa profatur:

‘Non tales gestare tibi, Proserpina, taedas
 Sperabam; sed vota mihi communia matrum
 Et thalami festaeque faces caeloque canendus
 Ante oculos hymenaeus erat. Sic numina fatis 410

Volvimur et nullo Lachesis discrimine saevit?
 Quam nuper sublimis eram quantisque procorum
 Cingebar studiis! Quae non mihi pignus ob unum
 Cedebat numerosa parens! Tu prima voluptas,
 Tu postrema mihi; per te fecunda ferebar. 415

O decus, o requies, o grata superbia matris,
 Qua gessi florente deam, qua sospite numquam
 Inferior Iunone fui: nunc squalida, vilis.
 Hoc placitum patri. Cur autem adscribimus illum
 His lacrimis? Ego te, fateor, crudelis ademi, 420
 Quae te deserui solamque instantibus ultro
 Hostibus exposui. Raucis secura fruebar
 Nimirum thiasis et laeta sonantibus armis

Iungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.
Accipe quas merui poenas. En ora faticunt 425
Vulneribus grandesque rubent in pectore sulci.
Inmemor en uterus crebro contunditur ictu.

‘Qua te parte poli, quo te sub cardine quaeram?
Quis monstrator erit? quae me vestigia ducent?
Qui currus? ferus ipse quis est? terraene, marisne 430
Incola? Quae volucrum deprendam signa rotarum?
Ibo, ibo quocumque pedes, quocumque iubebit
Casus; sic Venerem quaerat deserta Dione.

‘Efficietne labor? Rursus te, nata, licebit
Amplecti? Manet ille decor, manet ille genarum 435
Fulgor? an infelix talem fortasse videbo,
Qualis nocte venis, qualem per somnia vidi?’

Sic ait et prima gressus molitur ab Aetna
Exitiique reos flores ipsumque rapinae
Detestata locum sequitur dispersa viarum 440
Indicia et pleno rimatur lumine campos
Inclinatque faces. Omnis madet orbita fletu;
Omnibus admugit. Quocumque it in aequore, fulvis
Adnatat umbra fretis extremaque lucis imago
Italiam Libyamque ferit: clarescit Etruscum 445
Litus et accenso resplendent aequore Syrtes.
Antra procul Scyllaea petit canibusque reductis
Pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.

FRAGMENTVM INCERTVM INCERTÆ
SEDIS.

Rus istud pretio constat vili.

CARMINVM MINORVM APPENDIX
VEL SPVRIA VEL SVSPECTA CONTINENS.

I. (C.)

IN SIRENAS.

Dulce malum pelago Sirenae volucresque puellae
Scyllaeos inter fremitus avidamque Charybdin
Musica saxa fretis habitabant: dulcia monstra,
Blanda pericla maris, terror quoque gratus in undis.
Delatis licet huc incumberet aura carinis 5
Implessentque sinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem. Nec tendere certum
Delectabat iter reditus, otiumque iuvabat,
Nec dolor ullus erat: mortem dabat ipsa voluptas.

II. (CI.)

LAVS HERCVLIS.

Pieridum columen, cuius Parnasia magno
Numine templa sonant, Phoebe, precor, huc age laeto
Tecum cuncta choro. Penetralia sancta sororum
Et nova Castalios latices per rura petentem
Hippocrenaeon victorem siste refotum 5
Mente faveque. Tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, laurusque gerens et florea sertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum,
Testor adhuc veteres quamvis desuetus honores.
Alcides mihi carmen erit, Romana Tonantis 10

II 5 siste refotum] *Birtius*; sistere fontem. 6 Mentē faveque] *idem*; Me fameque.

Progenies, dignus credi post viscera numen
 Cui super immensos invicti roboris aestus
 Nec nasci potuisse vacat: nam lucis in ipsis,
 Inclite, primitiis tardo vix editus ortu
 Fecisti de patre fidem. Sed cur mihi lentis 15
 Ludis adhuc, Cirrhaee, modis tenerumque resultans
 Luxuriante leves impellis pollice chordas?
 Pone habitum, quo molle canis, et frondis amatae
 Linque nemus mollique exutus tempora lauro
 Populea mecum carmen luctare sub umbra. 20

Iam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent,
 Alcmenam tendebat onus. Sed regia Iuno
 Impedit et partus prohibet nascique vetabat,
 Vt metus ipse deum monstret; nec vivida caeli
 Semina mortales norunt sentire latebras 25
 Nec possunt sufferre moras. Datur inde novercae
 Materies; gravibusque odiis augmenta ministrat,
 Quod vinci coepisse pudet.

Mox improba binos
 In tua membra iubet, dum nasceris, ire dracones.
 Incumbunt celeres illi, squamosaque iussus 30
 Armat colla furor, nec, quamvis maxima tractu,
 Tardatā spiris sequitur pars cetera pectus;
 Tristis Tartarea vibratur sibilus aura;
 Morte rubent oculi, trifidisque horrentia linguis
 Ora sonant, nigrumque fremens levat ira venenum. 35

Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
 Caelicolum regina, iuvat? cur obicis angues,
 Cur parvo geminos? Anne unum posse necari
 Iam strato Pythone times? Licet omnia mundi
 Monstra voces ipsamque armes serpentibus hydram,
 Defendet natura deum patremque probabit, 41
 Quod non vis constare, Iovem.

Iamque inrita taetri

12 Cui super] *Livineius*; cui semper. 32 Tardata] *Riese*; tardatam.

Iussa parant implere angues miseroque furore
 In sua fata tument. Cernit tua membra petentes
 Horrescitque parens; numen quae ignara creasset, 45
 Mortali pietate timet. Nil, sancta, superbae
 Paelicis insidias caelo modo freta tremescas,
 Neve haec monstra tibi faciant, Alcmena, pavorem.
 Sic mater potes esse dei. Iam tolle serenum
 Laeta animum tantoque libens haec adspice vultu, 50
 Vt deceat genuisse Iovem. Depone pavorem
 Indignum partu. Natum quae exemplar habebat?
 Cui metuis, nihil ipse timet. Nam numine recto
 Ridebas tu, dive, truces animosque superbos
 De genitore tenes, votisque aptissimus orbis 55
 Gaudebas tantum iam tum meruisse novercam:
 Corripis exiguis mox grandia guttura palmis
 Et quamvis teneri cogens in brachia pondus
 Corripis impressos relevans tellure dracones.

Efferat aetherium, quantum volit, orbis in axem
 Latoidas verosque probet sua fabula divos, 61
 Quod Delo iam stare licet. Non aequa laborum
 Gloria, nec parili serpentes sorte necarunt:
 Illi unum ferro; geminos inermis et unus!

His coeptis non ulla parat cunabula partus, 65
 Dive, tibi; sed cum totis iam bruma rigeret
 Imbribus et solidis haerent flumina lymphis,
 Nudum praegelidis durando firmat in undis.
 Vtque rudes primo temptasti robore gressus,
 Frondosae deserta vagus penetralia silvae 70
 Secura iam matre petis telisque tremendis
 Ludis et aérias adducto deicis arcu
 Aut funda violentus aves noctemque sub astris
 Exigis et puram fractis bibis amnibus undam.

Inmanem interea Nemeae per lustra leonem 75
 Ipsa Chimaeraea cretum de gente noverca

- 45 numen quae] *scripsi*; numenque, nomenque. 59 rele-
 vans] *Birtius*; liuens.

In tua depastis armabat vota iuencis,
 Augebatque fero vires rabiemque iuvabat
 Naturam minus esse putans. Quantaque virorum
 Funera, quam multos stravit cum dentibus apros! 80
 Non illum magnae viduatis moenibus urbes
 Armorum fregere minis, Martique domando
 Adsuetas morsu fudit graviore catervas.
 Hunc gravis Eurystheus (nam te, quo cuncta lebares,
 Imperium duri voluit sufferre tyranni 85
 Sic mundo Fortuna favens), hunc sternere leto
 Imperat. Tum (nullum virtus reticenda per aevum
 Dignaque sidereos post membra intrare recessus!)
 Posse mori quam vile putas! Namque impiger ultro
 Vadis immensae scrutatus invia silvae; 90
 In nova sanguineos armantem vulnera rictus
 (Admonita feritate iubas visuque cruentus
 Excussis movet arma toris dubiumque residens
 Infremit) invadis trepidum solisque lacertis
 Grandia corripiens eluso guttura morsu 95
 Imbellem fractis prosternis faucibus hostem;
 Quin et flavicomis radiantia tergora villis
 Ceu spodium fuso victor rapis. Emicat omnis
 In laudes mox turba tuas longoque relicta
 Currit in arva metu. Iuvat ire et libera rura 100
 Defensosque videre locos silvamque iuencis
 Iam facilem et nulli resonantes fletibus agros.
 Maenaliū petis inde nemus fletamque colonis
 Arcadiam et raro steriles iam robore silvas.
 Namque hic immensa membrorum mole cruentus 105
 Indomitus regnabat aper soloque tremendus
 Corpore lunatis fundebat dentibus ornos
 Sternebatque suis lugentia rura colonis.
 Horrebant rigidis nigrantia corpora saetis
 Duratosque armos scopulis totosque per artus 110
 Difficilis potuisse mori. Non spicula in illum
 Nodosumve rapis gravato pondere robur.
 Armati viduatur honos; nec vulnera virtus

Exemplo tibi facta timet. Iamque adripis ultro
 Spumantem cogisque diem sufferre tuendo 115
 Atque supinando mirantem lumina vinci
 Argolici victor portas sub tecta tyranni.

Fama celer toto victorem sparserat orbe,
 Auxiliumque dei poscebat Creta crudeli
 Victa malo. Taurus medio nam sidere lunae 120
 Progenitus Dictaea Iovis possederat arva.

Fulmen ab ore venit, flammisque furentibus ardet
 Spiritus, et terram non caeli flamma perurit,
 Sed flatus monstri: dextro iam Siria cessent
 Sidere solque, licet glaciale frigore victor, 125

Abstrusum mundo claudat iubar, aurea condens
 Lumina, et ignifluo stupefactus in orbe tepescat.
 Aestus habet Cretam. Pereunt silvaque lacusque
 Graminaque et fontes sacri; montesque perurit
 Flamma ferox. Idam superis spectantibus ignis 130

Dissipat, et magno cunabula grata Tonanti
 Igne suo monstrum, si fas est dicere, vincit.

Tandem fama celer Dictaea ad litora magnum
 Duxerat Alciden: cum taurum dira minantem
 Accipit et saevum cornu flammisque vomentem 135
 Corripit atque artus constringens fortibus ulnis
 Ignifluos flatus animamque in pectore clausit.

IIIa.

DE DVLCIO.

Nectareo muro dulces cinguntur harenae.

IIIb.

DE DVLCIO.

Suave tibi nomen; sed si te talia tangunt,
 Moribus atque animo postea dulcis eris.

IV. (LXXI.)

DE ZONA MISSA AB EADEM ARCADIO AVGVSTO.

Stamine resplendens et mira textilis arte

Balteus alipedis regia terga ligat

Quem decus Eoo fratri pignusque propinqui

Sanguinis Hesperio misit ab orbe soror.

Hoc latus adstringi velox optaret Arion,

Hoc proprium vellet cingere Castor equum. 5

V.

EPITHALAMIVM LAVRENTII.

In primis te, sponse, precor: patiare canentem;

Teque, puella, magis: tacito mihi carmine parcas.

Scimus enim, scimus vobis nunc carmina nostra

Doctiloquique etiam linguam solidare Maronis.

Sed breviter strictimque duos dicemus amantes, 5

Ma[te]ria [at]qu[e] li]cet plus quaerat, pauca loquemur.

Principio generis simili vos stirpe creatos

Florenti Florique patrum sat nomina produnt.

Matribus et pariter respondet fetus uterque:

Nam decuit Mariam sapientem fundere [natam 10

Calliopenque simul iuvenem proferre to[gatum.

O similes multumque pares! Te prima iuventus

Insignem vegetumque tenet; nam nuper [opertus

Flore genas plenaque decens lanugine malas

Mollia votifero dempsisti vellera ferro. 15

Egregio fulges cultu totusque decorus,

Ex facie mores patriamque ex nomine pandens:

Nam quae primates quondam genuere Latinos

Antiquaeque urbi proprium tribuere vocamen,

Dant tibi, Laurenti, Laurentes nomina Nymphae. 20

8 patrum] *Hauptius*; patris. produnt] *Riesius*; prodet.
 14 Flore genas] *Jeepius*; Florigenas. 17 Ex] *Birtius*; Et.

Quid memorem mores iuuenili in corde seniles
 Atque Ithacum ingenium Romana fervere lingua?
 Tu fora, tu leges celebras sanctumque tribunal
 Promptaque impavidus tu suetus dicere dextra.
 Te insontes palmam semper tenuere patrono, 25
 Te contra adstantem semper timuere nocentes.
 Prorsus habes iuuenis totum quod Tullius auctor
 Causidicos retinere iubet: nam, fultus utroque,
 Vir bonus es nimium, fandi pariterque peritus.

Ad te nunc breuiter (nam sic te velle putamus)
 Verba, puella, feram, pulchro formosa colore. 31
 Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis,
 Sic rubor et candor pingunt tibi florida vultus.
 Denique miramur quod colla monilia gestant;
 Ex umeris frustra phaleras imponis eburnis. 35
 Non tibi nam gemmae, sed tu das lumina gemmis,
 Atque alias comit, per te componitur aurum.
 Ips]a loqui, scriptique tenax veloxque legendi,
 Scis] tamquam talis fueris praesaga mariti
 Et] Musea tuis insedit cura medullis. 40
 Nec minus in propriis studium: nam vellera lanæ
 Textilibus calathis semper tractare perita
 Inque globos teretes coeuntia volvere pensa
 Compositas tenui suspendis stamine telas,
 Quas cum multiplici frenarint licia gressu 45
 Traxeris et digitis cum mollia fila gemellis,
 Serica Arachneo densentur pectine texta
 Subtilisque seges radio stridente resultat.

Sed iam sufficiat de magnis pauca locutum,
 Nec sinit hoc tempus, totas nunc pandere laudes. 50
 Quin magis, o pueri, vosque exaudite, puellae,
 Quas optare pares thalamos taedasque iugales

22 Ithacum] *Birtius*; Ithalum, Italum. 29 pariterque]
Heinsius; patq;. 30 Ad] At. 43 volvere] *Buechelerus*;
 vellera. 45 frenarint] *Muellerus*; frenarunt. 47 Arachneo]
 araneo.

Sensibus ex imis suspiria ducta fatentur.

Consertas prensate manus magnumque per orbem
Dextra liget laevam. Festos celebrate hymenaeos 55

Ac, modulante melos pariter caesoque pavinto,
Cum pede vox resonet: persultent atria larga,
Quae virides cingunt hederæ laurique coronant
Votigerique ignes, stellantia lumina, complent.
Tympana, chorda simul symphonia, tibia, buxus, 60
Cymbala, bombylium cornus et fistula, sistrum,
Quaeque per aeratas inspirant carmina voces,
Vmida folligenis exclament organa ventis.

Surge age iam iuvenis: dextram complectere sponsae.
Tuque puella caput niveo velamine tecta 65
Non cunctante gradu gressum comitare mariti.
Teque etiam paucis moneamus, pronuba, verbis.

Cum fuerit ventum ad thalamos primumque cubile,
Sit tibi cura vigenis innoxia reddere membra
Virginis, ut totum, quod possit laedere, demas. 70
Nullum sit capiti quo crinis comitur aurum
Nec collo maneant, nisi quae sunt levia, fila
Anulus et digitis tollatur mollibus asper
Ac niveos auro propera spoliare lacertos,
Ne, dum par ludunt atque oscula dulcia iactant 75
Exercentque toris Veneris luctamen anhelum,
Cuncta per amplexus foedentur membra mariti
Atque invita viri maculet quae diligit ora.

Ite pares tandemque toro recubate potito.
Mellea tunc roseis haerescant basia labris 80
Et compressa suis sudet per pectora membris
Per] niveosque umeros collumque per os[que marita:
Dextera cervicem roseam subiecta retentet
Turgentesque simul constringat laeva papillas.

61 bombylium] *Birtius*; bambilium. 63 folligenis] *Burmannus*; folligeris. exclament] *Wernsdorfius*; exclamant. ventis] *Muellerus*; vocis. 75 Ne] Nec. par ludunt] *Birtius*; faro ludū. 81 sudet per] *Birtius*; insudent.

Vivite felices quam longaque carpite saecla. 85
 Vivite concordēs, donec premat una senectus
 Ambo et] vestra habeant natorum vota nepotes.

VI.

DE LIBERALIBVS.

Lenae vitisator Bromie Semeleie Bacche
 Thyrsitenens bimater trieterice Nysie Liber,
 Flos Ariadnaee, Corybantice laete Thyoneu,
 Da reditum nobis: sic totis dulcia rivis
 Musta fluant spumetque cavis vindemia labris. 5

VII.

LAVS MARTIS.

Mars, pater armorum, fortissime belligerator,
 Esto volens mitis facilis deus, esto benignus:
 Sic tibi post pugnas et pastos sanguine campos
 Amplexus tribuat vincli segura Cythere.
 Tu crista galeaque rubes, tu pulcher in aere; 5
 Incutis e vultu radiantia lumina ferro.
 Te thorax galeaque tegunt, non quo tibi terror
 Hostilis subeat, sed quod decor exit ab armis.
 Tu cum pulsatum clipei concusseris orbem,
 Inmugit mundus, tellus tremit, aequora cedunt. 10
 Da nobis reditum. Patriam repetamus ovantes:
 Sic tibi lascivae celebrentur in urbe kalendae.

VIII.

DE IVNONALIBVS.

Iuno] poli domina, cui vincla iugalia curae,
 Supremi caeli regis coniunxque sororque,
 Da reditum nobis: sic regnum transeat orbis

VI 3 Corybantice] *Buechelerus*; coriaticae. 5 musta]
Riesius; musa. VIII 3 Da] *L. Muellerus*; det.

IX. (XCIII.)

DE HIPPOPOTAMO ET CROCODILO.

Vtraque fecundo nutritur belua Nilo,
 Quaeque vorat morsu quaeque sub ore fremit.

X. (XCIV.)

DE AQUILA QVAE IN MENSA DE SARDONYCHE
 LAPIDE ERAT.

Mensa coloratis aquilae sinuatur in alis,
 Quam floris distinguit honos, similisque figura
 Textitur: implumem mentitur gemma volatum.

XI.

DE ISIDÍ NAVIGIO.

Isi, o fruge nova quae nunc dignata videri
 Plena nec ad Cereris munera poscis opem
 (Nam tu nostra dea es nec te deus ipse tacendi
 Abnegat expertus, quis tua vela ferat;
 Namque tibi Zephyrus favet ac Cyllenius ales): 5
 Ne nostra referas de regione pedem.

XII.

DE LAVACRO.

Qui splendere cupis claro tenuique lavacro,
 Pontica succedas in balnea nobilis undae,
 Quam nec Alexandri mater sub sole cadenti
 Emeruit (non si varia se aspergine Gai
 Effundat per aperta latex e sedibus imis 5
 Cum Syrio unguento), semper cui roscidus umor.
 Hic femora et suras et brachia molliter ambit
 Et rigat in pluviam sensimque ad colla resultans

Tangit odore levi et grato spiramine nares
 Lenis et externas admittere nescius artes. 10

Huc ades o Florens et festa luce relaxa
 Mentis onus nebulasque fuga, quae frontis honorem.....

XIII.

DE VINALIBVS.

Non tibi vina placent, o insanabilis hospes?
 Nec mens est Thebana tibi, licet aggere celso
 Dircaeae rupis dicas fluxisse parentes?

Vertice de Nysae per rura et nostra Lyaeus
 Transiit implevitque vias nigrantibus uvis. 5
 Musta siti posuit pater, et non tempore ab illo
 Desierant haec sacra coli vatumque sonoro
 Carmine Mincius et strepuit circumscita ripa
 Fluminis Etrusci quem non aequabit Orontes.

XIV.

DE CYTHERA.

Forte erat Aurorae tempus Solisque quadriga
 Fecerat et ventum et sonitum per nobile marmor
 Adstantis pueri, cum te, mea bella Cythere,
 Adspicio venientem et tu mea limina grato
 Introitu dignata rosas et lenis amomi 5
 Delicias miras tecum adlicis, unde secutae
 Palladis et frondes nulliusque inscia laurus.
 Atria nostra virent, et agunt in limine primo
 Radicem platani; ad portam venit arbutus ipsam.
 Felix multa arbos, imitans miracula Pindi 10
 Quae non delebit livor nec sera vetustas.

O iucunda nimis, tenui quae visa poetae,
 Dum credis vitium non auscultare Camenis.

XIII 6 siti] *Birtius*; sibi.

XV.

DE CEREO.

Flora venit. Quae Flora? dea. An de gente Latina?

Non reor; at Chloris dicta per arva fuit.

Huius in adventum radiant de nocte lucernae;

Nam nitet atque hilarat lumine cuncta suo.

Cerea materies apibus debetur amicis.

5

Floribus atque hortis sit, precor, aequa meis

Non, ut mel rapiam, cuius non tangor amore,

Sed cera in talem fiat ut alba diem.

XVI.

DE IRVNDINE.

perit.

XVII.

DE MERGO.

perit.

XVIII.

DE VITVLIS MARINIS.

perit.

XIX a.

DE PAVPERE SINGVLARI.

perit.

XIX b.

DE APE.

perit.

XX. (XCVIII.) •

MEROBAVDIS LAVS CHRISTI.

Proles vera dei cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor
Ante tuae matrisque parens; quem misit ab astris
Aequaevus genitor verbumque in semina fusum

XIX a hic titulus hoc loco inter XVIII et XIX b scriptus
est in M catalogo; Birtius omisit; cf. eius praef. p. CLXIX.
XX 4 verbumque] Birtius; verbique.

Virgineos habitare sinus et corporis arti	5
Iussit inire vias parvaque in sede morari,	
Quem sedes non ulla capit; qui lumine primo	
Vidisti, quidquid mundo nascente crearas;	
Ipsa opifex, opus ipse tui, dignatus iniquas	
Aetatis sentire vices et corporis huius	10
Dissimiles perferre modos hominemque subire,	
Vt possis monstrare deum, ne lubricus error	
Et decepta diu varii sollertia mundi	
Pectora tam multis sineret mortalia saeculis	
Auctorem nescire suum:	
Te conscia partus	15
Mater et attoniti pecudum sensere timores.	
Te nova sollicito lustrantes sidera visu	
In caelo videre prius, lumenque secuti	
Invenere magi. Tu noxia pectora solvis	
Elapsasque animas in corpora functa reducis	20
Et vitam remeare iubes. Tu lege recepti	
Muneris ad Manes penetras mortisque latebras	
Immortalis adis. Nasci tibi non fuit uni	
Principium finisque mori, sed nocte refusa	
In caelum patremque redis rursusque perenni	25
Ordine purgatis adimis contagia terris.	
Tu solus patrisque comes, tu spiritus insons	
Et toties unus triplicique in nomine simplex.	
Quid, nisi pro cunctis, aliud quis credere possit	
Te potuisse mori, poteras qui reddere vitam?	30

XXI. (XCIX.)

MIRACVLA CHRISTI.

Angelus adloquitur Mariam, quo praescia verbo
 Concipiat salva virginitate deum.
 Dant tibi Chaldaei praenuntia munera reges:
 Myrrham homo, rex aurum, suscipe tura deus.

Permutat lymphas in vina liquentia Christus, 5
 Quo primum facto se probat esse deum.
 Quinque explent panes, pisces duo milia quinque
 Et deus ex parvo plus superesse iubet.
 Editus ex utero caecus nova lumina sentit
 Et stupet ignotum se meruisse diem. 10
 Lazarus e tumulo Christo inclamante resurgit
 Et durae mortis lex resoluta perit.
 Nutantem quatit unda Petrum, cui Christus in alto
 Et dextra gressus firmat et ore fidem.
 Exanguis Christi contingit femina vestem: 15
 Stat cruor in venis, fit medicina fides.
 Iussu post multos graditur paralyticus annos
 (Mirandum) lectus portitor ipse sui.

XXII.

Marcus amans puerum natum mentitur amare
 Vultque pater dici nescius esse pater
 Et pietate nefas et amorem velat amore.
 Se pietas umbram criminis esse dolet.
 'Nate' dies audit, nox et torus audit 'amice', 5
 Et pro temporibus nomina mutat ei.
 Stulte, quid ignaro non dicit Cynthia fratri?
 Ne credas nocti digna latere diem!

Qui pater est, huic filius est. A lumine primo
 Filius a thalamis incipit esse puer. 10

XXI 9 sentit] *Birtius*; sensit. XXII 5 torus] *Binetus*;
 totus. 9 lumine] *Patissonius*; limine.

CARMINA GRAECA.

Γιγαντομαχία.

Fr. I.

Εἴ ποτέ μοι κυανῶπιν ἐπιπλώοντι θάλασσαν
 καὶ φρεσὶ θαυβήσαντι κνκῶμενα βένθεα πόντου
 εὔξασθαι μακάρεσσιν ἐσήλυθεν εἰναλίοισι,
 φωνῆς δὲ πταμένης ἀνεμοτροφεὺς ἔσβετο κύμα,
 λώφησεν δ' ἀνέμοιο βοή, γήθησε δὲ ναύτης 5
 ὀσσόμενος μεγάλοιο θεοῦ παρεούσαν ἀρωγὴν·
 ὡς καὶ νῦν δὴ Φοῖβε (σὺ γὰρ θεὸς ἔπλευ ἀοιδῆς)
 εὔξομαι ἀνδρήεντα κατάπλοον εὐεπιάων.
 Ἰλαθι καὶ μεν ἄκουσον, ἐπεὶ σέθεν εὐμενέοντος
 παυρότερον δέος ἐστὶν ἐπ' ἐλπίσι λωιτέρησιν. 10
 ὡς γὰρ δὴ πέλαγος μὲν Ἀλεξάνδροιο πόληος
 πάντοθεν ἐκτέταται, τὰ δὲ μυρία κύματα λαῶν
 ὕρνυτ' ἐπ' ἀλλήλοισιν, ἐγὼ δὲ τε δεινὸς ἀοιδὸς
 μουσοπόλος ναύτης Ἐλικωνίδι νηὶ πιθήσας
 ἰθύνω πρὸς ἄεθλα, φέρω δ' ἐπι φόρτον ἀοιδῆν. 15
 εἰ δὲ θεῶν βουλῆσιν ὑφ' ὑμείων ἐθελόντων
 ἡμετέροις ὕμνοισιν ἐπιπνεύσειαν ἔπαινον

Fr. II.

εὐρὸν ἐς αἰθέρα πέμπε θεημάχον, ἣ δὲ ριφεῖσα
 τέφρη γίνεται αἶψα συναντήσασα κεραυνῶ·
 ἄλλος δ' Ἡελίοιο καταντίον ἴστατ', ἀπειλῶν 20

5 λώφησεν] λώφησε. 7 δὴ Φοῖβε] *Birtius*; δὴ με. σὺ
 γὰρ] *idem*; σὺ γὰρ δὴ. 13 δέ τε] *Koechly*; δέ τοι. 15 ἰθύνω]
idem; ἰθύνων. 18 ριφεῖσα] ριφθεῖσα. 19 γίνεται αἶψα]
Schenkl; γίνεται.

μαρψέμεναι, λοξῆσι φάος γλήνησι δεδοικώς,
 τῷ δ' ἐφέηκ' ἄκριν, γλαυκὰς δ' ἐκάλυψεν ὀπωπᾶς·
 νήφρονες, οὐδὲ μόθου τέλος ἤδεσαν, ἀλλὰ πεσόντες
 αὐταῖς αἷς φορέεσκον ἐτυμβεύοντο βολῆσι.

Διψήσας δὲ γίγας (πίειν θέλε νήχυτον ὕδωρ) 25
 τῆλε μάλ' ἐς ποταμὸν τάνυσεν πολυχανδέα δειρῆν,
 ἔλκε δὲ χεύματα πάντα κυλινδομένοιο ῥόοιο,
 ἄκρι δὲ πηγᾶων ὑπεδέξατο μυρίον ὕδωρ
 ἐσπόμενος προχοῆσιν ἀπολλυμένου ποταμοῖο.

ἄλλος δ' αὖ προηῆς τε πεσὼν ἐπὶ κύματα πόντου 30
 πῖνεν ὑπὸ στομάτεσσι ποτόν· κελάρυξε δὲ λαιμὸς
 Νηρέος ἀλμυρὸν οἶδμα δι' ἀνθερεῶνος ὀδεῦον.
 πινομένου δὲ βυθοῖο καὶ ὕδατος ὀλλυμένοιο
 γυμνώθη μέγα βένθος, ἔχερσώθη δὲ θάλασσα.

Κούρης δ' ἄντα δύο γλαυκώπιδος ἀτρυτῶνης 35
 γηγενέες μάρναντο· φέρειν δ' ὁ μὲν οὔρεος ἄκριν,
 αὐτὰρ ὁ γ' ἠλίβατον πέτρην ἀνάειρε μεμαρπῶς.
 τοὺς δὲ θεὰ κατέπεφνε δορυσσοὺς οὐχ ἐνὶ πότμῳ·
 τοῦ μὲν γὰρ στέρνοιο διήλασε μείλινον ἔγχος,
 τῷ δ' ἄρα λάινον ἔργον ἐπ' ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης 40
 Γοργοῦς δεῖξε κάρηνον· ὁ δ' ὡς ἶδε γυῖα πεδηθεῖς
 ἦ φέρειν ἐν παλάμησιν ὁμοίους ἴστατο πέτρῃ.

Κύπρις δ' οὔτε βέλος φέρειν οὔθ' ὄπλον, ἀλλ' ἐκόμιζεν
 ἀγλαῖην· θεμένη γὰρ ἐπ' ὄμμασιν ἄγγελου αὐγῆν
 πρῶτα μὲν ἀπλεκέας περόνη διεκρίνατο χαίτας 45
 καὶ πλεκτὰς ἔσφιγξε πυκνῷ περιπλέγματι σειρᾶς,
 στίλβει δ' ὀφθαλμῶν ἔρατοὺς ὑπεγράψατο κανθοὺς,
 λεπτὰς δ' εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος
 πορφυρέων οὐ κρύπτειν ὑφ' εἵμασιν ἀνθεα μαζῶν
 ὄμματος εἰς ἄγρην ὀπλισμένη· εἶχε γὰρ αὐτὴ 50

21 λοξῆσι] *M. Schmidt*; δόξης. 22 ἐφέηκ'] *Ludwich*;
 ἐφῆκ'. ἄκριν] *Birtius*; ἀκτίνα. 26 τάνυσεν] τάνυσε.
 28 ὑπεδέξατο] *Koehly*; ὑπεδέχετο. 29 ἐσπόμενος] *M. Schnei-*
der; ἐσπόμενον. 32 Νηρέος] *Νειερος*. ὀδεῦον] *Koehly*;
 ὀδεῦων. 40 ἐπ'] *idem*; ὑπ'. 43 οὔθ'] *Heinsius*; οὐχ.
 45 διεκρίνατο] *Gesnerus*; διεκρίνεται. 46 ἔσφιγξε] ἔσφιξε.
 48 λεπτὰς δ'] λεπτὰς. χιτῶνος] χιτῶνας. 49 οὐ] δ' οὐ.
 50 ὀπλισμένη] *Heinsius*; ὀπλισμένην.

πλέγμα κόρου, δόρυ μαζόν, ὄφρυν βέλος, ἀσπίδα κάλλος,
 ὄπλα μέλη, θέλγητρον ἐν ἄλγεσιν· εἰ δέ τις αὐτῇ
 ὄμμα βάλοι, δεδμητο, βέλος δ' ἀπὸ χειρὸς ἐάσας
 ὡς Ἄρεως αἰχμῇ τῇ Κύπριδος ὄλλυτο μορφῇ.

Καὶ τὸν μὲν θανάτου νέφος ἔννευεν· ἀλλὰ Τυφωεύς
 ὦρτο Ποσειδάωνος ἐναντία· τοῦ δὲ τριαίνῃ 56
 στέρονα Ποσειδάων, Ζεὺς δ' ἤλασε κροῖτα κεραυνῶ.

Ἐγκέλαδος δ' οὐ λῆγε μάχης, ἀνὰ δ' ἤρπασε νῆσον
 πρόρρηξιον πολέεσσιν ἐρειδομένην ὀρέεσσι,
 δεινὰ δ' ἀπειλήσας Ζηνὸς κατέναντι βεβήκει, 60

στεῦτο δὲ γαῖαν ὄλην μὲν ἀναρρήξαι κενεώνων,
 ἄστρα δὲ συγγεῦαι, Ζηνὸς δὲ μέλαθρον ἐρύσσαι·
 τοῖα δ' ἀπηπείλει. τῷ δὲ σθένος ὦροσε μήτηρ

ἡμὲν ἀνασχομένη φόνιου βέλος, ἡελίου τε
 νῆσος ἀνερχομένη σκίασεν φάος, ἐν δέ τε νήσῳ 65
 δένδρεα καὶ ποταμοὶ θῆρες τ' ἔσαν ὄρουιθές τε.

καὶ τότε ἄνακτα θεῶν χόλος ἄσπετος ἐστυφέλιξε·
 ῥῆξεν γάρ τετυφῶς νεφέλας σὺν τοῖς τε κεραυνοῖς
 ἀσβέστους πυρόεντας ἐπ' Ἐγκελάδῳ χέεν ὄμβρους

(ἦθελ' ἀμαλδύνειν)· ὁ δὲ μεσσόθεν ἐνθόρε πόντου 70
 αἰθόμενος, τῷ δ' ἀμφὶ περιζέλουσα θάλασσα
 δεινὸν παφλάζεσκε κυκωμένη ὡς περὶ Θήρας·

οὐδὲ Κρονίων λῆγε, Λυκαονίης δ' ἀπὸ γαίης
 πέτρον ἀπορρήξας ὀλοῶ ἐπέθηκε γίγαντι
 ἄσχετα μηνιῶν· ἐπὶ δ' αὐτῷ νῆσος ὄρουσεν, 75

ἦν αὐτὸς προέηκεν ἐς οὐρανόν· [ἀμφότερον δὲ
 καὶ πυρὶ καὶ νοῦσῳ στυγεροὺς τείρουσι γίγαντας].

55 ἔννευεν] *Ludwich*; ἔντυεν. 57 Ζεὺς δ'] *Koehly*;
 Ζεὺς. κροῖτα] *idem*; κάρτα. 62 ἄστρα] *Koehly*; ἄστν.
 63 τοῖα δ' ἀπηπείλει] *idem*; τοῖα δὲ ἐπηπείλει. 64 φόνιου]
Schenk; φοίνιου. 65 σκίασεν] σκίασε. 68 τετυφῶς] *Birtius*;
 τε πυρός. 69 πυρόεντας] *Koehly*; πυρόεντος. 70 ἐνθόρε]
idem; ἐκθόρε. 72 ὡς περὶ Θήρας] *Buechelerus*; περὶ θῆρας.
 73 δ' ἀπὸ] *Koehly*; ἀπὸ. 74 πέτρον] πέτραν. 75 νῆσος]
Koehly; νοῦσος. 76 ἐς] *Iriarte*; εἰς τὸν.

EPIGRAMMATA.

I. (LXV.)

Ἰλαδί μοι φίλε Φοῖβε· σὺ γὰρ θεὰ τόξα τιταίνων
ἐβλήθης ποτ' Ἐρωτος ὑπ' ὠκυπόροισιν ὀιστοῖς.

II. (LXVII.)

Εἰς δοῦλόν τινα τυφθέντα παρ' αὐτοῦ διὰ τὸ
μὴ ἐπιδοῦναι σέλλιον ἐν ἀκροάσει.

Ἐδρην χαλκεόπεζον ἐπὶ προθύροις Ἐλικῶνος
εἰστήκει θεράπων τις ὑπὲρ νότιο μεμαρπῶς
οὐδ' ἔθελεν μογέοντι πορεῖν ἐπίβαθρον ἀοιδῆς·
τοῦνεκά μευ θώρηξεν ἰὸν πολύμητις ἀνάγκη.

III. (LXVI.)

Εἰς μιμάδα γηράσασαν καὶ καλλωπιζομένην
ἦγρου ἀλειφομένην τὰ τῶν γυναικῶν μαργανεύ-
ματα.

Μαχλὰς εὐκροτάλοισιν ἀνευάζουσα χορείαις
δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει,
τῆς μὲν ὑποκλέπτων πολιὴν τρίχα γείτονα Μοίρης
ἠλεμάτοις ἀκτῖσι χαράσσεται ὄμματος αὔρη,
ψευδόμενον δ' ἐρύθημα κατέγραφεν ἄχρους αἰδῶς 5
ἀγλαΐῃ στέψασα νόθη κεκαλυμμένα μῆλα.

IV. (LXIII.)

Εἰς κρύσταλλον ἔνδον ὕδωρ ἔχουσαν.

Χιονέη κρύσταλλος ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθεῖσα
δεῖξεν ἀκηρασίοιο παναίολου εἰκόνα κόσμου,
οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχοντα βαρύκτυπον ἔνδοθι πόντου.

I 2 ποτ'] *Birtius*; ὑπ'. II 1 χαλκεόπεζον] *Brunckius*;
χαλκεόπεζαν.

V. (LXIV.)

Εἰς τὸ αὐτό.

*Εἶπ' ἄγε μοι, κρύσταλλε, λίθῳ πεπυκασμένῳ ὕδωρ
τίς πῆξεν Βορέης; ἢ τίς ἔλυσε Νότος;*

VI. (XCVI.)

Εἰς τὸν σωτήρα.

*ὦ πυρὸς ἀενάοιο σοφὴν ὠδῖνα φυλάσσω
ἐμβεβαῶς κόσμοιο παλινδίνητον ἀνάγκην
Χριστὲ θεοδόητοιο βίου φυσίζοε πηγὴ
πατρὸς ἀσημάντοιο θεοῦ πρωτόσπορε φωνή,
ὃς μετὰ μητρῶων τοκετῶν ἐγκύμονα φόρτον 5
καὶ γόνου ἀντοτέλεστον ἀννυφεύτων ὑμεναίων
στήσας Ἀσσυρίης γενεῆς ἑτερόφρονα λύσσαν
ὄργια δ' εἰδώλων κενεῶν ψευδώνυμα λύσας
αἰθέρως ἀμφιβέβηκας ἐφ' ἐπτάζωνον ὄχηα
ἀγγελικαῖς πτερούγεσιν ἐν ἀρόήτοισι θαλάσσω· 10
ἵλαθι παγγενέταο θεοῦ πρεσβήιον ὄμμα,
φρουρὲ βίου, σῶτερ μερόπων, αἰῶνος ἀνάσσω.*

VII. (XCVII.)

Εἰς τὸν αὐτόν.

*Ἄρτιφανὲς πολιοῦχε παλαιγενὲς νιῆ νεογνέ
αἰὲν ἕων προεῶν τε ὑπέριτατε ὕστατε Χριστέ
ἀθανάτοιο πατρὸς τε ὁμόχρονε, πάμπαν ὁμοῖε.*

VI 5 μετὰ] *Jacobsius*; μέγα.



SERIES CARMINUM HUIUS EDITIONIS
 NUMERIS GESNERIANIS ADPOSITIS.

Panegyricus Probini et Olybrii	I
In Rufinum I praef.	II
In Rufinum I	III
In Rufinum II praef.	IV
In Rufinum II	V
Bellum Gildonicum I	XV
In Eutropium I	XVIII
In Eutropium II praef.	XIX
In Eutropium II	XX
Fescennina de nuptiis Honorii I	XI
Fescennina II	XII
Fescennina III	XIII
Fescennina IV	XIV
Epithalamii de nuptiis Honorii praef.	IX
Epithalamium de nuptiis Honorii	X
De tertio consulatu Honorii praef.	VI
De tertio consulatu Honorii	VII
De quarto consulatu Honorii	VIII
Panegyrici Manlii Theodori praef.	XVI
Panegyricus Manlii Theodori	XVII
De consulatu Stilichonis I	XXI
De consulatu Stilichonis II	XXII
De consulatu Stilichonis III praef.	XXIII
De consulatu Stilichonis III	XXIV
De sexto consulatu Honorii praef.	XXVII
De sexto consulatu Honorii	XXVIII
De bello Gothico praef.	XXV
De bello Gothico	XXVI
c. m. I: Ad Stilichonem	XIII
c. m. II: Descriptio portus Smyrnensis	LXXXV
c. m. III: Ad Aeternalem	LXXXI
c. m. IV: Descriptio armenti	LIV
c. m. V: Est in conspectu l. l.	LXXXVI

c. m. VI: Rimanti telum ira facit.	LXXVIII
c. m. VII: De quadriga marmorea	LXXXVII
c. m. VIII: De Polycaste et Perdicca	LXIX
c. m. IX: De hystrice	XLV
c. m. X: De birro castoreo	XCH
c. m. XI: In sepulchrum speciosae	XCI
c. m. XII: De balneis Quintianis	LXXXIV
c. m. XIII: In podagrum	LXXIX
c. m. XIV: Ad Maximum	LXXXII
c. m. XV: De paupere amante	LXXXIX
c. m. XVI: De eodem	XC
c. m. XVII: De piis fratribus.	L
c. m. XVIII: De mulabus Gallicis	LI
c. m. XIX: Ad Gennadium	XLIII
c. m. XX: De sene Veronensi	LII
c. m. XXI: De Theodoro et Hadriano	LXXX
c. m. XXII: Deprecatio ad Hadrianum	XXXIX
c. m. XXIII: Deprecatio in Alethium	LXXIV
c. m. XXIV: De locusta	LXXXIII
c. m. XXV: Epithalamium Palladii	XXX. XXXI
c. m. XXVI: Aponus	XLIX
c. m. XXVII: Phoenix	XLIV
c. m. XXVIII: Nilus	XLVII
c. m. XXIX: Magnes	XLVIII
c. m. XXX: Laus Serenae	XXIX
c. m. XXXI: Epistula ad Serenam	XL
c. m. XXXII: De Salvatore	XCv
c. m. XXXIII—XXXIX: De crystallo	LVI—LXII
c. m. XL: Epistula ad Olybrium	XLI
c. m. XLI: Ad Probinum	XLII
c. m. XLII: De apro et leone	LIII
c. m. XLIII: In Curetium	LXXV
c. m. XLIV: In eundem Curetium	LXXVI
c. m. XLV: De concha	LV
c. m. XLVI: De chlamyde et frenis	LXXII
c. m. XLVII: De equo dono dato	LXXIII
c. m. XLVIII: De zona equi regii	LXX
c. m. XLIX: De torpedine	XLVI
c. m. L: In Iacobum	LXXVII
c. m. LI: In sphaeram Archimedis	LXXVIII
c. m. LII: De lanario	LXXXVIII
c. m. LIII: Gigantomachia	XXXVII
De raptu Proserpinae I praef.	XXXII
De raptu Proserpinae I	XXXIII
De raptu Proserpinae II praef.	XXXIV
De raptu Proserpinae II	XXXV

De raptu Proserpinae III	XXXVI
Fragmentum incertum	
App. I: In Sirenas	C
II: Laus Herculis	CI
IIIa: De dulcio	
IIIb: De dulcio	
IV: De zona missa ab eadem	LXXI
V: Epithalamium Laurentii	
VI: De Liberalibus	
VII: Laus Martis	
VIII: De Iunonalibns	
IX: De hippopotamo et crocodilo	XCIII
X: De aquila quae in mensa erat	XCIV
XI: De Isidis navigio	
XII: De lavacro	
XIII: De vinalibus	
XIV: De Cythera	
XV: De cereo	
XVI: De irundine	
XVII: De mergo	
XVIII: De vitulis marinis	
XIXa: De paupere singulari	
XIXb: De ape	
XX: Laus Christi	XCVIII
XXI: Miracula Christi	XCIX
XXII: Marcus amans puerum	
carm. gr. <i>Γιγαντομαχία</i>	
epigr. I: <i>Ἰλαδί μοι φίλε Φοῖβε</i>	LXV
II: <i>Εἰς δοῦλόν τινα τυφθέντα</i>	LXVII
III: <i>Εἰς μιμάδα γηράσασαν</i>	LXVI
IV: <i>Εἰς κρύσταλλον</i>	LXIII
V: <i>Εἰς τὸ αὐτό</i>	LXIV
VI: <i>Εἰς τὸν σωτήρα</i>	XCVI
VII: <i>Εἰς τὸν αὐτόν</i>	XCVII

INDEX NOMINUM ET RERUM.

(Numeri Gesneriani sunt praeterquam in carminibus minoribus, Graecis et in appendice; in his cf. conspectum praecedentem.)

- Abundantius] XVIII 154.
 Academia] XVII 94.
 Achaemenius] X 224; XXXVI 264.
 Acheloides] *Sirenes* XXXVI 254.
 Acheloius] c. m. 30, 174.
 Acheron] XXXIII 87, 227.
 Acheronteus] XXXV 351.
 Achilles] V 180; XI 7; IX 19; X 16; VII 60; VIII 367, 557; XXI 99, 268; c. m. 22, 13; 46, 2.
 Achilleus] *adi.* c. m. 22, 46.
 Achivus] *adi.* XX 214; XXVIII 440; XXVI 564; c. m. 46, 7. *subst.* V 425; X 179.
 Acis] *flumen* XXXVI 332.
 Actaeon] V 419.
 Actaeus] -a iuga XXXVI 54.
 Actius] XXVI 185.
 Addua] XXVIII 195, 458, 488.
 Adherbal] XV 409.
 Adonis] XI 16.
 Adriacus] V 39.
 Aeacides] Pyrrhus XXVI 125.
 Aeacus] V 456.
 Aetes] XXVI 3.
 Aegaeus] *adi.* XX 246; X 133; XXI 287; *subst. pro mari* *Aegaeo*: I 190; XX 333; X 162; c. m. 28, 38; 53, 117.
 Aegaeon] *gigas* XXXII 46; XXXVI 345.
 Aegyptius] *semper adi.* XV 61; XVIII 312; XX 252; VIII 575.
 Aegyptus] III 148; XXVI 57; c. m. 27, 89; 28, 5.
 Aelius] -a series XXVIII 420; proles c. m. 30, 56; cf. Traianus, Ulpius.
 Aemilius *Paullus*] XXVIII 439; Paullus XXIV 33; XXVI 126.
 Aeneas] XXI 98; c. m. 17, 38.
 Aeolius] XXVI 224.
 Aeolus] V 23; VII 97; c. m. 22, 35; XXXIII 74.
 Aeternalis] c. m. 3 inscr.
 Aether] c. m. 53, 61.
 Aethiops] XV 192; XVIII 179; VIII 35; XVII 196; XXI 180, 253, 351; XXIV 337; c. m. 23, 1; 25, 62; 28, 16.
 Aethon] *equus* VIII 561; XXXIII 284(?). *unus Amorum* c. m. 25, 140.
 Aetna] VII 161; XXVII 18; c. m. 17, 4, 33; XXXIII 153,

- 154, 190; XXXV 8; XXXVI 186, 330, 399, 438.
 Aetnaeus] XVII 72; XXXIII 160; XXXVI 334.
 Afer] XV 84, 510.
 Africa] I 60; XV 136, 205, 207, 283, 324, 374, 453; VIII 25; XXI 19, 275; XXII 257, 392; XXIV 105; XXVIII 367.
 Agamemnonius] III 82; XV 484.
 Aganippe] XVII 272; c. m. 31, 61.
 Aganippeus] c. m. 30, 8.
 Agaeus] *pantomimus* XX 364.
 Ajax] XX 386.
 Alamannia] VIII 449; XXI 234.
 Alamanni] XXIV 17.
 Alanus] *adi.* XXVI 583; *subst.* III 312; V 271; VIII 487; XXI 109; XXVIII 224; XXVI 581.
 Alaricus] XXVIII 105, 154, 180, 223; XXVI 431, 492, 546, 623.
 Alastor] *equus* XXXIII 286.
 Albis] X 278; VIII 452; XXI 226.
 Alcides] XV 418; VIII 533; XVII 288; c. m. 22, 15, 30, 174; XXXIV 9; app. II 10, 134.
 Alcinoüs] c. m. 30, 142.
 Alcmena] VIII 536; app. II 22, 48.
 Alcioneus] *gigas* XXXVI 185.
 Alethius] c. m. 23 *inscr.*
 Alexander *Magnus*] XXI 268; *cf. s. v. Pellaeus et Porus.*
 Alexander *Severus*] app. XII 3.
 Allecto] *Furia* III 26, 41; XXXIII 280.
 Allia] XV 124.
 Almon] *rivus* XV 119.
 Aloeus] *gigas* XXVI 68.
 Aloidæ] XXVI 74.
 Alpheus] *flumen* IV 9; XXI 186; XXXV 61; *adi.* XV 483; XXVI 575.
 Alpinus] I 255; V 304; XV 295; XII 9; VII 99; VIII 106, 637; XVII 308; XXI 317; XXIV 241; XXVI 363, 563; c. m. 35, 1; XXXV 176.
 Alpis] *sgl. et pl.* I 74, 105; V 1, 124, 389; XV 82, 230, 376; XVIII 432; XX 505; X 185; VII 89; VIII 93, 357, 390, 442; XXII 411; XXIV 285, 307; XXVIII 266, 442; XXVI 194, 198, 261, 283, 471, 532, 547, 641; c. m. 22, 37; 50, 3.
 Amazon] XVIII 240; XI 32; XXXV 62.
 Amazonius] XVIII 499; XX 264; XXXIV 37.
 Ambitio] XXII 114.
 Ambitus] VII 186.
 Amniadae] I 9.
 Amnis] *deus* XXXV 70; XXXVI 16.
 Amor] *sgl. et pl.* XIX 63; X 7, 47, 73, 97, 140, 153; XXII 356; c. m. 8, 1; 25, 30, 110; XXXIII 27.
 Amphinomus] c. m. 17, 41.
 Amphion] XXII 170.
 Amphionius] VIII 532.
 Amphitrite] X 175; XXVI 337 (*pro mari*); XXXIII 104.
 Amsanctus] XXXV 350.
 Amyclæ] XXVI 193; XXXIII 135; XXXV 133.
 Anapis] c. m. 17, 41.
 Ancus *Marcus*] XV 109.
 Ancyra] XX 98.
 Ancyranus] XX 416.
 Anguis] *sidus* XXII 458.
 Annus] aureus XXII 474.
 Antaeus] *gigas* III 288; XXXIV 41.
 Antenoreus] -a *urbs Padua* c. m. 26, 1.
 Antiochus] XVIII 216; XX 570; XXI 371.

- Antiphates] *rex Laestrygonum*
c. m. 30, 22.
- Aonius] IV 3; V 418; XX 522;
XVII 271; XXII 171.
- Apis] VIII 576.
- Apollineus] XX 257; VIII 133;
XXXVI 310, 373.
- Apollo] XI 8; VIII 537; XXIV
60; XXVIII 25; c. m. 3, 4;
cf. etiam Phoebus et Delius.
- Aponus] *fons* c. m. 26 *inscr.*, 90.
- Appenninigena] XXVIII 505.
- Appenninus] VIII 106; XXII
273; XXIV 307; XXVIII 286.
- Aquarius] *sidus* XXII 462.
- Aquilo] III 242; XV 515; X
185; VII 93; XXII 396; XXVI
60; c. m. 2, 3.
- Aquilonius] XII 41.
- Arabs] XVIII 226; VII 71;
VIII 258; XXI 156.
- Arachneus] *app.* V 47.
- Arar *vel* Araris] V 111; XVIII
405; XX 269; XVII 53; XXVI
298.
- Araxes] I 160; III 376; XV 31;
XX 569; VIII 387.
- Arcadia] III 286; V 189; XXVI
514; *app.* II 104.
- Arcadius] *Imperator* V 143; XV
226; VII 179; VIII 653; XXII
79; *app.* IV *inscr.*
- Arcas] VII 165; VIII 471; c.
m. 44, 4.
- Archimedes] c. m. 51 *inscr.*
- Arctos] *sidus* I 26; XV 501;
VIII 190(?); XXVI 66, 246;
XXXV 189. *pro zona septen-*
trionali vel gentibus eius
regionis: III 325; XV 511;
VIII 51; XXI 246; XXIV 93;
XXVIII 336, 455; XXVI 329;
c. m. 53, 11; XXXV 63.
- Arctous] V 501; XVIII 403;
XX 158, 262; VII 26, 170;
VIII 24, 629; XXVI 299.
- Arcturus] I 25.
- Arethusa] IV 11.
- Arethusaesus] XXXV 60.
- Argaeus] *mons* V 31; XVIII
248; XX 114; *adi.* c. m. 30,
191; 47, 5; 48, 6.
- Argi] XXVI 576, 611; XXXIV 9.
- Argiva] *femina* XX 200.
- Argo] XXVI 2.
- Argolicus] XXVI 629; c. m.
17, 39.
- Argous] XXVI 16.
- Argus] XXI 312.
- Ariadnaeus] *Bacchus* *app.* VI 3.
- Aries] *sidus* XXII 463.
- Arinthaesus] XVIII 63, 478.
- Arion] VIII 555; XVII 284;
app. IV 5.
- Armenius] *subst.* V 174; XVIII
47; XIX 55; X 222; VII 72;
VIII 531; XXI 157; *adi.* V
29, 108; XV 243; XX 307;
VIII 307; c. m. 48, 5.
- Arsacius] XVIII 415; VIII 216.
- Ascanius] VIII 193.
- Asia] III 175; V 36; XVIII 199;
XX 578; XXI 88.
- Assyrius] *subst.* XVIII 340;
XXIV 164; XXVIII 86; *adi.*
XVIII 58; VII 36; VIII 308;
XXI 52; c. m. 27, 87; XXXIV
96.
- Astur] c. m. 30, 75.
- Athamanteus] -a *dextra* III 81.
- Athenae] XV 405; XVII 94,
152; XXIV 162.
- Athesis] XII 11; XXVIII 196,
209; c. m. 25, 106.
- Athos] III 336; XX 162; VIII
475; XXI 127; XXVI 177;
c. m. 53, 68.
- Atlanteus] I 35; X 280.
- Atlas] XV 158, 316; VII 108;
VIII 35; XXI 147, 249; XXIV
336; XXVIII 104, 380; c. m.

- 53, 23; XXXIII 89; XXXV 191; XXXVI 324.
 Atreus] XV 400.
 Atropos] XV 203; XXXII 218.
 Attalus] XVIII 215.
 Attis] XX 362.
 Avaritia] mater Curarum III 37; scelerum mater XXII 113.
 Avarities] VII 185.
 Auchenius] I 8, 21.
 Audacia] III 34; X 81.
 Aventinus] XXII 405.
 Avernus] V 502; XV 383; XVIII 450; XXXIII 20, 116; XXXV 348.
 Augusta] legio XV 422.
 Augustus Octavianus] XVIII 218; VIII 642; XXVIII 117; cf. s. v. Caesar.
 Augustus] de Theodosio Honorio Arcadio imperatoribus: I 74, 108; II 17; III 245; V 157, 366; 382; XV 504; XIII 8, 9; IX *inscr.*; X 2; VI *inscr.*, 18; VII 109; VIII *inscr.*, 4; XVII 256; XXI 78; XXII 166, 233, 289, 557 (*bis*); XXIV 122, 178; XXVII *inscr.*; XXVIII 17, 362, 393, 617, 658; XXVI 259, 318, 524; c. m. 1, 8, 9; 30, 64, 179; 32, 20; 48 *inscr.*; app. IV *inscr.*
 Augustus] *adi.* XX 63; VIII 95, 189; XXI 113; XXVIII 10, 553.
 Aulis] XV 485.
 Auriga] *sidus* XXVIII 172.
 Aurora] V 100; XV 61; XVIII 427; XX 527; X 270; VII 69; VIII 130, 561; XXI 155; XXII 473; XXVIII 84; c. m. 30, 116; 53, 34; XXXV 46; app. XIV 1.
 Ausonia] XXVI 291.
 Ausonis] -ides XXVI 627.
 Ausonius] I 130; V 82; VIII 566; XXIV 186; XXVIII 203, 273; XXVI 386.
 Auster] III 90, 364; V 348; XV 1, 487, 515; XX 261; XII 43; VIII 29, 339, 428; XVII 119; XXI 269; XXII 285, 395; XXIV 71, 103, 345; XXVIII 329, 541; XXVI 59; c. m. 26, 91; 28, 8; 30, 203; XXXV 200, 308.
 Australis] XVIII 403; XX 242; VII 171; XXI 248; XXIV 17; c. m. 30, 45.
 Autololes] *Gaetulorum pars* XXI 356.
 Autumnus] III 364; XVII 119.
 Babylon] XVIII 335; XX 475; VII 201; VIII 653; XXI 54.
 Babylonius] *subst.* VIII 146; *adi.* XXVIII 18.
 Baccha] X 217; XXIV 365.
 Bacchus] X 271; VII 208; VIII 604; XXII 457; XXIV 227; XXXV 67; app. VI 1 cf. Bromius, Euhius, Iacchus, Liber, Lyaeus.
 Bactra] VII 202; VIII 656.
 Baetis] XII 31; XVII 286; XXII 238.
 Balearis] VII 50.
 Balius] *equus* c. m. 46, 9.
 Barce] XV 159.
 Bartholomaeus] *Sanctus Ecclesiae* c. m. 50, 6.
 Bastarnae] VIII 450; XXI 96.
 Belga] *pecus* XXI 226.
 Bellerophonteus] VIII 560.
 Bellona] I 121 (*bis*); III 342; V 263; XVIII 314; XX 110, 145; VIII 12; XXII 371; XXVI 34, 466.
 Belus?] XXI 62.
 Benacus] *lacus* c. m. 20, 18; 25, 107.

- Berecynthus] -a iuga XX 300.
 Bessus] XVII 41; XXVI 179.
 Bisaltae] XXI 134.
 Bistonius] *subst.* XX 565; *adi.*
 VII 111; VIII 54; XXVIII
 441; XXXIV 8.
 Bithynia] XX 247.
 Bithyni] XVIII 201; XX 239,
 467.
 Blemyes] c. m. 28, 19.
 Bocchus] XV 94, 342; VIII 40;
 XXVIII 383.
 Bootes] XV 501; X 274; VII
 170; VIII 186; XXI 123;
 XXXV 190; XXXVI 225.
 Boreas] VIII 29, 181; XXI 217;
 XXII 285; XXVI 339; c. m.
 22, 36; 30, 6; 36, 3; XXXIII
 70; XXXVI 323.
 Bosphorus] III 174; XV 225;
 XX 28, 340; VIII 129, 177;
 XXI 87; XXVIII 81.
 Brennus] XV 126; XXVI 432.
 Briareus] -a turba XXXVI 188.
 Briareus] XXI 304.
 Britannia] III 131; XVIII 393;
 VIII 73; XVII 51; XXII 247;
 XXVI 568.
 Britannus] *subst.* V 149; XV
 19; XXIV 149; XXVI 416;
adi. VIII 28; XXIV 301;
 XXVI 202; c. m. 30, 40.
 Britomartis] *Nympha* XXIV
 251, 303.
 Bromius] *subst.* VII 132; VIII
 132; *app.* VI 1; *adi.* XXIV
 365.
 Brontes] *Cyclops* VII 193.
 Bructerus] VIII 451.
 Brutus] VII 440, 460; XX 141;
 VIII 401; XVII 163; XXII
 322, 323, 325, 383; XXIV 192;
 XXVIII 642.
 Busiris] III 254; XVIII 161;
 XXIV 43.
 Byzantinus] XX 136.
- Byzantius] *adi.* XIX 57; XX 415.
 Byzas] XX 83.
- Cacus] *Vulcani filius* XXXV 43.
 Cadmeus] X 155.
 Cadmus] XVIII 293; XXI 318;
 XXXVI 387.
 Caesar] *C. Iulius:* XV 49; VIII
 311; XXVIII 400; *Augustus:*
 c. m. 40, 23. *pro Imperatore:*
 VIII 169.
 Caesareus] XVIII 458; XII 29;
 VIII 313.
 Calchedon] X 27, 451; VIII
 177.
 Calchedonius] V 55.
 Caledonius] VIII 26; XXII 247;
 c. m. 30, 45.
 Callaecia] c. m. 30, 71.
 Calliope] XVII 288; c. m. 30,
 1; *app.* V 11.
 Calliopea] c. m. 31, 20.
 Calydon] c. m. 30, 172.
 Calypso] c. m. 30, 24.
 Camena] c. m. 30, 15; *app.*
 XIV 13.
 Camerina] XXXV 59.
 Camillus] I 149; XV 274; XVIII
 439, XX 54, 598; VIII 408;
 XXII 390; XXVI 430.
 Campanus] XV 110.
 Cancer] *sidus* XXII 460; c. m.
 28, 9.
 Canis] *sidus* c. m. 38, 33.
 Cannae] XXIV 145; XXVI 387.
 Cannensis] XV 79.
 Cantaber] Oceanus c. m. 30, 74.
 Capaneus] -a coniunx c. m.
 30, 151.
 Capitolium] VIII 318; XXIV 32.
 Cappadox] V 31; XVIII 246;
 XX 114; c. m. 30, 192; 47, 4.
 Capreae] XX 61; VIII 314.
 Caralis] XV 521.
 Carmani] *gens orientalis* XVIII
 354.

- Carpathius] X 137.
 Carthago] XV 77, 87, 190, 518;
 XVIII 334; XXI 343, 383.
 Carthago *nova*] XXIII 15.
 Carus] *luditur in nomine eius*
 XXV 74.
 Caspius] V 28; VII 7; VIII 607;
 XXXVI 105.
 Castalius] IV 7; XXVIII 27;
 c. m. 3, 1; app. II 4.
 Castor] I 244; III 108; XI 6;
 VIII 556; c. m. 10, 2; app.
 IV 6; *cf.* Lacones.
 Catina] c. m. 17 *inscr.*
 Cato] XVIII 459; VIII 411;
 XVII 165; XXII 382.
 Caucasus] XVIII 247; XX 152;
 VIII 108; XXVI 59; c. m.
 27, 32; 31, 7.
 Caucasus] III 152; XX 574;
 XI 31; VII 20.
 Caucis] VIII 379; XXI 225.
 Caurus] I 132; V 222; XV 495;
 XX 5; XII 42; c. m. 28, 3.
 Cecropius] V 191; XVII 67;
 XXXIII 11.
 Celaenae] *urbs Phrygiae* XX 258.
 Celaenaes] XXVIII 278.
 Celaeno] *Harpyia* XX 378.
 Celerina] c. m. 25 *inscr.*, 23.
 Celerinus] *ib.* 72.
 Centaurus] IX 13.
 Cepheus] *sidus* XXVI 245.
 Cephisus] II 10; XXXV 136.
 Ceraunia] V 221; XXI 174.
 Cerberus] V 457 *et cf.* XXXIII
 85 *et* XXXIV 34.
 Ceres] III 327; XVIII 325; XX
 270; XXII 394; XXVI 350,
 466; c. m. 31, 41; XXXIII
 107, 122, 138, 209, 221, 237;
 XXXV 36, 372; XXXVI 48,
 55, 67, 105, 173, 179, 260,
 329, 357; app. XI 2.
 Chalcedon *et* Chalcedonius] *vide*
 Calchedon *et* Calchedonius.
 Chaldaeus] III 148; VIII 147;
 XXI 61; XXVIII 348; app.
 XXI 3.
 Chaones] *gens Epiri* XXVI 135.
 Chaonius] VII 118; XXXVI 47.
 Chaos] V 525; XV 383; XXII
 9; XXXIII 21; XXXV 13, 196.
 Charybdis] c. m. 30, 20; app.
 I 2.
 Chatti] XXVI 420.
 Chelae] *sidus* XVII 120.
 Cheruscus] VIII 452; XXVI 420.
 Chimaera] III 296.
 Chimaeraeus] app. II 76.
 Chiron] *Centaurus* IX 5.
 Chloris] app. XV 2.
 Christus] c. m. 32, 1; app.
 XX *inscr.*; XXI *inscr.*, 5, 11,
 13, 15.
 Chrysippus] *Stoicus* XVII 89.
 Chrysogonus] -is potestas datur
 XVIII 440.
 Chunus] XX 338; XXI 110; *cf.*
 Hunus.
 Cicero] c. m. 40, 4.
 Cilix] V 33; XVIII 220; XX
 468.
 Cimber] VII 452; XXVI 293,
 645.
 Cimbricus] XXVI 335, 641.
 Cimmerius] XVIII 249; XXI 129.
 Cinna] III 255.
 Cinyphius] XV 9; XVIII 405.
 Cinyps] *fluvius* XXI 251.
 Circaeus] XXII 134; XXVI 441.
 Circe] III 153; c. m. 30, 21.
 Cirrhaeus] II 2; c. m. 53, 35;
 XXXIV 23; app. II 16.
 Clarius] -os Lares XXXIII 136.
 Claudia] *virgo* c. m. 30, 18, 28.
 Claudius] -a gens XVIII 456.
 Cleantheus] -ae turbae XVII 88.
 Clementia] *dea* XVII 166; XXII
 6, 9.
 Cleonaeus] -um leonem III 285.
 Clio] XVII 291.

- Clitumnus] XXVIII 506; c. m. 4, 3.
 Cloelia] XVIII 447; c. m. 30, 17.
 Cocles] XVIII 445; VIII 406; XXVIII 487.
 Cocytius] V 471.
 Cocytus] V 467; XXXIII 87, 281; XXXV 353.
 Coeus] *Titanum unus* XXXVI 347.
 Colchus] XXI 155; XXVI 3.
 Collinus] -a pro turre *de porta Collina* XV 86.
 Concordia] *dea* III 52; X 203.
 Constantia] *dea* XXII 108.
 Constantinus] XX 83.
 Corinthus] V 190; VIII 462; XXVI 612; *cf.* Ephyre.
 Cornelia] *Gracchorum mater* c. m. 30, 42.
 Corona] *sidus* X 272; XXIV 208.
 Corsica] XV 506; *cf.* Cynos.
 Corvinus] XVIII 460.
 Corus] *vide* Caurus.
 Corybanticus?] *app.* VI 3.
 Corybas] XX 285; VIII 150; XXXIII 210.
 Crassus] XVIII 503.
 Cres] *puer de Minotauro* c. m. 4, 11.
 Cressus] -*ae sc. canes* XXIV 300.
 Creta] III 289; XVIII 218; VIII 134; XXVI 442; *app.* II 119, 128.
 Cretaeus] XXIV 251; c. m. 4, 7.
 Criniseus] *fluvius* XXXV 57.
 Croesus] III 198; XVIII 213.
 Cumanus] XVIII 11; VIII 147.
 Cupidineus] X 71.
 Cupido] c. m. 8, 5; 15, 1.
 Curae] *Avaritiae filiae* III 38.
 Curetes] XX 281; XXXV 270.
 Curetius] c. m. 43 *inscr.*, 4; 44, 1.
 Curius] III 203; XV 111; XVIII 457; VIII 413; XXII 379; XXVI 124, 132; *cf.* Dentatus.
 Cyane] *Nympha* XXXV 61; XXXVI 190, 246.
 Cybebe] XV 120; XVIII 277; XX 280; XVII 301; c. m. 30, 18; XXXIII 212; XXXVI 113, 271; *cf.* Cybele.
 Cybele] XV 130; XVIII 325; c. m. 42, 3; 53, 18; XXXIII 181; XXXVI 134.
 Cybeleius] VIII 149; XXVIII 259.
 Cyclopius] XX 377; XXXIII 97.
 Cyclops] VII 192; XXII 27; c. m. 30, 24 (*de Polyphemo*); XXXIII 239; XXXV 175, 250; XXXVI 117, 355.
 Cydon] VIII 530; c. m. 9, 46.
 Cygnus] *sidus* XXVIII 173.
 Cyllarus] *equus* VIII 557.
 Cyllenius] *Mercurius* XXII 440; XXXIII 77; *app.* XI 5.
 Cymothoe] *Nereis* X 138, 143, 166; c. m. 30, 127.
 Cynthia] *Diana* XV 228; XI 17; VIII 427; c. m. 27, 38; 51, 10; *app.* XXII 7.
 Cynthos] VIII 137; XXIV 259; c. m. 53, 120; XXXV 245.
 Cypros] XIX 52, 72, 76; XX 21; X 49, 254.
 Cyrnaeus] XXIV 314.
 Cynos] *Corsica* XVII 203; XXVI 218.
 Cyrus] III 198; XVIII 213.
 Cythere] *app.* VII 4; *app.* XIV *inscr.*, 3.
 Cytherea] XV 128; XIX 62; X 122, 251; XXII 439; c. m. 25, 31, 124; 29, 31; XXXIII 216; XXXV 119; XXXVI 208, 274.
 Cythereius] c. m. 30, 119.
 Dacicus] XXVIII 335.
 Dacus] III 310; VII 28; VIII 318.

- Dalmatia] V 38; VII 120; XXIV 302.
 Damastor] *gigas* c. m. 53, 101.
 Danae] XVIII 82.
 Danaus] -i fugere XVIII 333.
 Danuvius] V 27; XX 583; VIII 52, 623; XVII 235; XXI 126; XXVIII 228; XXVI 331, 523; c. m. 25, 70; *cf.* Hister.
 Dardanius] c. m. 26, 68.
 Darius] c. m. 22, 17.
 Dea] *Minerva* c. m. 53, 106.
 Decius] I 47; XVIII 451; VIII 404; XXVI 130.
 Deianira] c. m. 30, 173.
 Delia] *Diana* XXIV 261; XXXV 206; XXXVI 285.
 Delius] *Apollo* IV 6; XXXV 136; *adi.* XXIV 59.
 Delos] I 185; XI 8; VIII 133, 135; XXIV 256; c. m. 53, 115, 125; XXXIII 136; XXXV 34; app. II 62.
 Delphi] IV 5; XVIII 328; VIII 144; XXVIII 26, 36.
 Delphicus] c. m. 53, 34; XXXV 246.
 Democritus] XVII 90.
 Dentatus] XVIII 437 *cf.* Curius.
 Diana] X 270; VIII 160; XXIV 258; c. m. 53, 40; XXXVI 216, 306; *cf.* Cynthia, Delia, Latonia, Luna, Phoebe, Trivia.
 Dictaeus] VIII 135; XXIV 208; XXXIV 33; app. II 121, 133.
 Dictynna] Lycaste XXIV 276.
 Dindyma] XX 173, 262; XXXV 269.
 Diomedes] III 254 *cf.* Tydides.
 Diomedeus] XXVIII 479; XXXIV 12.
 Dionaeus] c. m. 25, 102; XXXV 5.
 Dione] XXXVI 433.
 Dirae] *deae infernae* XXXV 218.
 Dircaeus] *Thebanus* VIII 533; XXI 320; app. XIII 3.
 Dis] III 69; V 522; XXXIII 26, 227, 266, 286; XXXV 13, 160, 365; *cf.* Pluto.
 Discordia] *nutrix belli* III 30.
 Dodonaeus] XXVI 136.
 Dodone] VII 117.
 Dodonius] XXXIII 31.
 Dolon] XXVIII 471.
 Doris] XVII 45.
 Doto] *Nereis* X 169.
 Drusus] VIII 455; XXI 193.
 Dryas] XI 22; XXVIII 200; c. m. 25, 17; XXXVI 78, 271, 381.
 Dryopes] XXVI 185.
 Duria] *vide* Turia.
 Echion] *gigas* c. m. 53, 104.
 Echo] XXVIII 33, 617; c. m. 25, 49.
 Edonus] -as hiemes XXI 123.
 Egestas] *comes Luxus* III 36.
 Electra] *nutrix Proserpinae* XXXVI 171.
 Eleus] -o Tonanti XVII 290.
 Eleusis] XXXIII 11.
 Elissa] *Dido* c. m. 30, 148.
 Elusa] *Rufini patria* III 137.
 Elysus] XVIII 454; X 301; XXII 378; XXVI 590; XXXV 284, 323.
 Emathius] V 44; XXVI 388, 497.
 Enceladus] *gigas* VII 161; XXVII 17; c. m. 17, 32; 31, 28; 53, 33; XXXIII 155; XXXV 158; XXXVI 123, 187, 350.
 Enipeus] VII 116; XXVI 183; c. m. 53, 71.
 Ennius] XXIII 12.
 Eno] XVIII 238.
 Eous] III 172; V 105, 161, 217; XV 226, 430; XVIII 105, 154, 239, 371, 400; XIX 36; XX 1, 113, 350, VII 8; VIII 215, 374; XVI 14; XVII 151;

- XXI 8, 270, 296; XXII 292, 306; XXIV 35; XXVIII 90, 517; c. m. 25, 68; 29, 14; 30, 114; app. IV 3.
- Ephialtes] *gigas* XXVI 75.
- Ephyre] VII 471; *cf.* Corinthus.
- Ephyreias] -adas puellas XXVI 629.
- Ephyreius] XXVIII 90.
- Epidaurius] *hospes sc. anguis Aesculapii* XXIV 171.
- Epimetheus] XX 497.
- Epirus] XX 215; XXVI 136.
- Erato] *comes Uraniae* XVII 283.
- Erebus] III 29; V 523; XXVIII 184; XXIII 32, 281; XXXV 259, 330.
- Erechtheus] XVIII 292.
- Eridanus] *Padus et fluvius et deus* I 259; VII 123; VIII 17; XXII 274; XXVIII 148, 175; XXVI 195; c. m. 25, 109. *cf.* Padus.
- Eryns] XXVI 173; XXXIII 226.
- Erymantheus] VIII 468; XXXIV 36.
- Erymanthus] XXVI 192.
- Erythraeus] VIII 606; XXVIII 563; *cf.* Rubrum mare.
- Etruria] XV 505; XVIII 12, 443.
- Etruscus] *semper adi.* XV 110, 417; VIII 145; XXI 241; XXVIII 489; XXVI 504; XXXVI 445; app. XIII 9.
- Euandrius] *mons* XXVIII 11.
- Eucherius] *Stilichonis filius* X 338; XXI 120; XXII 352, 358; XXIV 177; XXVIII 552.
- Euhius] *Bacchus* XXIV 62.
- Eumenides] XX 484; XXXV 216, 344.
- Euphrates] VII 70; VIII 388; XXI 54; XXVIII 415.
- Euripus] III 91.
- Europa] V 36; XV 4; XXI 88; XXIV 281; XXVIII 104.
- Eurotas] I 237; VIII 211; XXI 181.
- Eurus] I 100; XVIII 504; VIII 649; XXII 417; XXVI 58; c. m. 27, 2; 31, 15, 59.
- Eurystheus] XXVI 378; app. II 84.
- Eutropius] XVIII 23, 33, 70, 98, 167, 219, 228, 285, 360, 373, 414, 440, 448, 459, 472; XX 21, 178, 304, 346, 365, 386, 481.
- Excubiae] *vino madentes* X 80.
- Fabius *Cunctator*] XV 89; XVIII 437; VIII 407; XXI 382; XXVI 139.
- Fabricius] III 201; XV 272; XVIII 453; VIII 414; XVII 165; XXII 380; XXIV 32; XXVI 131.
- Fama] *dea* XVII 270; XXII 408; XXVI 201.
- Fames] *inter pestes Erebi* III 31; XXVIII 322.
- Fanum Fortunae] *recipit Augustum* XXVIII 500.
- Faunus] IX 13; XXVIII 200; c. m. 25, 20; XXXVI 17, 381.
- Favonius] I 272.
- Felix] *cohortis cognomen* XV 421.
- Fides] *dea* III 53; XVII 171; XXII 30.
- Firmus] *frater Gildonis* XV 333, 343, 347.
- Flaccilla] *Theodosii Magni uxor* X 43; c. m. 30, 69, 137.
- Flaminia *via*] XXII 397; c. m. 40, 8.
- Flora] app. XV 1 (bis).
- Florens] app. XII 11.
- Florentinus] XXXIV 50.
- Florentius] app. V 8.
- Florus] app. V 8.
- Fluvius] *deus* I 254; c. m. 30, 171; XXXVI 5, 14.

- Formido] *comes Martis* III 343; XXII 576.
- Fortuna] *dea* I 11; III 143; V 194, 421; XV 504; XVIII 24, 121; XIX 5; XX 551; X 328; VII 13; VIII 214; XVII 2; XXI 363; XXVIII 1, 88, 341, 500, 578; XXVI 513; c. m. 25, 80; XXXIII 95; app. II 86.
- Francia] XXI 237.
- Francus] XVIII 394; VIII 447; XXI 189, 227; XXII 243.
- Frigidus] *amnis* VII 99.
- Furia] *sgl.* III 172; *pl.* I 138; III 60, 359; XX 39; XVII 170; XXII 84; XXVIII 105; c. m. 22, 14; 23, 5; XXXIII 39; XXXV 219; XXXVI 79.
- Gabinus] VII 3; VIII 6; XXII 307; XXIV 83; XXVIII 594.
- Gades] XV 159; XVIII 353; VIII 43; XXVI 202.
- Gaetulia] XVII 306.
- Gaetulus] *subst.* III 226; *adi.* XV 57, 357; VII 81; VIII 438; XXI 258; XXVI 60; c. m. 30, 41; XXXIII 150.
- Gaius] *ignotus* app. XII 4.
- Galaesus] *fluvius* I 260.
- Galata] XVIII 59, 203; XX 240, 467.
- Galatea] *Nereis* X 166; c. m. 30, 126; XXXVI 333.
- Gallia] III 123; V 147; VIII 392, 582; XVI 8; XXI 20, 317; XXII 241; XXIV 53; c. m. 30, 61.
- Gallicus] V 105; XVII 308; XXI 227; XXII 394; XXIV 91, 303; XXVIII 399; XXVI 296; c. m. 18 *inscr.*, 20.
- Gallus] *adi.* VIII 459; *subst.* I 149; V 110, 155, 174; XV 431; XX 248, 539; X 119, 182; VIII 408; XXI 350; XXII 186; XXIV 143; XXVIII 232; XXVI 200.
- Gallus] *fluvius* XX 263.
- Gallus] *Cybebes sacerdos* XXXV 269.
- Ganges] I 163; III 293; VII 203; VIII 610; XVII 236; XXI 266.
- Garamas] *gens Afrorum* XXI 255, 355; c. m. 28, 20.
- Garganus] VIII 106; XXIV 308.
- Gargara] XXVIII 389; XXXIII 208.
- Garunna] V 113.
- Gela] *urbs* XXXV 58.
- Gelonus] I 119; III 313, XV 245; XX 103; XI 3; X 221; VII 27; VIII 486; XXI 110; c. m. 53, 76.
- Gennadius] c. m. 19 *inscr.*
- Germania] XV 372; VII 18; XXI 192; XXII 286; XXIV 25; XXVI 423.
- Germanicus] *adi.* VIII 455. *subst.?* XVIII 395.
- Germanus] XVIII 379; VIII 74; XVII 50; XXI 209; XXII 243; XXIV 304.
- Geryon] III 294; c. m. 4, 2.
- Geta] III 308, 319; V 83, 235; XV 37, 245; XVIII 242; XXI 111; XXVIII 123, 179, 236, 274, 304, 532; XXV 6; XXVI 99, 195, 215, 279, 470, 481, 645; c. m. 25, 89; 30, 235; 53, 77; XXXV 65.
- Geticus] I 120; III 316; IV 12; V 36; XX 176, 274; VII 147; VIII 53; XXI 186; XXVIII 201, 384, 490, 647; XXVI 30, 247, 380, 528; c. m. 40, 15; 50, 9; XXXIII 71.
- Gigantomachia] c. m. 53 *inscr.*
- Giganteus] XXVIII 185; c. m. 53, 71; XXXIII 154.
- Gigas] VIII 534; XXVIII 45; XXXV 159; XXXVI 196, 339.

- Gildo] XV 10, 66, 86, 90, 93, 113, 144, 145, 153, 238, 279, 335, 343, 383, 410, 427, 489; XVIII 399, 505; XIX 70; XXI 4, 249, 269; XXII 258; XXVIII 105; *cf.* Maurus.
- Gildonicus] XV *inscr.*
- Gir] notissimus amnis XXI 252.
- Glaucus] *deus* X 158; XXXVI 12.
- Gnosos] c. m. 4, 8.
- Gorgo] III 280; XXIV 168; XXVI 342; c. m. 53, 92; XXXV 26, 205.
- Gorgoneus] VIII 37; c. m. 53, 112; XXXV 225.
- Gortynius] VIII 527; XXVIII 634; c. m. 9, 36; XXXV 33.
- Gothicus] XXVI *inscr.*
- Gradius] *Mars* I 120; III 350; XIX 61; XX 103; X 190; VII 167; VIII 14; XXII 368; XXVI 599; *cf.* Mars et Mavors.
- Graecia] V 187; XV 484; XX 246; VIII 473; XXI 184.
- Graecus] *subst. et adi. desunt.*; *cf.* I 198 et Graius.
- Graius] *subst.* XX 497; XVII 84; c. m. 19, 3; 30, 15; *adi.* I 198; XV 268; XX 136, 250; X 233; VIII 398, 460; XXVIII 474; XXVI 515; c. m. 41, 14.
- Gratia] X 202; c. m. 25, 9; 30, 88.
- Gruthungus] XX 153, 196, 399, 576; VIII 623, 635.
- Gyrhaeus] *gens Afrorum* c. m. 28, 21.
- Hadrianus] c. m. 21 *inscr.*; c. m. 22 *inscr.*
- Haedi] *sidus* XV 497; c. m. 23, 3.
- Haemonius] *adi.* V 278; c. m. 53, 66; *subst.* XXVI 165.
- Haemus] III 334, 340; V 290, 336; XVIII 196; XX 106, 162, 565; X 309; VIII 107; XXI 131; XXVI 166, 574; XXXIV 21.
- Haliacmon] XXVI 179.
- Halys] V 32; XVIII 434; XX 251; VII 70; c. m. 48, 6.
- Hammon] XVIII 180; VIII 143; XXI 255.
- Hannibal] XV 83; XVIII 463; XXIII 22; XXVI 149, 154, 386; *cf.* Poenus.
- Harpyiae] XXVI 22, 28; *cf.* Celaeno.
- Hasta] *urbs* XXVIII 203.
- Hebrus] I 123; III 332; XX 165, 414; VII 147; XXI 22; XXVIII 108; XXVI 177, 524; c. m. 53, 69; XXXIV 18.
- Hecaege] *Nympha* XXIV 253, 308.
- Hecate] III 155, XXXIII 15.
- Hector] XXI 98.
- Hectoreus] c. m. 22, 13.
- Helena] c. m. 30, 148.
- Heliades]-um rami XXVIII 164.
- Helice] *sidus* XVII 299.
- Helicon] IV 1; XVII 272; c. m. 23, 13; 31, 19; XXXV 134.
- Heliconius] c. m. 30, 10; 45, 1.
- Hellespontiacus] XVIII 256.
- Henna] XXXV 72, 289; XXXVI 85(?).
- Hennaeus] XXXIII 122; XXXVI 220(?).
- Hercules] III 79; XVIII 332; XI 38; VIII 132; XXI 143; XXXIV 30; app. II *inscr. cf.* Alcides, Hercules et reliqua nomina.
- Herculeus] III 284; V 292; XV 418; VII 115, 208; XVII 302; XXVI 377, 438; c. m. 9, 5; 26, 25; 30, 171; 42, 4; XXXIV 47.
- Hercynia silva] VIII 451; XXI 228; XXVI 330.

- Hermus] I 53; III 103; XVIII 214; XX 172; XXIV 228, 232; XXXV 68.
- Hesperia] I 168; V 2; XV 326; XX 537; XXVIII 91, 341; XXVI 317.
- Hesperides] VIII 38; XXI 252; XXIV 335; c. m. 30, 177.
- Hesperius] V 265; XIX 36; XX 124; VII 66; VIII 129; XXVI 340, 501; app. IV 4.
- Hesperus] XIV 2; IX 16; XXXV 361.
- Hiberia] XXI 19; c. m. 30, 63; *cf.* Hispania.
- Hibernia] *vide* Hiverne.
- Hiberus] *flumen* X 40; XVII 53.
- Hiberus] *adi.* I 48; XVIII 407; VIII 20, 587; XXI 236; XXIV 309; c. m. 30, 114; 47, 3; XXXVI 319; *subst.* III 293; XII 21; VIII 393; XXI 155; XXIV 147; c. m. 20, 21; *cf.* Hispanus.
- Hippocrenaeus] app. II 5.
- Hippolyte] *Amazonum regina* XVIII 333; XI 35; XXXV 64.
- Hippomenes] *Schoeneida flexit* c. m. 30, 169.
- Hispania] VII 177; VIII 127; XXII 230; XXIV 53; c. m. 30, 50; *cf.* Hiberia.
- Hispanus] *subst.* V 155; *adi.* XV 81; XX 353; XVII 50; XXIII 8; XXIV 142; *cf.* Hiberus.
- Hister] I 135; III 184, 308; XV 312; XX 165, 203; X 277; VII 25, 150; VIII 636; XXI 215; XXII 199, 367; XXIV 13; XXVIII 220, 413, 648; XXVI 81, 170, 337, 489, 569, 603; c. m. 25, 127; 50, 7.
- Hiverne] VIII 33; XXII 251.
- Homerus] c. m. 23, 13, 15; 30, 141.
- Honor] *ambit Virtutem* XVII 8.
- Honoriades] *nom. sgl.* X 341.
- Honoriades] *sorores* c. m. 30, 131.
- Honorius] III 372; XV 205, 327, 381, 499; XIV 37; X 118, 258; VII 180; VIII 448; XXII 62; XXVIII 648; c. m. 30, 95; 48 *inscr. cf.* Augustus, *Caesar et reliqua nomina.*
- Horae] *te scribent* I 278.
- Hosius] *satelles Eutropii* XX 346, 446, 559.
- Hunus] III 321; V 270; *cf.* Chunus.
- Hyacinthus] XXXV 131.
- Hyas] *sidus* XV 398; XXVIII 173.
- Hybla] XXXV 79.
- Hyblaeus] XIV 8; XXVIII 260; XXXV 125.
- Hydaspes] I 80; V 243; VIII 601; XVII 29; c. m. 40, 13; XXXV 82; XXXVI 325.
- Hydaspeus] VII 4.
- Hymen] X 312; c. m. 31, 2.
- Hymenaeus] *cantus* IX 21; VIII 649; *deus* X 202; c. m. 25, 30, 99; 30, 120.
- Hypanis] *fluvius* XXVIII 337.
- Hyperboreus] V 240; VII 56; XXIV 256; XXVIII 26; c. m. 31, 8.
- Hyperionius] -o *de semine* XXXV 44.
- Hyrcaus] *adi.* II 227; VII 35; XXXVI 263.
- Iacchus] XXXIII 16.
- Iacobus] *magister equitum* c. m. 50 *inscr.*; 2, 14.
- Ianiculus] XVIII 443.
- Ianus] XVIII 319; XXII 287; XXVIII 638.
- Iapetionides] XX 491 *cf.* Prometheus *et* Epimetheus.

- Icarus] -m pelagus XX 265.
 Ida et Ide] *Phrygia*: XV 118;
 XX 279; X 18; XXI 264;
 XXXIII 201, 207; XXXV 267;
 XXXVI 140, 371; app. II 130.
Cretensis: XXIV 251; c. m. 4, 8.
 Idaeus] VIII 197; XXXVI 49.
 Idalius] XIV 1; X 101; c. m.
 25, 8; XXXV 16.
 Ili] I 225.
 Illyricum] XX 216; XXI 172;
 XXVI 535.
 Illyricus] *semper adi.* I 60; V
 161, 201; XV 453; XX 111;
 VII 119; XVII 202; XXII 207;
 XXVIII 92; c. m. 30, 62.
 Impetus] famulus Martis I 78.
 Inachides] *Thebanae feminae*
 XV 407.
 Inachus] I 196; III 278;
 XXXIV 9.
 Inarime] *insula* XXVII 18;
 XXXVI 184.
 India] XV 456; XVIII 225, 357;
 c. m. 22, 19; 30, 52.
 Indus] *flumen* XX 102.
 Indus] *adi.* VIII 585; XXIV
 349; c. m. 27, 98. *subst.* I 170;
 III 374; V 242; XV 205; XX
 331; X 217; VII 211; VIII
 257, 609; XXI 158, 266; XXIV
 62; XXVIII 415; XXVI 58;
 c. m. 20, 17; 27, 2; 29, 15.
 Insani montes] *in Sardinia*
 XV 413.
 Invicti] *cohortis Romanae co-*
gnomen XV 423.
 Iocasta] XVIII 290.
 Iones] XX 239.
 Ionium] *sc. mare* VIII 461;
 XXI 174; XXVI 222; c. m.
 28, 39; XXXII 12.
 Ionius] X 49; VII 197; XVII
 205; XXVIII 209; c. m. 23, 4;
 XXXIII 149; XXXV 1.
 Iovius] -a cohors XV 418.
 Irae] *in regia Veneris* X 79.
 Iris] c. m. 37, 5; 53, 42; *cf.*
 Thaumantis.
 Isauri] XVIII 217.
 Isis] app. XI *inscr.*, 1.
 Isthmiacus] III 252; VIII 464.
 Isthmos] XXVI 190.
 Italia] I 59; V 103, 154, 307;
 XV 88; XVIII 430; XX 527;
 X 120; VII 121; VIII 360;
 XVII 201; XXII 304; XXVIII
 142, 289, 319; XXVI 79, 111,
 156, 403, 477, 547, 561; c.
 m. 19, 1; 25, 24; XXXIII 143;
 XXXVI 445; *cf.* Oenotria.
 Italus] *subst.* XV 509. *adi.* I
 254; V 221; XV 224; XXIII
 1; XXVIII 24, 181; XXVI
 125, 147, 589, 646; c. m. 21, 3.
 Ithacus] XXVIII 471; app. V
 22(?); *cf.* Ulixes.
 Iuba] XV 332; VIII 39.
 Iudaea] XVIII 220.
 Iudaicus] XVIII 357.
 Iugurtha] XV 92; XXI 371;
 XXVI 128.
 Iugurthinus] XXVIII 381.
 Iuleus] -os manes XXVIII 116.
 Iuno] I 196; XV 130; XVIII
 325; XX 330; c. m. 31, 33;
 XXXIII 3, 106, 136; XXXV
 367; XXXVI 327, 418; app.
 II 22; VIII 1(?); *cf.* Lucina.
 Iunonalia] app. VIII *inscr.*
 Iunonius] XXVIII 575; XXX 97.
 Iuppiter] I 37; III 50; XV 29,
 140, 201, 217; XVIII 5; IX 5;
 X 196; VII 167; VIII 197;
 XVI 11; XVII 282; XXII 7;
 XXIV 41, 168, 210, 227;
 XXVII, 14, 19; XXVIII 149,
 328, 375, 504; XXVI 18, 63,
 101, 379; c. m. 4, 4; 23, 2;
 30, 123; 43, 3; 51, 1; 53,
 30, 52; XXXIII 67, 93, 215;
 XXXV 108, 228; XXXVI 1,

- 36, 174, 327, 359; app. II 42, 51, 121; cf. *Tonans et reliqua nomina*.
- Iustitia] *dea* III 56, 356; XVII 117, 190; XXII 103.
- Iuventas] *petulans alta cervice* X 84.
- Ixion] XXXV 335, 337.
- Lacaena] *femina* XX 201; XXVI 630; *canis* XXV 300.
- Lacedaemon] V 189; VIII 508; XVII 156.
- Lachesis] XV 203; XX 288; XXII 335; XXVI 55; c. m. 26, 93; XXXIII 54; XXXV 354; XXXVI 411.
- Lacones] *Castor et Pollux* XV 222; VIII 206; c. m. 17, 37; 30, 108.
- Lacrimae] *in regia Veneris* X 80.
- Ladon] *fluvius* XXI 185; XXIV 260.
- Laertius] c. m. 30, 32.
- Laevinus] *M. Valerius* XXVI 395.
- Lais] *Ephyreia* XVIII 90.
- Laodamia] c. m. 30, 150; cf. *Phylacides*.
- Lares] XXI 118; XXXIII 140(?); *reliquis locis lar sive lares praetuli*.
- Larius] *lacus* XXVI 320; c. m. 25, 106.
- Latinus] app. V 18; XV 1.
- Latium] I 137; V 84; XV 335; XVIII 432; XX 130, 599; VIII 578; XVII 94; XXI 18 (*bis*), 295; XXIV 92, 212, 264; XXVIII 89, 94, 130, 351; XXVI 30, 198, 297, 364, 374, 583.
- Latus] I 198; III 292; XV 44, 454; XVIII 151, 465; XX 237; X 232; VII 6; VIII 15, 400, 487; XVII 267; XXI 353; XXII 366; XXIV 34; XXVIII 22, 396, 507; XXVI 141; c. m. 30, 15, 63; 41, 14; XXXV 177.
- Latoides] app. II 61.
- Latona] I 184; XVIII 325; X 236; c. m. 53, 123, 127; XXXIII 137; XXXVI 306.
- Latonia] V 420; XVII 293; XXIV 238, 346; XXVI 441; XXXV 233; cf. *Diana*.
- Latonius] *adi.* VIII 133; c. m. 30, 122; XXXIII 106.
- Laurentes] *Nymphae* app. V 20.
- Laurentius] app. V *inscr.*, 20.
- Lazarus] app. XXI 11.
- Lechaeum] XXVI 190.
- Leda] XI 6.
- Ledaeus] I 239; XV 222; VIII 207; c. m. 30, 108; cf. *Lacones*.
- Lemnius] *Vulcanus* X 87; *adi.* XXVIII 572; c. m. 46, 3; XXXVI 275.
- Lemnus] *gigas* c. m. 53, 85.
- Lenaeus] app. VI 1.
- Leo] *satelles Eutropii* XX 377, 379, 432, 440, 453, 559.
- Leo] *sidus* I 25; III 365; XXII 460; XXIV 209.
- Leones] *cohors Romana* XV 423.
- Leontodame] *Nympha* XXIV 249, 304.
- Lernaes] -am paludem III 290.
- Lethaeus] V 492; XV 213; c. m. 53, 46; XXXV 305.
- Lethe] XXXIII 282; XXXV 218.
- Leucates] *promunturium* XXI 175; XXVI 186.
- Leucothoe] X 156; cf. *Palaemon*.
- Liber] XI 9; VIII 607; app. VI 2. cf. *Bacchus*.
- Liberalia] app. VI *inscr.*
- Libra] *sidus* III 366.
- Libya] III 288; V 41, 154, 241; XV 4, 52, 63, 113, 146, 282, 334, 462, 503, 520; XVIII

- 32, 408; XX 310; VII 53, 206; VIII 27, 436; XVII 24; XXI 7, 272, 334, 378; XXII 385; XXIII 17; XXIV 13, 82, 100, 280, 333; XXVIII 104, 110, 373, 429; XXV 5; c. m. 28, 15; XXXVI 445.
- Libycus] I 131; XV 536; XX 255; X 132; XXI 280; XXIII 10; XXIV 24, 356; XXVIII 620; c. m. 30, 43; 31, 56; XXXIV 45.
- Libyes] XVII 201(?).
- Licentia] *Veneris comes* X 78.
- Ligus, Ligures] XV 505; XII 6; X 180; VIII 567; XVII 124; XXVIII 193, 288, 363, 443; XXVI 554.
- Lilybaeus] -a brachia XXXIII 150.
- Lingonicus] -o vomere XXIV 94.
- Lipare] VII 196; XXXV 174.
- Liris] *flumen* I 260.
- Livia] *Augusti uxor* X 13.
- Livor] *inter pestes Erebi* III 32.
- Lucifer] V 366; VII 131; VIII 563; XXII 472; XXXV 121.
- Lucina] I 145; XVIII 74; XXII 342; c. m. 30. 47; XXXIII 123; XXXVI 307.
- Lucretia] XVIII 446; c. m. 30, 153.
- Luctus] *maerens* III 33; *lividus* XXVIII 323.
- Luna] I 22; XV 223; X 114; XXII 438; XXIV 288; c. m. 27, 61; 44, 6; XXXV 45; XXXVI 403.
- Lutatus *Catulus*] XVIII 455.
- Luxuries] *saevior ardet* XV 183.
- Luxus] *populator opum* III 35.
- Lyaeus] XV 445; XX 294, 435; X 216; XXIV 362; XXVIII 562; XXVI 349; XXXV 353; app. XIII 4; *cf.* Bacchus.
- Lycaeus] *adi.* XXVIII 199. *subst.* VIII 467; XXI 181; XXIV 249; c. m. 25, 48; XXXV 18.
- Lycæonius] XVII 299; XXVI 246.
- Lycaste] *Nympha* XXIV 252, 276, 292.
- Lycia] XVIII 204.
- Lycurgus] VIII 509; XVII 153.
- Lydia] III 197; XVIII 203; XX 295; XI 9; X 215; VIII 603; XXIV 62 *cf.* Maeonius.
- Lydius] I 53; XXXIII 275.
- Lydus] XX 241, 578.
- Macedo] XXIV 165; XXVI 180.
- Macetae] V 279; XX 147; XVII 28.
- Maeander] XX 266, 268, 292.
- Maeandrius] XXVIII 635.
- Maenades] V 419; XX 523; VIII 609; *cf.* Pentheus.
- Maenala] I 187; VIII 470; XVII 291; XXI 182; XXIV 250; XXVI 575; XXXIII 230; XXXV 244.
- Maenalius] VIII 161; c. m. 25, 36; app. II 103.
- Maeon] XX 245.
- Maeones] XX 246.
- Maeonius] III 166; XX 464; X 234; VIII 602; c. m. 30, 20; XXXIII 19; XXXV 68; *cf.* Lydia.
- Maetia?] I 36.
- Maetotis] *adi.* XV 243; *subst.* III 312; XXVI 57.
- Maetotius] XX 334; VIII 180; XXVIII 338.
- Magnes] c. m. 29 *inscr.*
- Magnus] *Pompeius* XVIII 502.
- Maia] XXXIII 76.
- Manes] V 165; c. m. 53, 44; XXXIII 41, 267; XXXV 14, 328; app. XX 22.
- Manlius *Theodorus*] XV II *inscr.*,

- 135, 275; c. m. 21, 1, 4; *adi.*
 Manlia proles XVII 340; *cf.*
 Theodorus.
- Mantua] c. m. 30, 147; *cf.*
 Vergilius.
- Marcellus] *M. Claudius* XV 89;
 XVIII 456; XXVI 140.
- Marcomeres] *Francorum prin-*
ceps XXI 241; *cf.* Sunno.
- Marcus Aurelius Imp.] XXVIII
 340, 350.
- Marcus] *ignotus* app. XXII 1.
- Maria] *mater Christi* c. m.
 XXXII 7(?); app. XXI 1.
- Maria] *mater Serenae* c. m. 30,
 69; *filia Stiliconis et Serenae:*
 XV 528; XIV 37; X 11, 37,
 119, 173, 251, 275, 340;
 XXII 239, 342.
- Maria] *ignota* app. V 10.
- Marica] *Nympha* I 259.
- Marius] XV 92; VIII 641; XXIV
 35; XXVI 126, 646.
- Marmaricus] Hammon XVIII
 180.
- Maro] *Vergilius* c. m. 23 12;
 40, 23; app. V 4; *cf.* Ver-
 giliius.
- Mars] V 56, 188, 351, 501; XV
 85, 273, 415; XVIII 277;
 XIX 20; XX 567; XIII 4;
 VII 73; VIII 18, 90, 321, 456,
 526; XVII 163; XXI 190,
 336; XXII 15, 276, 437; XXIV
 35, 211; XXVIII 10, 91, 210,
 283, 307, 624; XXVI 26, 69,
 258, 280, 339, 468, 507, 623;
 c. m. 1, 4; 29, 25; 30, 199;
 42, 3; 44, 3; 53, 38; XXXIII
 134, 135; app. II 82; VII
inscr., 1; *cf.* Mavors, Gradivus,
et reliqua nomina.
- Marsya] *fluvius in Maeandrum*
influens XX 266 (*bis*).
- Marsyas] *cf.* Celaenae.
- Martius] XVIII 438, 505; VIII
 539; XXII 349; XXIII 20;
 XXXV 147.
- Mavors] I 96, 99; III 334; IV
 17; XV 129; XVIII 238;
 XXI 270; XXVI 491; c. m.
 29, 22; 53, 75; *cf.* Mars,
 Gradivus *et r.*
- Mavortius] X 187; VII 135;
 XXIV 191; XXVI 35; c. m.
 25, 70; 29 33; 46, 12; 53, 87.
- Mascezel] *Gildonis frater* XV
 390.
- Massagetes] III 312; VIII 542.
- Massylus] XV 284; XVIII 389;
 VIII 25; XXII 394; XXVIII
 377; XXVI 148; XXXIV 28.
- Maurus] *adi.* XV 452; XXIV
 344. *subst.* XV 95, 189, 288,
 330, 351, 433; XVIII 400,
 505; X 219; VII 54; VIII 28;
 XXI 19, 249, 357; XXII 261;
 XXIV 19; *absol. de Gildone:*
 XV 70, 236, 283, 338, 380;
 XIX 71; XXI 383; XXII 286;
 XXVIII 122.
- Maurusius] XV 344; VIII 39;
 XXIV 278; XXVIII 104.
- Maximus] *amicus Claudiani*
ignotus c. m. 14 *inscr.*, 1.
- Mazax] *Maurus* XXI 356.
- Medea] III 353.
- Medus] I 161; III 335, 374;
 XVIII 321; XX 102, 478;
 X 224; VII 71; VIII 258;
 XVII 152; XXI 67, 157;
 XXIV 163, 164; XXVIII 415;
 XXVI 187.
- Medusa] III 281; *cf.* Gorgo.
- Megaera] III 74, 354; XXXVI
 387.
- Melampus] *vates* XVIII 315.
- Memnon] XX 530; XXI 265, 268.
- Memphis] XV 56; VIII 570;
 XVII 127.
- Meroe] I 135; XV 454; XVIII

- 178; X 223; VII 21; XXI 261;
c. m. 25, 73; 28, 19; 40, 15.
Metaurus] XXVIII 501.
Metellus] I 147; XV 91; XVIII
218.
Mettius *Fufetius*] VIII 402.
Metus] *persona* I 78; X 82;
XXII 373.
Mida] XX 261; XXIV 230, 232.
Mimas] *gigas* c. m. 53, 85;
XXXVI 347.
Mincius] XII 13; XXVIII 197;
c. m. 25, 108; app. XIII 8.
Minerva] I 84; XVIII 273, 328;
XX 256, 591; VIII 162; XXII
228, 340; XXIV 226; XXVI
16; c. m. 22, 41; 53, 41;
XXXVI 218; cf. Pallas, Tri-
tonia.
Minois] XXXV 332.
Minos] III 114; V 477.
Minous] puer XXVI 443.
Mithras] XXI 63.
Mnemosyne] X 237.
Moesia] VIII 53.
Moesi] V 46; XXVI 165.
Molossi] XXVI 135; *canes*:
V 420; XXII 215; XXIV 293.
Morbus] *persona* III 32; XXVIII
323.
Mors] *persona* III 238.
Mucius *Scaevola*] XVIII 445;
VIII 406.
Muciber] I 95; XX 33; X 58;
VII 191; XVII 327; XXI 104;
c. m. 17, 33; XXXV 175;
XXXVI 397; cf. Vulcanus.
Mulvius] pons XXVIII 544.
Murcia] vallis XXII 404.
Musa] II 13; IV 16; VIII 396;
XVII 66, 138; XXI 181; XXII
5, 127; XXIII 5, 19; XXVII
11; XXVIII 125, 475; XXV
10; XXVI 598; c. m. 3, 3;
22, 51; 25, 31, 46; 26, 7; 30
162; 40, 24; 44, 4; XXXIV 51.
Museus] app. V 40.
Musicus] app. I 3.
Mycalaeus] -a litora XX 265.
Mycenae] XV 287, 399; XXXVI
388.
Mygdonius] *Phrygius* XX 1,
408; XVII 300; XXXV 268.
Myrtilus] c. m. 30, 168.
Mysi, Mysia] *vide* Moesi, Moesia.
Mytilenaeus] -o pectine X 235.
Naias] XXVIII 153.
Nais] I 249; XI 24; c. m. 45, 1;
XXXV 56; XXXVI 17.
Napaeae] c. m. 30, 87.
Nar] *flumen* I 256; cf. XXVIII
516.
Narcissus] *flos* XXXV 132;
Claudii libertus XVIII 441.
Narnia] *urbs* XXVIII 515.
Nasamon] *gens Afrorum* XV
192; XXI 256, 354.
Natura] *persona* VIII 199; XXII
432, 442; c. m. 27, 62; 29, 38;
53, 62; XXXIII 148, 250;
XXXV 371; XXXVI 33.
Nebrophone] *Nympha* XXIV
250, 315.
Nemea] app. II 75.
Neptunius] c. m. 30, 129.
Neptunus] III 279; XX 37; X
155; VII 197; VIII 463; XXIV
265; c. m. 53, 38, 119; XXXIII
104; XXXV 181.
Nereis] I 202; XIX 68, X 159,
283; VIII 555; c. m. 30, 80.
Nereius] VIII 592; XXXIII 103.
Nereus] III 183; V 303; XX 34;
X 157; XXIV 360; XXVIII
496; XXVI 320; XXXIII 144;
XXXVI 11.
Nereus] -is toris VII 116.
Nero] XX 61; VIII 313.
Nerva] XXVIII 420.
Nervius] *miles* XV 421.
Niliacus] XV 59; c. m. 25, 123.

- Niloticus] VIII 574.
 Nilus] I 38, 169; III 185; V 244;
 XV 52, 114, 158, 456, 476;
 XVIII 14, 316; XIX 39; X 51,
 223; VII 207; VIII 44, 388;
 XVII 232; XXI 179, 253;
 XXII 416; XXVIII 86; XXVI
 57; c. m. 19, 3; 22, 58; 25,
 73; 27, 72, 100; 28 *inscr.*, 7,
 28, 29, 31, 36; 31, 13;
 XXXIV 43.
 Niobe] XX 405.
 Niphates] *mons* XVIII 16; VII
 72; XXXVI 263.
 Noricus] -a rura XXVI 365.
 Notus] I 271; V 244; XV 64,
 459; VII 140; VIII 173; XXI
 179; XXVIII 176; XXVI 205;
 c. m. 25, 144; 34, 6; XXXII
 8; XXXIII 92, 242; XXXV
 248; XXXVI 323.
 Nox] *persona* III 30; XXXV 363.
 Nuba] XXI 254.
 Numa] III 114; VIII 493; XXIV
 167; XXVI 101.
 Numida] *adi.* XXI 257; *subst.*
 XV 93, 409; XXIV 35.
 Nycteus] *equus Plutonis* XXXIII
 285.
 Nympha] I 213, 263; X 74;
 XXII 345; XXIV 258; XXVIII
 158; c. m. 26, 7; 30, 78, 175;
 53, 120, 121; XXXIV 3;
 XXXV 67, 76, 204; XXXVI
 4, 172, 230; app. V 20; *cf.*
 Napaeae.
 Nysa] VIII 604; app. XIII 4.
 Nysaeus] XX 171.
 Nysius] app. VI 2.
 Occidens] XII 37.
 Occiduus] -is plagis XVI 14.
 Oceanus] I 216; III 124, 197;
 V 114; XV 455; XVIII 492;
 XX 23, 248; XII 34; X 161,
 281; VII 176; VIII 22, 42;
 XVII 108; XXI 160, 215;
 XXII 249, 409; XXIII 8;
 XXIV 148; XXVIII 499;
 XXVI 203, 640; c. m. 25, 91;
 27, 1; 30, 41, 74; 53, 11;
 XXXIII 270; XXXVI 172, 269.
 Odothaeus] VIII 626, 632.
 Odrysius] *adi.* III 175; IV 18;
 VII 147; c. m. 53, 76; *subst.*
 V 425; XXVI 178.
 Oebalia] I 260.
 Oebalius] XVII 158.
 Oedipodes] III 84; XVIII 289.
 Oenomaus] c. m. 30, 168.
 Oenotria] XXII 262; XXVI 146.
 Oenotrius] -a tellus XXVI 310.
 Oeta] VII 114; XXVI 182; c.
 m. 53, 66.
 Oetaeus] V 181; IX 8; XXI 29.
 Olbia] XV 519.
 Olybrius] I *inscr.*, 30, 243; c.
 m. 40 *inscr.*, 17.
 Olympus] III 50; V 182; XV
 18, 148; XVIII 140; IX 21;
 X 300; VII 33; VIII 230;
 XVII 79, 206; XXIV 135;
 XXVII 23; XXVIII 101, 169,
 351; XXVI 180, 511; c. m.
 31, 21; XXXV 183, 257;
 XXXVI 18, 269.
 Ophion] *gigas* III 348.
 Opis] *Nympha* XXIV 254, 277,
 292.
 Orcades] VIII 32.
 Orcus] III 294.
 Orestes] III 107; XXVIII 113;
 c. m. 22, 14.
 Oresteus] c. m. 40, 18.
 Oriens] V 30; XVIII 17, 396;
 XX 131, 566; XII 36; VIII
 70; XXI 8, 277; XXIV 81;
 XXVIII 92.
 Orion] *sidus* I 28; XV 498;
 VII 171; XXI 287; XXVIII
 177; XXXV 191.
 Orontes] V 35; XVIII 434; XX

delafra per aures.
cella entonar. p. 48

Sicambri 2, 221

radiare metallo p. 99.

Recd October 1941

~~com...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

~~...~~

in, d. d. is. 187

~~...~~

Claudianus, C.

[Claudii Claudiani carmina]

PA

6104

.C48

1893

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

